



In Exodum Mosi commentarij.

<https://hdl.handle.net/1874/428629>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell
Huybert van Buchell (1513-1599)**

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
 - de kopsnede
 - de frontsnede
 - de staartsnede
 - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection
Huybert van Buchell (1513-1599)**

More information on this collection is available at:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

K 109

Pl. E N^o. 1



Handwritten text, possibly a title or reference number, located near the top of the book's spine.

N. 30. C.





et tamen ut sanguis quorū gignit ulcra p̄te
dit for in mēte uerit̄ tēta ut tēl tāmē v̄cel

Quibz in vitnali uia et .83.

Vira pustule uasē saue facta
et erupta solutio fit.

Iste autē ex uima hēuitate sua v̄t esse
sup̄fluit nullū. 7 dubiū q̄ ap̄tē v̄m̄
v̄t v̄t uaco 7 fēo s̄m̄o 7 eupto s̄r̄ moibi.
elo 7 inuenit̄ p̄p̄iat̄ uale cē dūc̄t
p̄tūlar n̄ p̄ tē t̄t̄erūra q̄bz soluat̄ cessat
it̄s̄ura. 7 e ob̄it̄ t̄i d̄ r̄t v̄t f̄orce t̄p̄t
ue r̄ep̄hēd̄t h̄ y. f̄orce n̄olūt ū t̄m̄ē f̄ā ut
erupta s̄t̄s̄ura n̄ s̄olūt alit̄ u. in h̄s̄ loc̄s.
pustules uas̄ uō cū t̄m̄ē s̄c̄ ut erupt̄ s̄p̄
pustula p̄ r̄e d̄nd̄ t̄p̄o. ut̄ ī uac̄r̄ h̄uc
v̄m̄acul̄ quas̄ pl̄uoreū.

Ama nocturna ulcra fēa mo
dicum secessum fiet.

Ducitur hoc p̄ uimā q̄ p̄ r̄e c̄t̄ d̄t̄ deb̄t
d̄nca nocturna d̄t̄ q̄ aut̄ 7 q̄ ō c̄t̄ d̄t̄
all̄t n̄ dubiū q̄ q̄ h̄it̄ t̄p̄ u. uer̄t ulcra t̄ ue
uat̄ est̄uat̄. c̄t̄ d̄t̄ t̄p̄ 7 uim̄at̄ q̄ q̄ t̄at̄
q̄ q̄ f̄ore ex̄t̄ alī eō 7 ī d̄ior̄ t̄ uac̄t̄ p̄t̄
v̄uā p̄d̄ 7 m̄ior̄ h̄ aut̄ īm̄t̄ ut̄ ūt̄ t̄at̄
qūt̄ s̄c̄at̄ t̄ est̄uā m̄dic̄ t̄p̄ q̄ exp̄d̄
t̄i 7 uer̄t h̄quidior̄ 7 q̄ ō ī m̄ior̄ p̄t̄ ad
uēl̄t̄ d̄m̄t̄ t̄i aut̄ s̄c̄at̄ p̄t̄ p̄o. uac̄t̄
q̄ h̄t̄ p̄st̄m̄t̄ ue in uen̄t̄ est̄ p̄hib̄t̄.

Spasmus ex ello mortale

Quoniam sic dicitur quod dicitur el
leborū ab̄t̄ uer̄t̄ albū 7 uer̄t̄
qui h̄bit̄ ī c̄t̄ sp̄s̄u p̄uēit̄ m̄ole
at̄ h̄ acc̄t̄. m̄ d̄io p̄m̄ x̄t̄ n̄ 7 m̄ole
nē al̄t̄ p̄o d̄t̄ que ut̄ est̄ h̄t̄ s̄c̄r̄ d̄ico s̄ s̄
f̄oc̄t̄er̄ p̄ch̄t̄at̄ 7 t̄m̄ q̄ uonēat̄ angustian̄
in uōit̄ ūt̄ uer̄t̄ p̄t̄ ex̄ c̄t̄ d̄o d̄t̄ r̄ō d̄t̄
s̄ōi qūct̄ 7 ī p̄ c̄t̄ ūt̄ 7 ut̄ of̄ t̄ōi p̄at̄. v̄t̄
t̄em̄. u. m̄t̄oc̄ ūt̄or̄ p̄at̄er̄ m̄ore s̄ōi m̄ay
dolore. q̄ c̄t̄ ell̄t̄ n̄ h̄bit̄ ex̄ dolore d̄ illo sp̄m̄
p̄uēit̄ s̄c̄ m̄ d̄m̄ q̄ quod̄ uenē. erugm̄
qūt̄ uonēre f̄er̄ u. h̄c̄ eruḡ er̄ uōc̄t̄
q̄ uōit̄ s̄c̄ ut̄ eruḡ in colore h̄uā. t̄uo

Spasmus et angustus post m
p̄ p̄p̄o d̄t̄ p̄t̄ 7 c̄ 7 q̄ 7 q̄

in oī h̄t̄ quora. q̄ eruḡe eruḡa t̄at̄ d̄t̄
7 p̄p̄o d̄t̄ eruḡe nō p̄m̄ ḡat̄ c̄t̄ d̄t̄ t̄elle
7 a sp̄s̄u t̄at̄ c̄t̄ d̄t̄ p̄o 7 q̄ s̄c̄ d̄t̄ ut̄
h̄b̄t̄er̄ ell̄t̄ alit̄ p̄at̄ p̄at̄ p̄ coll̄ḡat̄
c̄t̄ s̄ōi 7 ī m̄ uōt̄er̄. Alit̄ 7 sp̄s̄u p̄at̄
h̄b̄t̄er̄ ell̄t̄ p̄ uim̄ā uac̄r̄. nē acc̄t̄ p̄
uōit̄er̄ c̄. i. h̄it̄y. ōlōm̄ uim̄ā ūt̄ m̄ c̄t̄
p̄ut̄ quēd̄ m̄t̄ ī m̄are lact̄. p̄at̄ ūt̄ p̄t̄
t̄ud̄e. aut̄ p̄at̄ ūt̄ m̄t̄ c̄t̄ cur̄abile 7 t̄ u
uōit̄e d̄iōr̄. 7 d̄t̄ c̄t̄ d̄t̄ sp̄s̄u 7 m̄ac̄r̄
Alit̄ 7 sp̄s̄u 7 ex̄ coll̄ḡat̄ in t̄ōt̄ q̄ uēl̄t̄
eū n̄ d̄t̄er̄ c̄t̄ d̄t̄. C̄t̄. m̄ p̄t̄ d̄t̄t̄ sp̄s̄u
ex̄ t̄at̄ c̄t̄ t̄ r̄e p̄ d̄e s̄c̄. Alit̄ 7 qui ex̄ coll̄ḡat̄
7 uer̄t̄er̄. Alit̄ 7 s̄ḡul̄t̄ uer̄t̄. p̄t̄ d̄olore 7 p̄t̄
t̄at̄ s̄ōi. 7 uer̄t̄. i. m̄er̄y. h̄ aut̄ ex̄ ell̄t̄ s̄c̄
sp̄s̄u uac̄t̄ p̄t̄. n̄ c̄t̄ p̄. uōit̄er̄. 7 uer̄t̄
p̄st̄m̄t̄. h̄c̄ sp̄s̄u c̄t̄ t̄e m̄ac̄r̄e. q̄ ōt̄ r̄e p̄t̄
s̄c̄at̄ ut̄ p̄t̄er̄ 7 d̄t̄er̄. h̄c̄ t̄ ḡua
p̄st̄m̄t̄ ex̄ ell̄t̄ uer̄t̄ d̄t̄ m̄ac̄r̄ib̄
uōt̄ q̄ q̄ p̄ct̄ n̄. 7 d̄olore p̄ uōit̄ uōit̄
Qu. u. 7 t̄e d̄t̄ m̄ac̄r̄ib̄. 7 h̄t̄ d̄t̄ p̄t̄
q̄ uōit̄ p̄t̄er̄ quod̄ u. sp̄s̄u p̄ d̄t̄ ad̄ c̄t̄
h̄t̄ u. m̄ac̄r̄ib̄.

In vilitie spasmus .2.

Supueniens mortale est.

Sicut aia spasmus ex ello dicitur
ē m̄ d̄t̄. p̄l̄m̄ c̄t̄ uer̄t̄ m̄. s̄c̄ h̄c̄
uēment̄ ex̄ uilit̄ p̄t̄ in p̄nc̄p̄al̄ib̄ uer̄t̄
u. 7 c̄t̄. ut̄ ex̄. i. in uōit̄er̄ loc̄t̄ c̄t̄ t̄e
7 c̄t̄. q̄ uōit̄er̄ uer̄t̄ n̄ uer̄t̄. 7 u. h̄t̄. 7 p̄t̄
m̄or̄ m̄or̄. 7 uō ōm̄t̄ uer̄t̄ d̄t̄ nē in p̄h̄ loc̄t̄
m̄ore p̄t̄. 7 m̄ole d̄t̄. 7 c̄t̄ n̄ ōp̄ uōit̄er̄.
7 p̄l̄uac̄ sp̄s̄u ex̄ uilit̄ acc̄t̄. c̄ 7 t̄iōr̄
uēment̄ 7 ap̄ā q̄ n̄ h̄t̄ in uōit̄er̄ loc̄t̄ nē
p̄ p̄ uōit̄ sp̄s̄u p̄t̄ loc̄t̄ ap̄ā 7 t̄iōn̄ m̄or̄
d̄m̄t̄ acc̄t̄. p̄t̄ uōt̄ ad̄ m̄ac̄r̄ 7 p̄t̄ d̄m̄t̄ d̄m̄t̄
ūt̄ d̄m̄t̄ t̄ p̄t̄er̄ p̄at̄ c̄t̄ c̄r̄p̄.

Sanguine mltto fluente. spasmus
innatus. aut angustus inat mali

Qui 7 uer̄t̄ p̄p̄o m̄ d̄t̄ h̄t̄ p̄t̄ h̄t̄
u. i. uōit̄er̄ loc̄t̄ d̄t̄ m̄or̄ h̄ m̄ore n̄ t̄e h̄t̄
ūt̄ h̄ uōit̄er̄. n̄ 7 alit̄ s̄c̄t̄ h̄t̄ m̄or̄. h̄c̄
sp̄s̄u q̄ t̄e m̄lto s̄ḡul̄t̄ 7 fluē ūt̄ d̄t̄
c̄t̄. h̄ c̄t̄ d̄t̄ m̄ac̄r̄ q̄ p̄t̄er̄.

Spasmus i angustus post m
p̄ p̄p̄o d̄t̄ p̄t̄ 7 c̄ 7 q̄ 7 q̄

Spasmus et angustus post m
p̄ p̄p̄o d̄t̄ p̄t̄ 7 c̄ 7 q̄ 7 q̄

Spasmus et angustus post m
p̄ p̄p̄o d̄t̄ p̄t̄ 7 c̄ 7 q̄ 7 q̄

dog d̄t̄ sup̄ d̄m̄ac̄r̄ m̄ d̄m̄t̄
p̄ t̄e t̄ p̄t̄er̄

dog d̄t̄ sup̄ d̄m̄ac̄r̄ m̄ d̄m̄t̄
p̄ t̄e t̄ p̄t̄er̄

dog d̄t̄ sup̄ d̄m̄ac̄r̄ m̄ d̄m̄t̄
p̄ t̄e t̄ p̄t̄er̄

dog d̄t̄ sup̄ d̄m̄ac̄r̄ m̄ d̄m̄t̄
p̄ t̄e t̄ p̄t̄er̄

dog d̄t̄ sup̄ d̄m̄ac̄r̄ m̄ d̄m̄t̄
p̄ t̄e t̄ p̄t̄er̄

dog d̄t̄ sup̄ d̄m̄ac̄r̄ m̄ d̄m̄t̄
p̄ t̄e t̄ p̄t̄er̄

dog d̄t̄ sup̄ d̄m̄ac̄r̄ m̄ d̄m̄t̄
p̄ t̄e t̄ p̄t̄er̄

dog d̄t̄ sup̄ d̄m̄ac̄r̄ m̄ d̄m̄t̄
p̄ t̄e t̄ p̄t̄er̄

dog d̄t̄ sup̄ d̄m̄ac̄r̄ m̄ d̄m̄t̄
p̄ t̄e t̄ p̄t̄er̄

dog d̄t̄ sup̄ d̄m̄ac̄r̄ m̄ d̄m̄t̄
p̄ t̄e t̄ p̄t̄er̄

dog d̄t̄ sup̄ d̄m̄ac̄r̄ m̄ d̄m̄t̄
p̄ t̄e t̄ p̄t̄er̄

dog d̄t̄ sup̄ d̄m̄ac̄r̄ m̄ d̄m̄t̄
p̄ t̄e t̄ p̄t̄er̄

dog d̄t̄ sup̄ d̄m̄ac̄r̄ m̄ d̄m̄t̄
p̄ t̄e t̄ p̄t̄er̄

dog d̄t̄ sup̄ d̄m̄ac̄r̄ m̄ d̄m̄t̄
p̄ t̄e t̄ p̄t̄er̄

dog d̄t̄ sup̄ d̄m̄ac̄r̄ m̄ d̄m̄t̄
p̄ t̄e t̄ p̄t̄er̄

dog d̄t̄ sup̄ d̄m̄ac̄r̄ m̄ d̄m̄t̄
p̄ t̄e t̄ p̄t̄er̄

dog d̄t̄ sup̄ d̄m̄ac̄r̄ m̄ d̄m̄t̄
p̄ t̄e t̄ p̄t̄er̄

dog d̄t̄ sup̄ d̄m̄ac̄r̄ m̄ d̄m̄t̄
p̄ t̄e t̄ p̄t̄er̄

dog d̄t̄ sup̄ d̄m̄ac̄r̄ m̄ d̄m̄t̄
p̄ t̄e t̄ p̄t̄er̄

dog d̄t̄ sup̄ d̄m̄ac̄r̄ m̄ d̄m̄t̄
p̄ t̄e t̄ p̄t̄er̄

dog d̄t̄ sup̄ d̄m̄ac̄r̄ m̄ d̄m̄t̄
p̄ t̄e t̄ p̄t̄er̄

IN EXODVM
MOSI COMMEN-
TARIL

AVTORE IOANNE
Brentio,

Ex dono Bugelii

HALÆ SVEVORVM EX

Officina Petri Brubachij, Anno
M. D. XLIIII.

Σκιάν ἔχει ὁ νόμος τῶν μελλόντων ἀγαθῶν, οὐκ αὐτήν
τῆν εἰκόνα τῶν πραγμάτων Heb. 10.



IN EXORDIUM
MAGI COMITUM
TERRARUM

AVTORITATE

AVTORITATE

AVTORITATE

ORNATISSIMO VI-

RO D. NICOLAO MAYRO IVRE

consulto & Cancellario Vuirtenbergen. domino

& amico suo, S. D.



TSI EA FORTASSIS RERVM MEARVM
conditio est, uir amplissime, ut hoc dedicationis
mei officio magis grauari, q̄ ornari posses, nolui
tamen committere, ut non humanitatis tue bene-
uolentiam, quam in me multis argumentis decla-
raſti, publice agnoscerem, & qualicumq; gratitu-
dinis significatione testarer. Cum aut̄ ea sit integritas ac modestia tua,
ut magis cupias benefacere, quam ob benefacta humanis laudibus
praedicari, non hoc iam agendum mihi uideo, ut uirtutes tuas pluri-
bus commendem, sed ut hunc Mosaicum librum, quem commenta-
rio, pro mea tenuitate utcumq; explicui, pio Lectori commendem, ac
statum eius breuiter perstringam, Sunt enim imperiti quidam homi-
nes, qui eam operam superuacaneam ac inutilem putant, quae uel in
legendis uel in explicandis Mosaicis libris impenditur, & quia in his
Christi aut Euangelij nomen disertis literis non continetur, sentiunt
eos ad Christianos Euangelij sectatores nihil prorsus pertinere. Sed
si quis recto spiritu hos libros excutiat, inueniet p̄fecto in ipsis Chri-
stum & Euangelion eius, si non tam perspicue, certe non minus uere
ac praecipue, quam in libris noui testamenti, praedicari. Ac de alijs
quidem Mosi libris alias, nunc autem de Secundo libro, quem *Exodus*
uocant, pauca quaedam dicemus. Nam qui in hoc libro, non nisi Iu-
daica & a Christianismo aliena tractari existimat, nae ille sacrorum li-
brorum censor ineptissimus fuerit. Christus enim & Euangelion e-
ius in Exodo tam diligenter docentur & illustrantur, ut si sua rebus
uocabula dare uolueris, hunc librum, Christianismi potius catechis-
mum, q̄ Exodon diceres. Nam primum omnium, quo stupenda illa
& omnibus seculis decantata liberatio Israelitarum ex Aegypto, respi-
cit, nisi ut conseruaretur praedicatio Euangelij de Christo? Israelitae
enim liberati e tyrannide Pharaonis, in proprium politicae corpus di-
uino beneficio coaluerunt, non ut maiestatem tantum humanam con-
sequerentur, sed ut esset populus, in quo promissio, Abraae, de bene-
dicto semine, qui est Christus, dicta, publice conseruaretur. Quid
autem agnus ille Pashalis & caerimoniae eius aliud sunt, q̄ concio de
cruce, & morte, adeoq; de iustificatione fidei per sanguinem Christi,

quod est ipsissimum Christi Euangelion? Vt nihil interim dicam de aqua e petra, & pluuia coelestis manne, quae ueteribus illis patriarchis Christum ob oculos fidei posuerunt, certe ipsa Decalogi, in quo tamen non nisi lex, per quam est peccatorum agnitio, continetur, promulgatio, ad Christum mediatorem remittit. Iam, si in medium procedat Aheron, non solum cum ritibus & uestimentis consecrationis suae, uerumetiam cum omnibus sacrificijs suis, quid obsecro, si probe iudicaueris, aliud nobis offert, quam Christum & Euangelion eius de gratuita peccatorum remissione per fidem? Non enim ea tantum sacra, quae in hoc libro commemorantur, sed omnes pene caerimonie, quae in alijs libris Mosi recensentur, & in Ecclesia Israelitica usitate fuerunt, in hoc diuinitus institutae sunt, ut essent pro eius temporis ratione conciones Euangelij Christi, ac tantum abfuit, ut significauerint iusticiam contingere propter merita operum, quemadmodum hypocrite sentiunt, ut solam hanc Euangelij doctrinam, uidelicet, quod iusticia & salus contingant nobis tantum propter Christum per fidem, maxime omnium uerberint & inculcauerint. Nam, quod Deus in aurei uituli institutione, tanta ira commouetur, ut de opprimenda gente Israelitica deliberaret, alius alijs fortasse uerbis irae causam explicabit, sed si eam paucis ac disertis uerbis edicere uolueris, nihil aliud dixeris, quam quod haec aurei uituli institutio fuerit ipsissima Christi abnegatio, & ab Euangelio eius defectio. Cum enim Deus tanta grauitate, tantaque serueritate exigit in lege, ut Israelite in sacris faciendis, hoc tantum faciant, quod ipse precepit, nec addant quicquam, nec minuunt, & nec declinent ad dextram nec ad sinistram, hoc certe unum requirit, ut non alium queramus mediatorem, iustificatorem & seruatorem, quam eum, quem sacra uerbo Dei instituta & commendata, predicant, nec aliam salutis doctrinam agnoscamus, quam quae nobis de gratuita fidei iustificatione propter Christum, in sacris ac caerimonijs Leuiticis traditur. Haec enim doctrina illa est, qua sola, uera religio constat, & qua ab omnibus alijs, usque impijs religionibus distinguitur. Haec & illa doctrina est, quae sola tam maioribus, qui fuerunt ante aduentum Christi in carnem, quam posteris Christi iusticiam & salutem attulit, ac perpetuo afferet. Vt hanc doctrinam Satan aboleret, iam inde ab initio excitauit Cainum aduersus Abelem, impulit Israelem aduersus Isaac, commouit Esau aduersus Iacob, instigauit Pharaonem aduersus Israelitas, irritauit Gentes aduersus Iudaeos, excogitauit facticios Gentium deos aduersus uerum & uiuum Deum, instaurauit impia sacra aduersus legitima, obiecit denique pseudopphetas ueri Prophetis, adeoque Phariseos & Pontifices, Christo ipsi Domino nostro. Et quamquam haec doctrina post ascensum Christi in caelum, maximis & stupendis mi-

pendis miraculis confirmata est, Satan tamen ita debacchatus est in eam, ut non solum furore accenderit Iudæos & Gentes aduersus Apostolos Christi, uerè etiam semper deinceps excitaret, in Ecclesia Christi, hæreticos, quos uocant, nec unquam desinat excitare Antichristum & symmystas eius, qui non tantum alienis & ociosis dogmatis Ecclesiam ab huius doctrinæ obseruatione cura & usu sensim abducant, sed etiam aperto Marte eam persequantur. Cum igitur in hanc tam necessariam Euangelij doctrinam, Exodi scopus, tam miraculis quàm sacris & cærimonijs suis præcipue directus sit, existimandum est, nos in legenda & explicanda Exodo non minus in doctrina Christianismi uersari, quàm si librum quendam noui testamenti tractarem. Atq; hæc maxima est Exodi utilitas, sed accedit huc & alia, quæ neq; ipsa silentio prætereunda est. Non enim adumbratur hic tantum ueritas Euangelij de Christo, sed confirmatur etiam legum uestrarum politicarum autoritas. Nam q̄ Mose non instituerit nouam politeiam in Israel, nisi acceptis ante & latis a Domino Deo nostro legibus, quod in hoc libro recensetur, an non perspicue significat, quod Demosthenes uerissime dixit, & quod in uestras leges relatum est: *Legem esse νόμος καὶ δῶρον θεῶν*: iam, quod in hoc libro, magistratus, diu uocentur, quod & sententia eorum in conuersijs ciuilibus, sententia Dei appelletur, hoc illud certe est, quod Plato etsi Ethnicus cognitione tamè naturalis legis hac quidem in parte præditus de legum obedientia grauissime ait: *ὡς ταύτην τοῖς θεοῖς ἕσαν δουλείαν*. Quid autem potest reuerentiam erga publicas leges magis alere & confirmare, q̄ si homines sentiant, se deo obedire si legibus obediunt. Quod quidem non de uulgo tantum, sed & de magistratu ipso intelligendum est. Nam quod Mose ad constituendam Rempub. Israeliticam, præter uerbi dei præscriptum, nihil conatur, & quod Aheron, alienis sacris præter leges institutis obiecit Rempub. Israeliticam periculo perpetuè internitionis, non solum admonet nos, defectionem a doctrina Euangelij de Christo afferre exciabilem pernitiem, quod antea indicauimus, sed etiam docet eam Rempub. pro sua ratione saluam fore, in qua lex sit domina magistratuum, & magistratus serui legis, eam autem præsentaneum interitum manere, in qua lex magistratuum, libidine oppressa, ἡ ἀνεργος fuerit. Quæ cum ita se habeant, iudicauim te tibi, uir amplissime, officium non ingratum facturum, si tibi homini, primū pio, deinde iureconsulto in Reipub. administratione uersanti, hunc librum, in quo ueræ pietatis doctrina tam diligenter tractatur, & politicarum legum autoritas tam perspicue illustratur, dedicarem. Cogitauim etiam hac occasione humanitati tuæ commendare curam & patrocinium tam bonarum literarum, q̄ ecclesiasticorum ministeriorum.

E P I S T O L A

Nam, cum siue suo quodam fato, siue improbilissimorum hominum maleuolentia, non solum bonarum literarum studia, quorum cultu & neglectu statq; caditq; Respub. uerumetiam ministeria ecclesiastica, quorum incolumitate & synceritate, tota eaq; perpetua hominum salus constat, tanto contemptu laborent, ut ea uilissimi etiam homines ne uitiosa quidem nuce, quod aiunt, digna iudicent, necessitas

ipsa tam civilis q̄ ecclesiasticæ Reipub. urget, ut quod tu harum rerum patrociniū in ea regione, in qua honestissi-

mum amplitudinīs & autoritatis locum obtines, sus-

cepisti, magno studio administres. Quod sa-

nè pluribus tecum agerem, nisi scirem

te pro tua prudentia satis ipsum

uidere, q̄ necessarium sit,

ut qui in Rerumpub.

administratione

uerfantur,

maxi-

maxi-

mam harum rerum curam agant.

Vale ex Hala Sueuorum,

xvij. Iulij, An.

M. D. XXXVIII.



Ioannes Brentius.

Index

INDEX EORVM, QUAE IN presenti commentario Exo- di, continentur.

A

Ablata propter Christum, non amissa, sed re-
posita sunt in manum Dei 10
Abraham & Patriarchae Christiani fuerunt 89
**Ad agni paschalis esum etiam serui admissi, sed cir-
cumcisi** 62
Adan vetus semper idem in omnibus hominibus
nascitur 31.26 Adonai 21
Adonai nomen tetragrammaton explicatur 21
Aduena 101 **Adulteri** 100
Adulterij genera 90
Aduersa paciens confidat 127
Aduersarij conantur iisdem armis oppugnare ueri-
tatem, quibus ueri doctores eam propugnant 43
Aduersarij sunt, ubi est uerbum Dei 40
Aduersarij etiam consentientur ueritatem 45
Aduersitatis remedium praesentissimum 35
Aegypti allegoria 24
Aegypti supplicia cur recensentur 65
Aegypti ihesari 23
Aegyptium spoliare ibidem
Aegyptiacae plagae spectaculum & rudimenta or-
bis terrae 41
Aegyptiorum plagae 41
Aegyptiorum spolia, ut Augustinus interpretatus
sit 27
Aegyptiorum supplicium pediculi 44
Aegyptiorum regnum olim potentissimum 46
Aegyptiorum supersticiosissima impietas 47
Affectu iniuria, perfruuntur bonis eorum qui se in-
iuria affecerunt 24
Afflicti & miseri à Deo respiciuntur 24
Afflictiones cur Deus suis immittat 13.66
Afflictiones Dei uocationem comitantur 66
Afflictiones praedicantur uocatis à Deo 23
Afflictiones sunt gradus ad liberationem 32
Afflictionum culpa in uerbi Dei ministros confer-
re, quanta impietas 34
Afflictionum natura 67 **Afflictionum remediū** 8
Afflictionum ratio 60
Afflictionibus obrutus quō Deus consoletur 37
Afflictionibus desperare magna impietas est 79
Agnitio imbecillitatis est gradus ad consequen-

dam fortitudinem 18
Agnus paschalis 55
Agnus paschalis Christum a iunbrat 56
Agnus paschalis etiam seruos, sed circumcisos, ad-
mittit 62
Agnus paschalis qualis sit 55
Agni paschalis sanguis, sanguis Christi 57
Agnorum sumptus 140
Agriculturae ordinatio 102
Aharon increpatur 150 **Aharon peccator** 122
Aharon significat Christum 122
Aharonis familia in sacerdotium designatur 122
Aharonis peccatum 145
Aharonis tremor in peccato 150
Aharonis uirga quid significet 114
Aharoni reuelatur Deus 32
Alexander Magnus maior in gloriam duxit domi-
nari uictor, granti uario quam delecto 49
Alexandri Magni Monarchia 46
Alexandri Magni reuerentia erga summum sa-
cerdotem 136
Altare incensi 159
Altare umbra Christi 119.95
Altaris cornua 119 **Altaris consecratio** 139
Altaris instrumenta 120 **Altaris usus** 119
Altaria legitima in Israel 142
Altaria tabernaculi 119
Ambulantes fide in uocatione sua defendit deus 65
Ambulantes in uocatione diuina terribiles sunt in-
pijs 54
Ameleitarum bellum aduersus israelitas 79
Ameleitarum crudelitas diligenter adnotatur 80
Amor Christi erga ecclesiam 127
Anarchia 110
Angelorum auxilia 115. 106
Argilicus sudor 43
Anni computatio apud Hebraeos 54
Anni distributio 55
Antiquitatis auctoritas 3
Apparitio Dei 109.110
Apostemata & ulcera sunt publicum supplicium 49
Apostoli lux 116
Aqua amara in dulcem uersa 72
Aqua rerum principium 42
Aqua ex petra miraculum 79
Aqua in sanguinem conuersio 42
Arca propiciatorij 115
Aries in frustra secus quid significet 135
Arob quid 45
Astrologia 55
Asyla 97
Atrium quid significet 120

I N D E X.

Auff genad und ungenad auffnemen	162	Christus propiciatorium	124
Aulica uita compendium ad infernum	11	Christus rex sed non externus	130
Azymus panis cur mandatus est & quid significet	57	Christus ubi consecratus est	139
		Christus usus est scriptura	1
B		Christus scala	115
Babylonica monarchia	46	Christi amor erga Ecclesiam	117
I ubi usus	130	Christi charitas	153
Baptismus consecratio in sacerdotium	134	Christi cura pro Ecclesia	124
Baptismus quam seuerè Deus exigit	31	Christi officium prædicare Euangelion	128
Benedictio dei, ubi est publica honestas	106	Christi ossa integra	62
Benedictio Sem & iaphet	106	Christi sacrificium	109
Benedictionis fons uerbum dei	34	Christi sacrificia uesti dicimur	139
Beneficia Christi	115	Christi tantum corpus adumbratum	117
Beneficia dei	74	Christiani	84
Beneficiamus omnibus	15	Christiani omnes sacerdotes	84, 133 137
Benemerita male facere crudelissimum est	6	Christiani omnes reges sunt	84
Beseleel	144	Christiani omnes sancti sunt	ibidem
Beihel locus sanctus	17	Christiani sunt peccatores æque ac Israelitæ	146
Bonus pater familias reponit tempore utilitatis rerum necessaria	38	Christiani omnes in sacerdotibus consecrantur	133
Bonus impiorum fruuntur pij	23	Christianorum lugentium insignia	155
Bonus male, malus bene fit	84	Christianorum Consecratio in sacerdotes	133, 17
Bona opera piorum	137	Christianorum prætoria	106
Bos cornu petens	98	Christianorum sacrificia	139
Boum cura	99	Christianorum templa sancta	17
C		Chrisimatis significatio	143
Calamitas alia aliam trudit	72	Chrisimatis unctio	143
Calamitatis culpa rejicitur in uerbi ministros	33	Circularum significatio	113
Calamitatis culam rejicientes in uerbum aut uerbi ministros quantum peccent	34	Cisternam aperientis & esodiens	98
Calciamenta exuere quid	17	Clamor oppessorum exaudiatur à deo	15
Canaan terra sancta	ibid.	Clementia dei	41, 59, 70
Canaanæ ad respicientiam inuitati	107	Clementia diuine exemplum in israelitis	8
Cananzorum impietas	ibidem	Clementia omnium animalium erga pullos suos	64
Candelabrum	116	Columnæ nubis miraculum	65
Caro peccato nunquam potest regiam uitam ingredi	34	Conciliorum utilitas	40
Carminum sacrorum utilitas	71	Concupiscentia in lege prohibita	93
Cæcitas mentis	52	Concio decalogi	87
Cerimonia consecrationis, quare usurpantur	112	Concio Euangelij	4
Cerimoniarum necessitas	108	Concio legis	4
Cerimoniales leges	95	Concio fidei in Christum etiam in lege inuenitur	122
Cham derisor nudi parentis	106	Confessio simulata Pharaonis	30
Charitas Christi 153 Dauidis ibi. Pauli Mosi	152	Conscientia teneritudo	127
Charitatis exemplum	31	Consecratio sacerdotum septem diebus	139
Choenix 76 Cherubim	114, 115	Contempti confidant	12
Christus baptismo lotus	133	Continentia externa ab uxoribus	85
Christus è scriptura concionatus est	2	Coniugia aduersus magistratus & ecclesiasticos	76
Christus hominem non angelum sumpsit	56	Coniugia in ecclesiasticos in Deum redundant	67
Christus petra spiritalis	79	Corinathorum usus	117
Christus predicauit se Messiam esse	41	Cultus gentium	34
		Cum duplicantur lateres uenit Moses	14
		Curiositas	

I N D E X.

<i>Curiositas hominum in perscrutanda maiestate Dei</i>	Dei epitheta	41	<i>Dei digitus</i>	49
	Dei facies	156	<i>Dei forma</i>	85
<i>Cynomia</i>	Dei industria			18
<i>Cyrus ingenuos pueros ceciderat</i>	Dei industrie exemplum	12		ibid
<i>Cyrus pro pastoris filio habitus</i>	Dei ire uas Pharao	21		38
D	Dei misericordia			162
<i>Da der Kranck genaß, ye boiser er nie uuas.</i>	Dei misericordiae uas Mose	44		39
<i>Dauidis charitas</i>	Dei natura non potest plene in hoc seculo compre-			
<i>Dauid Goliathen prostrauit</i>	hendi	21		87
<i>Decalogus</i>	Dei nomen quid	91. 145. 25		89
<i>Decalogo autoritas miraculis confirmatur</i>	Dei nomen ineffabile	25		21
<i>Decalogi concio</i>	Dei obedientia quomodo fiat	87		39
<i>Decalogi impletio</i>	Dei omniscientia	93		50
<i>Decalogi tabulae</i>	Dei omnipotentia	145		ibidem
<i>Decalogi usus</i>	Dei operum ratio	91		130
<i>Decimæ & primitiæ cur in lege exigantur</i>	Dei potentia, tolerantia, misericordia industria	63		49
<i>Defensio iuris naturalis</i>	Dei seueritas	99		70
<i>Desperandum non est propter nostram iniusticiam</i>	Dei presentia superat omnem armaturam	8		18
<i>Deuastatio Hierusalem</i>	Dei seueritas	163		59 70. 106
<i>Deus cognoscitur ex uerbo suo</i>	Dei seueritatis exemplum	20		31
<i>Deus clemens</i>	Dei timor descendus	59 70 107 41 44		15
<i>Deus cur impios toleret</i>	Dei ueritas	49		60 75
<i>Deus etiam infantium Deus</i>	Dei uerbi conspectus retinet homines in offi-	9		
<i>Deus habi at in nube</i>	cio	110		26
<i>Deus habitat in abscondito</i>	Dei uoluntas, non essentia inuestiganda est	ibidem		86
<i>Deus immittit supplicia ut ex eis piã discamus</i>	Dei uoluntas cognoscenda	45		159
<i>Deus longanimis</i>	Dei uoluntati resistentes, tandem obedire cogun-	42 107		
<i>Deus locutus cum Mose</i>	tur	86		52
<i>Deus non est autor mali</i>	Deo grata sacrificia	29		119
<i>Deus non dat omnibus omnia</i>	Deo reiecto, succedit Satan	26		53
<i>Deus non est autor peccati</i>	Deum habens omnia habet	28		157
<i>Deus omnia implet</i>	Deum quoque gentes cognouerunt	95		45
<i>Deus omnipotens</i>	Dij alieni qui sint	59 41		145
<i>Deus omniscius</i>	Dij pro magistratu	59		96
<i>Deus pater commendat nobis scripturam</i>	Dij gentium demonia	2		41
<i>Deus quibus re ineat uinculis</i>	Deorum nomine etiam sacra intelliguntur	146		88
<i>Deus quomodo uideatur</i>	Deorum nomine magistratus intelligitur	109		100
<i>Deus quomodo se manifestarit</i>	Dilectio proximi quanta à nobis requiratur	35		
<i>Deus quomodo tractet peccatores in hoc seculo</i>	Digitus Dei	42	45	Diluuium
<i>Deus quomodo uocet ad poenitentiam</i>		ibidem		163
<i>Deus reseruat sibi septem milia</i>	Dies septem quid significant	9		59
<i>Deus respicit suas promissiones & misericordiam</i>	Diligentia nimia error	8		82
<i>Deus seuerus</i>	Dies nouissimus deputatus est ad manifestam reue-	41		
<i>Deus uerus</i>	lacionem diuinæ maiestatis	46		46
<i>Deus uere declaratur</i>	Disimulare mentiri differunt	46		32
<i>Deus uerus ss Deus uerax</i>	Diuersa sacra, sed eadem religio	41		11
<i>Deus uerax, homo mendax</i>	Doctrina gentium sunt sarcina	35		24
<i>Dei apparitiones & reuelationes</i>	Diuina maiestas extorquet testimonium ueritatis	36		
<i>Dei clementia</i>	etiam ab aduersarijs	59 70 106		45
<i>Dei clementiæ exemplum</i>	Diuitiarum incommoda	28 38		140
	Domus			7
	Dominica dies in Christianismo			77. 85

I N D E X.

B			
Ecclesia		Euangelion finistre predicantes	212
Ecclesia falsa		Euangelion sparsim in mundum	220
Ecclesia fide circumcisa		Euangelij concio	4
Ecclesia in manibus Christi descripta	224	Euangelij predicatio perpetuo in orbe uulganda	215
Ecclesia in tres ordines diuisa	227	Euangelij religio uetus religio	240
Ecclesia munita Christo contra oia aduersa	208	Euangelij sonitus per tintinnabula adumbratus	228
Ecclesia uera	228	Euangelio credentes sanctificantur in sacerdotes	225
Ecclesie columnæ	218	Eucharistici sacrificij cærimoniæ	238
Ecclesie ministri externa cõfessione sint cõtenti	47	Ex auditio	75
Ecclesie curam Christus gerit	224	Exemplar Mosi in monte monstratum	212
Ecclesie ianua omnibus aperta	221	Ex nomine nosse	216
Ecclesie ministrantes	217	Exodi libri dignitas	2
Ecclesie mysteria uulgata	221	Exodi libri utilitas	4
Ecclesiam alius alia re iuuat	212	Expiatio peccatorum nostrorum in morte Christi	
Ecclesiastarum officium	252	consistit	218 219
Ecclesiastas suis quidam conuicijs proscindunt		Extremum iudicium	35
Ego sum qui sum	20 (167)	Exules confidant	14
Electi domini in omnibus genibus	62		
Electi multi	120	F	
Electi pauci	ibidem	Facies Dei	136 160
Electos suos Deus non in unum aliquem locum colligit	62	Facies Dei uerbum Dei	21
Electos suos quomodo Deus tractet	15	Faciã cõsummationem in gentibus &c. Jeremie	
Eliezer	24	30. & 45. quomodo exponatur	263
Elohim quid significet	29	Falsi testimonij genera	102
Eloquentia considerare idololatriæ species est	27	Fames non reuocet à uocatione Dei	74
El Sadai Dei nomen	36	Familiarum nostrarum exacta enumeratione non est opus	88
Ephod duplex	123	Fermentum quid significet	56
Ephod forma	ibidem	Fermentati panes in lege uetiti	64
Ephod quid fuerit	224	Fœdera inire cum hominibus alienæ religiõis	165
Ephod usus	223	Fœlicitas nulla solida in hoc seculo	79
Epicurei contemptores Dei & uerbi eius	1	Fœmoralia	130
Epicurei uentrem curant	ibidem	Fœmoralium usus	131
Episcoporum consecratio, num hoc tempore requirenda	234	Festorum ratio in Christianismo	58
Epitheta dei	41. 162	Festorum summorum oblationes	205
Es uiride uerden	22	Fides conseruatur conspectu uerbi Dei	72
Essentia & uulnus Dei	253	Fides in Christum qualis sit	57
Ero qui ero	20	Fides non differenda	ibidem
Esse nomen est incommutabilitatis	20	Fides parentum Mosi	9
Esus pomi letalis	57	Fides quantæ sit efficacis	68
Ethnicorum nugæ de Iudeis	59	Fides salus nostra	161
Euangelion alacriter capeffendum	65	Fidei alacritas	56
Euangelion continetur in umbris legis	233	Fidei Christi concio etiam in lege inuenitur	
Euangelion excitet in nobis spiritum orationis	215		123
Euangelion facile sine cruce excipitur	31	Fidei iusticia ante legem	62
Euangelion in agnis adumbratum	240	Fidem uiolantes	48
Euangelion non finistre audiendum	237	Fidelitatis Dei exempla	64
Euangelion oraculum Dei per Christum	228	Filij Mosi	13
Euangelion quidam sectantur ne uideantur aibe	67.		
Euangelion quidã sectantur ob licentiã carnis ibid.			

Filij sunt

I N D E X.

<i>Filij sunt monumenta diuinæ munificentie</i>	14	<i>Ieremie locus, faciam consummationem cunctis</i>	
<i>Forenses leges 95</i>		<i>gentibus, exponitur</i>	163
<i>Fortuna sumus insolentes 37</i>		<i>Ietro</i>	13
<i>Furti genera 90</i>		<i>Imagines in Christianismo quomodo abolende</i>	149
<i>Furans hominem</i>		<i>Imaginum usus apud Christianos indifferens</i>	88
G		<i>Imaginum usus in Christianismo qualis</i>	150
<i>Gallicus morbus 43</i>		<i>Imbecillitas hominum, etiam piorum</i>	38
<i>Gentes deum cognouerunt</i>		<i>Imbecillitatis agnitio, gradus ad consequendam</i>	
<i>Gentes quas deus iussit deleri</i>		<i>fortitudinem</i>	18
<i>Gentes significarunt uitam futuram</i>		<i>Imbecillitatis humane exemplum</i>	34
<i>Gentium communitio prohibita Iudæis</i>		<i>Imperia conseruantur iusticia & iudicio</i>	5
<i>Germaniæ sterilitas</i>		<i>Impia bona sunt exitio</i>	29
<i>Gerson filius Mosi 13</i>		<i>Impij indurati, iudicio dei relinquendi</i>	48
<i>Gosen 45</i>		<i>Impij pereunt suo merito</i>	49
<i>Gratiudinem testari acceptissimum opus deo</i>		<i>Impij quare tolerandi</i>	50
<i>Grando publicum supplicium</i>		<i>Impij semper querunt excusationes</i>	45
H		<i>Impiorum pretextus est Euangelion</i>	ibidem
<i>Hædus non coquendus in lacte matris</i>		<i>Impiorum & piorum discrimen</i>	34
<i>Herbe meræ dant odorem, ita uerbum Dei tracta</i>		<i>Impiorum spes uanissima</i>	66
<i>tum sen iur</i>		<i>Impios quare deus tolerat?</i>	49
<i>Heroica facta deus adiuuat</i>		<i>Impia murmura exaudiuntur</i>	75
<i>Hierusalem urbs sancta 27</i>		<i>Impietas difficile agnoscitur</i>	154
<i>Hierosolymitana deuastatio</i>		<i>Impietas non liberat e periculis</i>	6
<i>Holocaustum</i>		<i>Impietatis exemplum</i>	52
<i>Holocausti significatio</i>		<i>Impietatis opes maledictæ</i>	149
<i>Homo mendax, deus uerax</i>		<i>Impietati carnis quomodo occurrendum</i>	73
<i>Homo nequit legem dei implere suis uiribus</i>		<i>Impietatem relinquenti accidunt pericula</i>	12
<i>Homines in officio retinet uerbi dei respectus</i>		<i>implere manus quid sit?</i>	132
<i>Homines omnes quales sint natura sua</i>		<i>Impoenitentes perduntur</i>	107
<i>Hominum curiositas in perscrutanda Dei maiesta</i>		<i>Impoenitentia indurata natura</i>	51
<i>te</i>		<i>Impotens Saronæ potentia</i>	44
<i>Hominibus etiam pijs nihil imbecillius</i>		<i>Industria dei</i>	28 51
<i>Homicidij lex 97</i>		<i>industriæ dei exemplum</i>	28 51
<i>Homicidiorum genera</i>		<i>Incredulitati quomodo medendum</i>	156
<i>Honestas publica exigitur</i>		<i>Indurabo cor Pharaonis quomodo intelligendum</i>	
<i>Honoris nomen quam late pateat</i>			29
<i>Horeb mens 15 32</i>		<i>Induratio Pharaonis</i>	ibidem
<i>Humani cordis insatiabile desiderium</i>		<i>Induratio Pharaonis quomodo facta</i>	51
<i>Humane imbecillitatis exemplum</i>		<i>Induratio quomodo fiat</i>	29
<i>Humani ingenij tarditas</i>		<i>Infirmis parcendum</i>	106
<i>Humanitas discenda</i>		<i>Infortunio desperamus</i>	37
<i>Hypocritæ non solum grauius, sed & peri</i>		<i>Ingratitudo hominum</i>	3 37
<i>culose peccant</i>		<i>Ingratitudo Israelitarum erga Mosem</i>	12
<i>Hypocritarum duo genera</i>		<i>Ingratitudo Israelis</i>	34
<i>Hypocritarum pœna, qui indumento cucullæ,</i>		<i>Ingratitudinis exemplum</i>	ibidem
<i>abstinentia carniū &c pollicentur sibi ui</i>		<i>In infantes saure tyrannicum</i>	6
<i>tam & felicitatem</i>		<i>iniuriam patientes deus respicit</i>	15
I		<i>Iobelis locus, mūdabo sanguine &c, exponitur</i>	163
<i>Ish uiuides bei dem uorigen ERO bleiben</i>		<i>Ira Mosi heroicus spiritus</i>	149
<i>lassen</i>		<i>Irae dei uas Pharao</i>	38
<i>Ieiunium quadragesimale</i>		<i>Israel primogenitus Dei filius dicitur</i>	39

I N D E X.

Israel reiectus à iure primogenituræ	30	Leuitarum maledictio in benedictionem uertitur	
Israelite & Christiani peccatores	145	Leuitarum obedientia & pietas	151. (153)
Israelite impij in Aegypto fuerunt	6	Liberalitas dei erga obediētes fidei	10
Israelite impij ut Aegyptij	6	Liberalitas hominum præpostera	148
Israelitarum impietas	33	Liberatio à peccatis	63
Israelitarum multiplicatio	1	Liberatio ex Aegypto inculcatur	ibidem
Israelitarum timor	107	Liberatio ex Aegypto non meritum hominis	
Israelitas cur deus respexerit	14	sed gratia dei	39
Iudæorum orationis catechismus	142	Liberatio ex Aegypto gradus	99
Iudicum condiciones & iudicum officium	103	Liberatio ex Aegypto publicum orbis spectaculum	ibidem
Iudicium dei particulare	35	ibid. Liberatio Israelitarum ex Aegypto declarata Deum esse uerum potentem &c.	63
Iudicium dei uniuersale	ibid.	Libertas Christiana	123
Iudicio dei dilato quid agamus	ibid.	Libertas Israelitarum	94
Iulius Cæsar gloriam maiorem duxit Catone uero quam mortuo patiri	49	Liberorum disciplina	207
Iumentorum pestis publicum supplicium est	48	Librorum noui testamenti confirmatio	92
Iurare prohibetur	89	Ligna Suiim	110
Iuramentum legitimum	100	Locustæ publicum supplicium	52
Iusticia fidei ante legem fuit	61	Locustarum pestis	ibidem
Iusticia humana putrida	36	Locus tentationis & contentionis	78
Iustificamur fide in Christum	31	Locus sanctus unde	18
L		Log	140
Labor ex uocatione dei	75	ibidem Longanimitas dei epitheton	42, 191, 162
Laborantes ex uocatione dei	ibidem	Loto uestimentorum in sacris	85
Lang zu hof lang zu hell	11	Longanimitatis exemplum	161
Lamina Aheronis cuius usus fuerit	229	Lucernarum usus	116
Lapides in Hosien quid significant	226	Luctus carimonie sunt peccatorum confessio	157
Lex data & Lex naturalis	92	Luctus insignia apud Iudæos	ibidem
Legis concio & Legis duæ tabule	114	Lugentium Christianorum insignia	ibidem
Legis impletio Christus	86	M	
Legis energia in peccatoribus	166	Magistratus ciuilis approbatur	96
Legis natura & Legis usus	ibidem	Magistratus officium	107
Legis opus in conscientia hominum	83	Magistratus optimi exemplar Mose	82
Legem dei quis impleat	76	Magistratus sinentes Euangelion predicare tibi	
Leges adduntur promissiones	94	more seditionis	49
Leges cerimoniales	35	Magistratum uaria genera	150
Leges ciuiles ordinatio dei	99	Magistratus sacra sanctus & inuiolatus	32
Leges inter arma silent	94	Maledictis non reueramus maledicta	13
Leges iudiciales	ibidem	Maledictio Cham	106
Leges morales	ibidem	Maledictio Leuitarum in benedictionem	151
Leges naturales clamant & iubent defensionem	99	Maledictiones uertuntur in benedictiones, quomodo?	152
Leges sunt donum dei	86	Maleficæ puniuntur	100
Leges uariæ	96	Malefacere benemerita crudelissimum	6
Legum conseruatio fortunata & foelix	106	Maleficorum miracula	43
Legum in israel confirmatio	108	Malis artibus nemo querat altiora	79
Legumlatores gentium	2	Manna cum Christo collatum	78
Legumlatores gentium finxerunt deos ipsis legem dedisse	86, 110	Manna quid?	74
Legum ordo triplex	94	Manna miraculi uilitas	ibidem
Leonis clemencia	6	Mansiones filiorum Israel in deserto	75
Legumlatore oblationis	212	Manus leuare	32

I N D E X.

Matinum imposito	134.	Mare rubrum	66	Mose adoptatus in filium filie Pharaonis	18
Marii boni exemplum	Mose		28	Mose miraculorum dono ornatur	25
Massameriba, locus tentationis & contentionis	78	Mose potentissimus in aula		Mose prapostere paciens	70
Matrimonium contrahentes cupiditate carnis	31	Mose uxorem ad patriam remittit		Mose autoritas	30
Matrimonium quomodo feliciter incundum sit	ibi.	Mose autoritas in Aegypto	110 10	Mose alia uocatio quam Ioseph	21
Matrimonij consecratio	132	Mose afflictio in exilio		Mose autoritate confirmata, confirmatur tota scri	19
Matrimonia hominum diuersarum religionum	155	Mose auctoritate confirmata, confirmatur tota scri	92	Mose charitas erga israelitas	152
Mendacium occidit animam	7	Mose clamor ad deum		Mose claritudo & amplitudo	68
Mentiri & dissimulare differunt	22	Mose collatio cum legumlatoribus gentium		Mose eruditio & auctoritas	10
Mense significatio	115, 119	Mose eruditio & auctoritas	102 (47	Mose & Pharaonis contentio	20
Mensum ordinatio necessaria	55	Mose & Pharaonis contentio	132	Mose fides	54
Mense usus in tabernaculo	115	Mose fides	10	Mose filij	18
Ministri ecclesie cur non petant ordinationem	133	Mose fuga ex Aegypto	13	Mose homicidium heroicis impetus	ibi.
ab episcopis hodie		Mose homicidium heroicis impetus	31	Mose nomen	9
Ministri ecclesie contenti sunt externa confessione	133	Mose nomen	9	Mose parentes	8
Ministorum ecclesie stipendia	102 (47	Mose prapostera formido	40	Mose quid in itinere contigerit	28
Ministorum ecclesie consecratio	132	Mose quid in itinere contigerit	43	Mose uelamen	160
Ministorum ecclesie pericula	133	Mose uelamen	160	Mose uocatio	10
Ministorum uerbi iniuriam uindicat deus	13	Mose uocatio	10	Mosen Turca & Gentes probant	7
Ministerij uerbi commendatio	31	Mosen Turca & Gentes probant		Mouenda	112
Miraculum columnae nubis	65	Mouenda	39	Mulierum imperia in maritis magna damna affe	30
Miracula edunt & impij	40	Mulierum imperia in maritis magna damna affe	105 51		ibi.
Miracula impiorum	43	Mulierum imperia in maritis magna damna affe	105 51		ibi.
Miracula in mari rubro	68	Mulierum imperia in maritis magna damna affe	105 51		ibi.
Miracula Mose & Aheronis uera & diuina	39	Mulierum imperia in maritis magna damna affe	105 51		ibi.
Miracula philosophorum Aegyptiorum ludibria	39	Mulierum imperia in maritis magna damna affe	105 51		ibi.
Satane	39	Mulierum imperia in maritis magna damna affe	105 51		ibi.
Miraculorum usus	105 51	Mulierum imperia in maritis magna damna affe	105 51		ibi.
Missam dicere sacrificium pro peccatis est sacrilegium	134	Mulierum imperia in maritis magna damna affe	105 51		ibi.
Miseri respiciuntur à deo	14	Mulierum imperia in maritis magna damna affe	105 51		ibi.
Misericordia dei	161	Mulierum imperia in maritis magna damna affe	105 51		ibi.
Misericordia dei seruumur, non nostris meritis	160	Mulierum imperia in maritis magna damna affe	105 51		ibi.
Misericordiae dei usus Mose	39	Mulierum imperia in maritis magna damna affe	105 51		ibi.
Misericordiae diuinae exemplum	165	Mulierum imperia in maritis magna damna affe	105 51		ibi.
Mittere manum quid significet	109	Mulierum imperia in maritis magna damna affe	105 51		ibi.
Modestia Ietro	82	Mulierum imperia in maritis magna damna affe	105 51		ibi.
Modestiae exemplum Mose	83	Mulierum imperia in maritis magna damna affe	105 51		ibi.
Modestiae exemplum	28, 32, 83	Mulierum imperia in maritis magna damna affe	105 51		ibi.
Monarchia Alexandri Magni	46	Mulierum imperia in maritis magna damna affe	105 51		ibi.
Monarchia Babylonica	46	Mulierum imperia in maritis magna damna affe	105 51		ibi.
Monarchia Persica	ibi.	Mulierum imperia in maritis magna damna affe	105 51		ibi.
Monarchia Romana	ibi.	Mulierum imperia in maritis magna damna affe	105 51		ibi.
Monarchiae in quibus reuelatum est uerbum dei	ibi.	Mulierum imperia in maritis magna damna affe	105 51		ibi.
Monarchiae quatuor	ibi. (ibi.	Mulierum imperia in maritis magna damna affe	105 51		ibi.
Morbis Gallicis	43	Mulierum imperia in maritis magna damna affe	105 51		ibi.
Mose exemplum modestiae	82, 32	Mulierum imperia in maritis magna damna affe	105 51		ibi.
Mose exemplar optimi magistratus	92	Mulierum imperia in maritis magna damna affe	105 51		ibi.
Mose agnoscit suam imbecillitatem	18	Mulierum imperia in maritis magna damna affe	105 51		ibi.
Mose exemplum boni mariti	28	Mulierum imperia in maritis magna damna affe	105 51		ibi.
Mose ex spiritu sancto locutus	2	Mulierum imperia in maritis magna damna affe	105 51		ibi.
Mose antiquissimus scriptor	2, 3,	Mulierum imperia in maritis magna damna affe	105 51		ibi.
Mose aulam reliquit	10	Mulierum imperia in maritis magna damna affe	105 51		ibi.

N

Neglectoris & cessatoris poena	98
Nomen Dei יהוה	36
Nomen dei quid	21, 22, 30, 89
Nomen dei tetragrammaton	12
Nominis Adoni significatio	161
Nomine nosse	158
Nomina dei	36
Nomina rebus imposita	19
Nosse ex nomine	258

I N D E X.

O	tura	
Obedientia	108	2
Obedientia ex fide oritur	32	97
Obedientia erga deum unde proueniat	59	39
Obedientia uerbi dei quomodo fiat	39	4
Obedientie exemplum	31.32.37	36
Obedientie inchoatio	93	143
Oblationes quatuor summorum festorum	105	14
Obstetricum amentum sine	7	107
Obstetricum Aegyptiarum pietas	ibidem	150
Obstetricum mendacium	ibidem	75
Odium peccati in deo quantum	164	29
Officium quodlibet habet sua pericula	19	269
Oleum significat spiritum sanctum	121	150
Onychinorum lapidum usus in sacris	124	134-135
Opera bona piorum	137	47
Opera externa quomodo iudicanda	152	
Opera nostra non possunt coram deo consistere	87	ibidem
Opera uere bona quae sint	137	
Operum dei ratio	136	42
Operum iusticia imperfecta	112	146
Opificia mechanica commendantur	222	48
Opificiorum ars donum dei	144	125
Opiniones bonae formidandae	147	126
Oppressi confidunt non conuiciuntur	15	127
Oppressorum clamor exauditur	ibidem	44
Oratio ex fide quantum habeat energiam	80	39
Oratio piorum efficax	148	83
Oratio per thymiana significatur	141	43
Orationis pie energia	68	44
Orationis pie formula	149	83.104
Orationis spiritus unde inflammetur	164	46
Oraculum dei per Ephod & Hofen	126	47
Ossa Christi integra	62	54
Ordinatio ministrorum Euangelij cur non ab episcopis hodie petatur	133	51
		50
		92
		18
		43
		23
		34
		148
		40
		9
		74
		88
		164
		1
		29
		158
		44
		47
		18

P

Præcepta

I N D E X.

Præcepta personalia & generalia differunt	23	Rubus ardens 10	Rubi ardor miraculum	10
Prætoria in politica Christianorum	156	Rubi varia interpretatio		ibidem
Præceptum primum	87	Rubi angelus loquitur & dominus		ibidem
Præceptum secundum	89	S		
Præceptum tertium	ibidem	Sabbati explicatio 9.	Sabbati institutio	144
Præceptum quartum	90	Sabbati observatio		104.144
Præceptum quintum	ibidem	Sacerdotium cur institutum		104
Præceptum sextum	ibidem	Sacerdotium Aheronis Christum adumbrat		123
Præceptum septimum	ibidem	Sacerdotes adumbrant omnes Christianos		123
Præceptum octavum	91	Sacerdotes odio habiti		13
Præceptum nonum	ibidem	Sacerdotale regnum 84	Sacrificium Christi	109
Præceptum decimum	ibidem	Sacrificium pro peccatis		85.133
Privilegia ecclesiastica	97	Sacrificia Deo gratia		119
Primogenitorum sanctificatio	62	Sacrificia hypocritarum		109
Primogenitorum sanctificatio quam utilitatem habuerit	63	Sacrificia significant Christum		119
Primitiæ & decimæ cur exigantur in lege	ibidem	Sacra Israelitarum cæchismi descriptio		108
Promissio dei potentior hoim crudelitate	6	Sacramentorum usus in ecclesia		127
Promissio dei fortior exercitu	18	Sadai quid significet 30	Sanctus locus unde 10	
Promissiones dei asyllum in oibus aduersis	67	Sanctæ terra Canaan		17
Promissiones uocationibus additæ	19	Sanctæ urbs Hierusalem		ibidem
Promissionum diuinarum certissima constantia	1	Sanguis agni paschalis sanguis Christi		87
Prudentia Mosi	28	Sanguis aspersus postibus Israelitarum		98
Psalmi gratitudinis testimonium	69	Sanguinis adumbratio		137
Psalmi conseruant miraculorum memoriam	ibi.	Sanguinem Christi conculcare		155
Psalmore cantus deo gratissimus	ibidem	Sanguinis aspersio quid significet		109
Psalmore utilitas	71	Sapientia humana stultitia		119
Pulli curantur a senioribus	69	Satan autor peccati		19
Pupilli	101	Satana religio tranquilla		40
Puritas & continentia in sacris	85	Schem Hamphoras 68	Schilo	20
Pustule gallicæ	43	Scriptura organon spiritus sancti		81
		Scripturæ diuine autoritas		1
		Seculi mores		3
		Securitas carnalis uitanda		69
		Securitas carnalis damnatur		69
		Seditio aduersus Moysen propter abrogatidem uitu		151
		li		
		Seminis Abraham multiplicatio		60
		Senips e regione danigrat		44
		Serpens æneus sanat aspicientes		57
		Seruamur misericordia Dei, non nostris meritis		125
		Seruorum conditio		956(10)
		Seruorum utilitas in lege		98.
		Seuerus dei epitheton 41.	Seueritatis dei	70
		Seueritatis dei exemplum		81
		Siclus quid sit		143
		Sicli colla io quam utilitatem attulerit		ibidem
		Sollicitudo uictus		97
		Spes ipsorum uanissima		68
		Soluere calciamentum quid		17
		Spoliare Aegyptum		83
		Stupri pœna		100
		Stupri expiatio		100

Q

Qualis rex talis populus				
Quatuor summa festa	105			
Querela sanctorum quod dominus sinat impijs	be			
Querere dominum	156	(ne esse	24	

R

Ramses	60	Raguel	13	
Ranarum multitudo	43			
Ranis pulsa quædam ciuitas in Gallia	43			
Rationis humane industria	91			
Rationalis seu pætoralis usus	125			
Regnum Aegyptiacum clarissimum fuit	41			
Relicta ex uocatione dei	81			
Religio uera salutis	82			
Religio uera & falsa	40			
Religionis instituta	4			
Respublicæ diuinitus constituta	2			
Respublicæ institutio	4			
Resurrectio mortuorum	18			
Reuelationes dei	10			
Romana monarchia	46			

I N D E X.

Supplicia Aegypti cur recenseantur	41	Verbi Dei thesaurus	ibidem
Supplicia ad peccati cognitionem inuident	42	Verax deus	48
Supplicia deus peccatoribus immittit ad poenitentiam	43	Veritas Dei illustratur	75
Supplicia Aegyptiorum quid significant	44	Veritas quo magis opprimitur eo magis augetur	7
Supplicia inuident nos ad obedientiam	42	Vestimenta ecclesiastica	29
Suppliciorum diuinorum ratio	154	Vestimentorum lotio in sacris	85
T			
Tabernaculum Mosi	155	Vestis serica summi sacerdotis	118
Tabernaculum testimonij publica parochia in Israel	121	Vestes Aheronis Virtutes Christi significant	124
Tabernaculi partes	117	Vestium usus in sacris Mosais	122
Tabernaculi usus	ibid.	Vestium usus in ecclesiasticis sacris	ibidem
Tabernaculorum festum	104	Vff genad und ungenad annemen	62
Tabulae decalogi	145	Victus aequalitas inter homines	76
Tabularum usus in tabernaculo	118	Victimam praebet Deus sequentibus uocationem suam	74
Templa Christianorum sancta	37	Victus unde nobis proueniat	ibidem
Tenebrae publicum supplicium	52	Videre in scriptura	146
Tenebrae sunt ubi non est uerbum Dei	ibidem	Vidua	101
Testamentum maiorum religiose conseruanda	66	Vilitatis tempore bonus pater familias reponit sibi necessaria	58
Testimonij falsi genera	102	Vindicta priuata prohibita	44
Thumim quid significet	128	Vincula quibus deus retinetur	148
Thymianatis cerimoniae fuerunt Iudeis catechismus orationis	142	Virga in colubrum uersa	89
Timor dei	6	Virge eleuatio parit Israelitis uictoriam	80
Timor Israelitarum	807	Vita aulica compendium ad infernum	21
Tinnabulorum usus	128	Vlcera & apostemata sunt publicum supplicium	35
Tributorum de fraudatio	142	Vniuersale & particulare iudicium dei	ibidem
Tunica stricta Aheronis	829	Vocatio Christianorum	116
Turris Babylonicae ostentatio	136	Vocatio Dei securitatem adfert	152
V			
Vbi uerbum dei, ibi aduersarij	40	Vocatio Mosi	16
Vbi desinit hominum auxilium, ibi incipit diuinum	24	Vocationi suae seruiendum ut ut alij uiuant	152
Vestium significatio	116	Vocationem dei sectantibus imminent pericula	26
Veli usus & significatio	ibidem	Vocationem dei afflictiones comitantur	60
Vela nen Mosi	159	Vocationum diuinarum maiestas	27
Venerata & noxia animalia publicum supplicium	96 (45)	Vocationum diuinarum fortuna & ratio	89
Vendens filiam suam pro famula	41	Vocationibus adduntur promissiones	19
Verax dei epi-heton	21	Vocaturus deus aliquem ex humili officio, ubi; inuenit eum	ibidem
Verbum dei facies Dei	84	Vocatis praedicantur afflictiones	23
Verbum dei fons benedictionis	39	Vocati illegitime nullum habent successum	19
Verbum dei ordinarium organon spiritus sancti	39	Voluntas dei promouet inuitis omnibus aduersarijs	8
Verbum Dei thesaurus	27	Voluntas non essentia dei inuestiganda	87
Verbum dei uera lux	51	Voluntas dei durat	88
Verbi dei conspectus retinet homines in officio	26	Voluntas reuelatur per uerbum	85
Verbi dei externum ministerium commendatur	21	Vrbs Hiericho	17
Verbi dei contemptus	48	Vrim & Thumim quid fuerint	125
Verbi dei & diuinarum promissionum explicatio	39. 40 (37)	Vrim quid significet	125
Verbi Dei potentia	37	X	
Verbi Dei repetitio quid faciat	37	Xerxis apparatus	96
Z			
		Zipora uxor Mosi	50



PRÆFATIO IN EXODVM.

*



QUOD fœlix faustumq; sit, Exodum, hoc est, Secundum librum Mosi pro mediocritate nostra interpretabimur. Primum ergo dicenda nobis quædam sunt, de diuinarum literarum autoritate. De inde commendandus est Mose, uetustissimus omnium sacrarum rer; scriptor. Postremo explicanda est etiam dignitas & utilitas huius libri, quem enarrandum suscepimus. Ac quanta sit diuinæ scripturæ autoritas, breuissimis explicandum puto. Vno enim, quod dicitur, uendibili non est opus hedera suspensa. Et cum nullus unquam bonus uir autoritatem sacræ scripturæ eleuauerit, atq; accusauerit, non iudicium sed insania esset, sollicitate eam defendere. Vnum tantum hominum genus est, quos Epicurei ^{Epicurei.} os uocant, qui ut bacchanalia uiuunt, ita contemnunt omnia sacra, & existimant religionem à prudentibus uiris ad terrendos malos excogitatum, adeoq; mera somnia ducunt, quæcunq; de Deo, deq; diuina scriptura dicuntur. His, etsi dignissimi essent, qui uicissim contemnerentur, ac diuinis potius uerberibus, quam humanis uerbis coercebantur, postea tamen, cum de Mose uerba fecerimus, non nihil respondimus. Quanta igitur obseruantia, quanta ueneratione, quanta ite religioe, diuina scriptura, quæ in ijs Bibliorum libris continetur, qui publice semper approbati sunt, & de quorum fide nunquam dubitatum est, suscipienda, atq; ut ita loquar, adoranda sit, summi ac præcipui Apostoli, Petrus & Paulus grauissime docent. Habemus, inquit Petrus, firmiorem sermonem propheticum, cui dum attenditis, ceu lucernæ apparenti in obscuro loco, recte facitis, donec dies illucescat, & lucifer exoriatur in cordibus uestris, si illud prius noueritis, qd omnis prophetica scriptura non sit priuatae interpretationis. Non enim uoluntate hominis allata est olim prophetia, sed a spiritu sancto impulsus, locuti sunt sancti Dei homines. Pauca recensuimus uerba, sed quibus maxima & clarissima testimonia de sacra scriptura, quam Petrus sua phrasi, prophetica uocat, continentur. Scripturæ enim au-

Scripturæ diuinae autoritas.

P R A E F A T I O.

tor dicitur, non hominis uoluntas, sed spiritus sanctus. Et uocatur, lucerna apparens in obscuro loco, quæ nos ducat ad perpetuum æternæ lucis splendorem. Quid de scriptura magis eximium dici potest? Paulus quoque, ille uidelicet, qui ab utero matris in Euangelion Dei segregatus fuit, qui organon Dei electum uocatus est, qui ad tertium cœlum, ac paradysum raptus, tanta uidit arcana, ut non potuerint humana lingua explicari, is, inquã, Paulus, ad Timotheon suum scribens, sacris literis hoc tribuit, q̄ possint hoïem eruditum reddere ad salutē per fidem, quæ est in Christo Iesu. Et addit, Omnis scriptura diuinitus inspirata, utilis est ad doctrinã, ad redargutiõem, ad correctiõnem, ad institutionē, quæ est in iustitia, ut integer sit Dei homo, ad oē opus bonum apparatus. Hac cõmendatione nihil excellentius dici potest. Nã si scriptura utilis est ad institutiõem iusticiæ, & potest ad salutem eruditū reddere, quid reliquum est, nisi ut quotquot uerã iusticiam & salutem sitiunt, necesse habeant suam sacrę scripturæ operam dare? Hæc summorū Apostolorū de scriptura testimonia, maximum habent autoritatis pondus. Sed si quis præter humana, (quam & Apostolorum testimonia diuina sint.) etiam cœlestia requirat, ea minime nobis ad confirmandam sacrę scripturæ maiestatem deerūt. Ac primū audiamus quid de scriptura Angeli sentiant. Nam cū archangelus Gabriel diuinitus esset missus ad sacerdotem Zachariam, ut adnunciaret ei admirabilem illam Ioannis Baptiste cõceptionem & natiuitatem, è scriptura cõcionem suam mutuatus est. Ipse, inquit, præcedet ante illum in spiritu & uirtute Elie, ut conuertat corda patrum in filios, & inobedientes ad prudentiam iustorū. Hæc archangeli uerba scripta sunt in propheta Malachia. Et postea, cum idē angelus reuelaret uirgini Mariæ nouam illam & stupidam filij Dei *σάρασι*, ut uocant, ex Esaia cõcionatur. Dabit, inquit, illi Dñs Deus sedem patris sui, regnabitq̄ super domum Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Quid? an non potuit tantę maiestatis angelus *χρηστικῶς ἢ σαραφικῶς* loqui? certe potuisset, sed maluit è scriptura concionem suam contexere, ut nobis suo exemplo summam scripturæ autoritatem & ueritatē commendaret. Deinde, si forte angeli abiectiores iudicarentur, q̄ ut tantam rem confirmare possent. Christus ipse filius Dei, non aliunde fere, quam è scriptura conciones suas mutuatus est. Non iam commemorabo eas conciones, quas è scriptura ante mortem suam habuit, sed quas habuit post resurrectionē suam a mortuis. Nam cum proficisceretur una cum duobus discipulis ad Emauētē, exorsus, inquit Euangelista, a Mose & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in oïbus scripturis, quę de ipso erant. Et sequitur. Necessè fuit, inquit Christus, impleri oïa, quę scripta sunt in lege Mosi & prophe-

& prophetis & psalmis de me. Hæc uidentur fortassis magis uulgaria & protrita, quam quæ debeant in præfatione, tanquam in illustri ori loco recitari, sed si probe ea perpendas, nihil potuisset de maiestate sacræ scripturæ excellentius dici. Christus enim iamprimum clarissimam è morte & inferno uictoriam reportans, & in cœlesti patris sui gloria acquiescens, non nisi è Mose, e prophetis, e psalmis, breuiter, e scriptura concionatur. An non putas Christum potuisse non solum angelica, uerumetiam super cœlesti lingua loqui: sed uoluit è Mose, e prophetis, e psalmis concionari, ut significaret nihil nobis prius habendum, nihil maiori studio consecrandum scriptura. Postremo ne & pater Domini nostri Iesu Christi, omnipotens rerum omnium creator in confirmanda scriptura a symbolus esset, maluit & ipse e scriptura concionari, quam nescio quod portentosum genus sermonis affectare. Nam cum Christus in terris uersaretur, testantur Euangelistæ uocem patris aliquoties in terra de cœlo auditam fuisse, uidelicet, cum Christus a Ioanne baptizaretur, et cum in monte Itabyrio coram tribus discipulis transformaretur. Fuit autem hæc uox: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene placitum est, Ipsum audite. Breuissima quidem hæc est patris de filio suo concio, ea tamen contexta est e tribus præcipuis prophetis. Prior enim pars sumpta est e psalmo Dauidis secundo, & Esaia capite quadragesimo secundo. Posterior sumpta est e Deuteronomio Mosi capite decimo octauo. Quid, obsecro, adegit cœlestem patrem, concionem suam tam breuem, e Mose & prophetis contexere? an non habuit uel diuiniora uerba, uel sublimiores sententias, quam scripturæ, e quibus concionem de filio suo institueret? Quid autem est Domino Deo nostro *τεχνικώτερον*? Sed placuit ipsi, posthabita maiestate sua uerbis prophetarum uti, non tantum ut ostenderet hunc Iesum esse uerum Christum per prophetas pmissum, sed etiam ut redderet nobis scripturam quæ commendatissimam. Cum igitur non tantum præcipui Apostoli, uerumetiam angeli cœlestes, adeoque Deus ipse pater, filius & spiritus sanctus, tanta, tamque præclara testimonia de scriptura tulerint, & eam nobis, tanquam organon ueræ ac perpetuæ salutis nostræ proposuerint, agite dum, amicissimi, declaremus gratitudinem nostram erga tantum Dei beneficium, suspiciamus scripturam, & ut Christus ait, scrutemur eam, ut quæ nobis in ea promissa sunt, per Christum consequamur. Sed quo scriptura commendatior fiat, de Mose etiam, omnium præcipuo sacrarum rerum scriptore, quedam *ὄνκ ἀποσφύρισμα*, ut nobis quidem uidei, dicemus. Nā si autoritas Mosi cōstiterit, scriptura ipsa tota in tantum confirmabitur, ut etiam palam *ἀθεοί*, & ois religionis contemptores, Epicurei, aduersus eam ne mutire quidem uel possint, uel au-

Scriptura, salutis nostræ organon

Mosei

deant. Ac non est difficile Mosen commendare his, qui scripturae si-
dem adhibent. Nam, ut preteream stupenda miracula, per Mosen in
Aegypto, in mari rubro, & in deserto Arabie edita, quibus autoritas
eius diuinitus confirmata est, clarissimum extat testimonium e caelo,
q̄ nullus unquam propheta Mose illustrior, & Domino Deo nostro
familiarior extiterit, Etenim, quemadmodum Exodus commemorat,
cum Mose eduxisset Israelitas ex Aegypto, & peruenisset ad desertū
Synai, audit Dominum e caelo clamantem. Iam nunc ueniam ad te in
caligine nubis, ut audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi
in perpetuum. Ac mox testatus presentiam suam horribili tumultu et
micantibus fulguribus, recitauit Mosei Decalogum, tam clara, tamq̄
manifesta uoce, ut eam plus q̄ sexcēta millia hominum non solum ex
audierint, uerumetiam propter maiestatem uehemēter exhorruerint.
In ore duum aut trium, inquit scriptura, stat oē testimonium. Quan-
ta ergo Mosei autoritas erit, cui non tm̄ duo aut tres, sed plusq̄ sexcen-
ta millia hoīm testimonium ferūt, q̄ his auribus suis audiuerint, De-
um ipsum cum Mose colloqui. Accedit huc, q̄ quae Mose uaticinatus
est, ea re ipsa ita impleta sunt, ut manifeste appareat spiritū sanctum
per Mosen locutum. Vt interim non addam, quantam habeat passim
in nouo testamēto à Christo ipso unigenito Dei filio autoritatis suae
commendationem. Qui enim p̄ sunt, ijs maiori autoritate habetur
Mose, q̄ ut pluribus commendari debeat. At uero impijs & religio-
nis contemptoribus, Mosen commendare, hoc demum opus, hic la-
bor. Hi enim, infandum, perfricta fronte publice iactare non ueren-
tur, Mosen ingressum in nubē, aliquamdiu secum, nescio quae cogitas-
se, deinde regressum ad populū, finxisse sibi colloquium fuisse cum
Deo, ut hoc astu rudibus imponeret, ac psuaderet, leges suas diuina
esse oracula, & redderet eos religionis opinione obediētiores. Ac cō-
ferunt Mosen cum legumlatoribus Ethnicorum, qui & ipsi retulerūt
leges suas in deos autores. Zoroaster tulit leges Bactrianis et Persis,
ac retulit eas in Oromasin. Zamolxis dedit leges Scythis, & retulit
eas in Vestam, Minos Cretensium in Iouem. Lycurgus Lacedaemo-
niorū in Apollinem. Numa Pompilius Romanorū in deam Ageriā.
His & multis alijs addunt etiam Mosen, perinde ac si & ipse in eorū
catalogo continerēt, qui psuadendi tm̄ gratia finxerunt sibi cum dñs
congressus esse. Sed horū impietas tanta est, ut magis sit contemnēda
q̄ refellenda. Et si enim alijs legumlatores, cū referrent leges suas in au-
tores deos, recte senserunt, Respub. non humanitus sed diuinitus cō-
stitui, detinuerunt tm̄ ueritatē in iniusticia, quemadmodū Paulus ait,
dum statuerunt sibi factitios deos, & cum Deum cognouerint, non
ut Deum glorificauerūt. Mose aut ut recte perspexit, Resp. diuinitus
constitui,

Mose cum le-
gislatoribus
gentium col-
latus,

Resp. non hu-
manitus, sed
diuinitus con-
stituentur.

constitui, ita uerum Deum uere agnouit, coluit, adorauit, & praedica-
 uit, id quod adeo manifestis & perspicuis, tam scripturae, quam miracu-
 lorum, aliarumque rerum argumentis comprobatum & confirmatum
 est, ut superuacaneum sit ea hoc loco commemorare. Quare Mosen
 Ethnicorum legumlatoribus conferre, nihil propemodum aliud mi-
 hi uidetur, quam coelum terrae miscere. Sed ne hos impios, qui ore suo
 blasphemus auctoritatem Mosi sordidare conantur, temeritate magis
 quam iudicio contemnere uideamur, agite, obstruamus eis ora, & quia
 pugnant humanis rationibus, iugulemus eos suo ipsorum gladio, hoc
 est, respondeamus eis, humanae rationis argumentis. Mose enim scri-
 ptor est, omnium eorum, qui extant, antiquissimus. Vixit enim ante
 Troianum bellum quingentis plus minus annis. Et quantum inter ali-
 os scriptores pauci quidam meminerunt eorum, quae a tempore Ni-
 ni, in Babylonia, prima omnium Monarchia gesta sunt, maxima ta-
 men pars Graecorum scriptorum, historiam eorum tantum temporis
 conscripserunt, quae fuerunt post primam Monarchiam. Mose uero,
 ut aetate praecelsit omnes alios scriptores, ita ea quoque conscripsit, quae
 longe ante Ninum, ab initio orbis terrarum gesta sunt. Et uetustissi-
 mi quique scriptores mentionem faciunt Mosi & Iudaeorum, de quibus
 Mose scripsit, quemadmodum copiose docet Iosephus contra Appio-
 nem. Quid autem auctoritate antiquitatis magis suspiciendum? quid
 antiquitatis testimonio firmiter atque certius? Antiquitas enim, ut ille
 ait, quo propius aberat ab ortu & diuina progenie, eo melius ea, quae
 erant uera, cernebat. Et alius quidam affirmat temporis longinquitatem,
 uerissimam omnium probationem credi, adeoque antiquitatem
 proxime ad deos praecedere. Sed & natura ipsa tacita commendat no-
 bis auctoritatem, ac ut ita dicam, diuinitatem antiquitatis, dum illi, qui na-
 turalem humane rationis ductum maxime sequuntur, ad antiquitatem
 sua omnia referre, & ex antiquitate commendabilia reddere student.
 Sic origines gentium, sic origines familiarum, ad antiquitatem refe-
 runt, existimantes se tanto excelsiores, ac quodammodo diuiniore, quam-
 to habeant uel gentis uel familiae suae uetustiore originem. Quare ut
 Mose superat tempore aetatis suae omnes alios scriptores, ita necesse est,
 ut etiam superet eos fide, ipsa etiam humana ratione iudice. Accedit
 hoc, quod non solum superius, uerum etiam posterius tempus, maiestatem Mo-
 si commendat. Tamen si enim Mose a nonnullis quondam impijs hominibus
 male audierit, procedente tamen tempore auctoritas eius ita confirmata
 est, ut iam, quot publico gentis nomine censentur, Mosen, ut uerum pro-
 phetam suspiciant & admirentur. Iudaei Mosen amplectuntur, Turcae &
 Saraceni Mosen probant, Christiani Mosi suum honorem tribuunt. Et
 haec sunt praecipuae gentes, quae his temporibus terram incolunt. Te-

Mose scri-
 ptor antiquis-
 simus.

Antiquitatis
 auctoritas.

Ciceronis
 Tus. quest.

Temporis te-
stimoniū cer-
tissimum

stimonio autem temporis nihil fere certius esse, uel hoc probat, quod ueritas temporis filia dicatur.

Αγχιδιε πρὸς φῶς τὴν ἀληθείαν χρόνος:
Μακρὸς γὰρ αἰὼν συμφερέας πολλὰς ἔχει.

Et Sophocles.

Αλλ' ἐν χρόνῳ γνῶσκ τάδ' ἀσφαλῶς ἐπεὶ χρόνος δίκαιον ἀνδ' ἄρα δεικνυσί μόνος,
κακὸν δ' ἐκᾶν ἐν ἡμέρᾳ γνοίης μῆ.

Tempore, inquit, probe omnia cognosci. Solum enim tempus bonum uirum ostendit, malum autem uno etiam die cognosces.

Et idem alias,

καὶ πάντ' ἀκούων, πάντ' ἀναπτύσσει χρόνος,
ἀπανθ' ὄρων,

Tempus, cum omnia uideat, & omnia audiat, omnia etiam explicat, & in lucem profert.

Et Xenophon.

συνεμαρτύρει τὰντα αὐτῷ ἢ ὁ ἀληθείας τοσ λεγόμενος χρόνος.

Tempus uocat ἀληθείασ τον, quo epitheto perspicue explicat, temporis testimonio nihil esse uerius. Cum igitur tempus auctoritatem Mosis ita confirmauerit, ut omnes, quæ nunc sunt gentes, Mosen approbent, non ratio, sed infania est, Mosis suam maiestatem detrahere, & imposturæ accusare. Porro, confirmato Mose, autoritas etiam totius scripturæ, tam ueteris, quæ noui testamenti confirmata erit. Et si enim Iudæi & Turcæ, pro suo ingenio, scripta Mosis in præcipuis locis de religione impie interpretantur, Christiani tamen, manifestis argumentis, quæ nunc recensere, nec tempus nec locus est, demonstrare possunt, tam prophetas, quæ Christum ipsum, & Apostolos eius, è Mose recta & uera docuisse. Quare confirmata Mosis auctoritate, firma constabit, tam scriptura Prophetarum, quæ doctrina Christi & Apostolorum eius, hoc est, in uniuersum tota sacra scriptura, adeoque religio ipsa Christianismi, quæ in scriptura continetur. Hactenus de Mose. Nunc dicemus etiam pauca de dignitate & utilitate secundi libri Mosis, quem explicandum suscepimus. Hic ergo secundus liber ab Hebræis uocatur, **תולדות משה** hoc est, Hæc sunt nomina. Solent enim Hebræi libros pentateuchi, præcipuis uocabulis, quæ initio eorum librorum scribuntur, cognominare. Græci autem & Latini uocant Exodum, quæ in eo describatur exitus & liberatio Israelitarum è tyrannide Aegyptiaca. Porro de fide huius libri in Ecclesia, uel ante Christum, uel post Christum, nunquam dubitatum est. Continetur enim constanti omnium consensu in numero eorum uiginti quatuor librorum ueteris testamenti, quos Canonicos appellamus, & quorum autoritas sacrosancta est. Et quia Mose, quicum Deus facie ad faciem locutus est, sicut solet homo loqui cum amico suo, quemadmodum scriptura testatur, hunc librum conscripsit, sentiendum est, tantam esse huius libri

ius libri autoritatem, quantam Mofi esse, supra expo suimus. Huc ac-
 cedit, q̄ ex hoc libro Christus Dñs noster probet resurrectionem
 mortuor̄, qui est præcipuus religionis nostrę articulus. In Marco em̄
 ita ait. De mortuis, q̄ resuscitantur, an nō legistis in libro Mofi, quō
 in rubo locutus sit illi Deus, dicens: Ego Deus Abraam, Deus Isaac,
 Deus Iacob. Non est Deus mortuor̄, sed Deus uiuentiū. Paulus etiā
 probat ex hoc libro solam gratiā Dei esse caussam Electionis nostrę,
 id quod est summum Christianę doctrinę caput. Ad Romanos enim
 scribens, Quid, inquit, dicemus: num iniusticia est apud Deum? Ab-
 sit. Nam Mofi dicit. Miserebor cuiuscūq̄ misereor, & cōmiserabor,
 quemcūq̄ cōmiseror. Itaq̄ non uolentis est, neq̄ currentis sed mi-
 serentis Dei. Extant & alia testimonia de hoc secundo libro Mofi in
 libris noui testamenti. Sed quę recitauimus, ad confirmandam digni-
 tatem huius libri, in presentia sufficiunt. De utilitate aut̄ eius, quædā
 exponenda sunt. Primum em̄, in hoc libro describuntur multa atque
 clarissima exempla ueritatis diuinæ promissionum, exempla itē cle-
 mentię Dei erga afflictos, ac seueritatis & irę aduersus impoenitētes,
 quomodo in explicatiōe huius libri indicabimus. Vbi aut̄ præ-
 dicantur ueritas, clementia, & ira Dei, ibi hoīes uel ad fidem uerbo
 Dei habendam uocant̄, uel in fide conseruantur, ibi & in afflictioni-
 bus consolationem accipiunt, in timore Dei erudiuntur, & ad obedi-
 endum Deo impelluntur. Hic ergo liber utilis est ad alendam & con-
 seruandam in nobis fidem, timorem & obedientiam Dei. Deinde cō-
 tinetur in hoc libro, q̄d est maxie oīm obseruandum, institutio Reip̄
 Israeliticę. Deus enim promiserat patriarchis, Abraamo, Isaaco, & Ia-
 cobo, se multiplicatur̄ semen ipsor̄, ut fiat gens maxia, & populus
 celeberrimus. Nulla aut̄ populi multitudo, quantūuis numerosa, gēs
 legitima reputatur, nisi fuerit certis legibus & magistratibus, certaq̄
 religione constituta et ordinata. In hoc ergo libro describit̄ institutio
 publicę legis, institutio publicor̄ magistratuum, & institutio publi-
 cę religionis ac diuinor̄ cultuum in Israel, ut ex multis uarijsq̄ patri-
 archarum familijs, unum legitime reip̄. corpus constituat̄, nimir̄, ob
 hanc præcipue causam, ut certus sit populus, in quo promissiones de
 Iesu Christo, usq̄ ad aduentum eius in carnem, conseruentur. Tamet
 si aut̄ politia Mosaica tā ciuilis q̄ ecclesiastica, ad nos Christianos ni-
 hil ptineat, quippe qui iure Christianę libertatis alias politicas leges
 & magistratus, q̄ Mosaicos, in Rep. nostra agnoscamus, tamen quia
 in hoc libro continetur magna illa & gloriola promulgatio Decalo-
 gi, qui non solum est compendiaria summa, & breuis elenchus oīm
 humanarum & diuinarum legum, sed est etiam explicatio eius legis,
 quam Deus humanę rationi naturaliter insculpsit, & cuius obediē-

Exodi utili-
tas.Decalogi pra-
mulgatio.

tiam Deus ab oībus hominibus seuerissime exigit, hic liber, uel propter maiestatem Decalogi maxime oīm obseruandus est. Sunt enim duæ tm̄ conciones, quæ publicis miraculis & cœlestibus testimonijs ad salutem nostram orbi terrarū promulgatę sunt. Altera est cōcio Euangelij de Christo. Hęc concio primum quidem oīm in paradiso inchoata, ac postea inter Patriarchas & in Rep. Israelitica utcuncq; a prophetis tractata est. Postq̄ aut̄ Christus aduenit, reuelata est in toto orbe terrarum maximis miraculis, & confirmata est clarissimis e cœlo testimonijs. De qua re extant libri noui testamenti. Altera est concio Legis, quę in Decalogo tanq̄ in epitoma continetur. Hęc concio inscripta quidem est diuinitus humane rationi, sed quia humana ratio uiciata est per pct̄m̄ originis, necesse fuit, ut Deus de cœlo legē magna maiestate iterū reuelaret, atq; dilucida perspicuitate explicaret. Cū igitur in hoc secundo lib. Mosi, describat̄ ea gloria et maiestas, qua diuinitus reuelat̄ & confirmat̄ Decalogus, quę res, excepto Euangelio, maxia & clarissima oīm diuinorū operū in terra fuit, hunc librum nō aliter complectamur q̄ cœlestis thesauri *ταμειον* & promptuarium. Hęc uolui de autoritate scripturę, de autoritate Mosi, & de utilitate Exodi prefari, ut studiū sacrarū literarū non his tantum, qui ad publica Ecclesię ministeria erudiuntur, sed oībus, qui ueram & perpetuam salutem appetunt, commendet̄. Nec dubito, quin si ea, quę cōmemorauimus, altiori mente reponantur, in grauissimis conscientię certaminibus, ad pietatem maxime omnium sint profutura.

CAPVT I

HÆC SVNT NOMINA FILIORVM ISRAEL.)
 Repetit scriptura paucis ea quę in Genesi cap. xlii. de ingressu Israelis in Aegyptum scripta sunt. Repetit autem ea, primum ut hac orationis figura parat sibi uiam ad describendum exitum & liberationem Israelitarum ex Aegypto. Deinde ut inculcet nomina patriarcharum, e quibus genus Israeliticum descendit. Et hęc frequenter inculcantur in scriptura, partim, ut cōseruetur distinctio tribuum, cuius obseruatio necessaria fuit in Repub. Israelitica, propter diuisionē terrę, & propter regnum ac sacerdotiū, partim ut maneret certitudo eius gentis, quam Deus elegit, ut in ea conseruarentur Decalogus & promissiones de Christo, & ex qua Christus nasciturus erat secundum carnem. Postremo, ut, quod est precipuum, declaratur ex antithesi, quam constans, q̄ firma & quam inuiolata sit ueritas diuinarū promissionum. Dñs enim Deus noster promisit Abraę tantam seminis multiplicationē, quanta est arena maris, & multitudo stellarū in cœlo.

caelo. Suspice, inquit, caelum & numera stellas si potes, Sic erit semen tuum. Haec autem promissio uidebatur aliquantisper uanissima. Unus erat Abraam, Unus Isaac, in quo uocabatur semen Abrae. Unus & Iacob, cui promissio Abrae dicta applicabatur. Ac in Iacobo coepit quidem promissio Dei caput suum utcunq; attollere. Habuit enim Iacob duodecim filios, ex quibus familia Iacobi usq; ad septuaginta aetas, (sic enim scriptura hoies uocat) aucta est. Sed quid sunt septuaginta, ad innumerabilem multitudinem arenae maris & stellarum caeli? Postq; igitur Iacob & filij eius in Aegypto mortui sunt, ecce tibi, ne potes eorum ita multiplicantur, ut scriptura uix inueniat satis uerborum, quibus hanc multiplicationem explicet. Filij (inquit) Israel, paru germinauerunt, hoc est, ita fructiferi fuerunt, quemadmodum arbores fructus ferunt. *uajjrezu* & ebullierunt, in morem reptilium aut aquatiliu. *scharaz* enim significat reptile. *uajrbu* & multiplicati sunt magna copia, *uajjafinu* & roborati sunt ingenti fortitudine. Et ut oio innumerabilis multiplicatio significetur, addit, *bimod meod* hoc est, ualde nimis. Sed & illud quod sequitur, *uajmale haarez otham*, & impleta est terra ab ipsis, maximam multiplicationem indicat. Qua uerborum copia scriptura nihil aliud uult, q̄ ut commendet et inculcet nobis ueritatem diuinarum promissionum. Vbi autem commendatur ueritas Dei, ibi admonemur nos ad habendam fidem promissionibus Dei, & ad perdurandum in fide in omnibus afflictionibus. Quare etsi multiplicatio seminis Israelitici per se non admodum multum ad nos pertinet, ueritas tamen Dei plurimum ad nos pertinet, ut per praedicationem eius in fide diuinarum promissionum confirmemur.

Promissionum
diuinarum cer-
tissima con-
stantia.

SURREXIT INTEREA REX NOVVS SVPER AEGYPTVM.) In hoc rege, qui longe dissimilimus ei Pharaoni, sub quo Ioseph uixit, describit, obseruandi ueniunt mores huius seculi. Primum enim, qd dicit ignorasse Iosephum, explicatur ingratitude hoim in hoc seculo. In rebus enim humanis ferè fieri solet, qd Pindarus in Isthmijis ait, *παλαιὰ ἐνδ' εἰ χάρις, ἀμνάμονες δὲ θεοτοί*. Verus beneficium obliuio, et quasi somno tradit. Hoies enim sunt obliuiosi. Quid ergo: num quia sic sese habent mores hoim, approbandi sunt & imitandi, ut & ueterum beneficiorum, quae in nos collata sunt, obliuiscamur, & propter hoim ingritudinem, nihil cuiq; boni praestemus? Absit. Scriptura enim non commemorat hos hominum mores, ut commendet, sed ut detestetur ipsos, & admoneat nos, quo sinamus mundum cum moribus suis ualere, sectemur autem gratitudinem, & beneficentiam, ut faciamus nos hoibus, quod uolumus ut faciant hoies nobis. Haec enim, inquit Christus, est lex et prophetae. Deinde, qd scribit, post clementem Pharaonem, sub quo uixit Ioseph, regnasse in Aegypto

Ingratitudo
hominum

crudellem tyrannum, admonet nos eius euentus, qui in hoc seculo frequentissimus est. Posterior a enim fere solent esse deteriora. In consilijs quidem ualet prouerbiū illud: *δευτέρων ἀμεινόνων, ἢ δευτέραι φροντισὲς σοφώτεραι,* & posterior dies discipulus est prioris. In mutationibus autem imperiorum, magistratuum, familiarum, conditionum, & aliarū id genus rerum, posteriora non meliora, sed deteriora esse solent. Exempla huius rei suppeditant tam sacræ quā prophanæ historiæ. Admonemur igitur his euentibus, ne simus cupidi ac studiosi nouarum rerū, & publicarum mutationū, sed presentem rerū statum, quē legitime mutare non possumus, feramus patienter, in quo etsi quedā mala inueniuntur, tamen iuxta prouerbiū: nota mala, optima.

ET AIT AD POPVLVM SVVM, ECCE POPVLVS. J

Tyranni ima
go.

In hoc Pharaone adumbratur imago crudelis & impij tyranni. Ac primum oim considerandum est in ipso, quibus consilijs studeat imminetia picula uitare. Timet em̄, ne multiplicatis Israelitis ipse opprimatur, & Israelitę liberi euadant. Ne forte, inq̄t, multiplicetur, & si ingruerit cōtra nos bellum, addatur inimicis nostris, expugnatisq̄ nobis, egrediatur de terra. Hoc est periculū, quod ipsi ex multiplicatiōe Israelitarū imminere uidetur. Videamus igitur, quo consilio uelit hoc periculū effugere. Ac pius quispiā Rex, pia etiam consilia seclatus esset ad cauenda pericula, uidelicet instituisset moderatam imperij administrationē, & gubernasset subditos in iudicio & iustitia:

Imperia con-
seruantur iu-
sticia & iudi-
cio.

Hęc em̄ sunt, quibus conseruant imperia, & quibus Resp. incolumes consistunt. Impius aut̄ Pharaon longe alia consilia agit. Vt em̄ impius est, ita impias etiam rationes seclatur, quibus sperat se euasurum pericula. Venite, inquit, sapienter opprimamus eum. Itaq̄ ordinauit sup̄ Israelitas exactores operum, qui affligerent ipsos durissima seruitute. Non solum aut̄ Pharaon, & principes eius persequunt̄ Israelitas, sed quod erat indignissimum, populus etiam Aegyptiacus (solet em̄ populus sese ad mores magistratus sui cōparare, & qualis rex, talis & populus) maximo odio prosequuntur Israelitas, & opprimūt eos nullo non molestiarum genere. Qua inhumanitate nihil potest dici aut iniquius aut crudelius. Nam, q̄ hic rex obtinuerit regiam maiestatem in Aegypto, debebat Israelitis propter Iosephum, qui nisi constituisset tempore famis Rempub. in Aegypto, & conseruasset eam prudentia sua, Aegyptus perisset, nec ullum regnum posteris Pharaonis relictum esset. Ad hęc & populus Aegyptiacus debebat uitā suam Israelitis propter Iosephum. Nisi enim Ioseph conseruasset maiores horum Aegyptiorum in fame, nullos habuissent posteros. Quare Israelitę non solum innocentes erant coram Aegyptijs, uerū etiam bene de ipsis meriti. Quid autem inhumanius, quid crudelius, quā innocentes oppri

opri

opprimere, & benemeritis malefacere: Lex prohibet, nocentibus & Benemerito malefacere crudelissimū malefactoribus malefacere, quanto igitur atrocius est mala inferre in nocenti & benefactori: Quid ergo Rex & Ægypti hac inhumana et crudeli tyrannide cōficiunt: num effugiunt pericula, & delentur Israelitæ: Minime omnium. Sed euenit ipsis, q̄d Salomon scribit. Quod timet impius, accidit ei. Hac em̄ tyrannide ac scuitia, in tantum nō effugiunt pericula, ut potius sese in pericula conijciant, & occasionem præbeant, ut posterī ipsorum in mari submersi pereant, Israelitæ aut̄ tanto magis multiplicentur et crescant, quanto plus opprimuntur. Habes exemplum, quo discas timorem Dei & fidem. Impietas et inobedientia Dei, non liberat a periculis, sed potius conijcit in pericula ut pereas. Time igitur Deū, & ambula in uerbo ac obedientia Dei. Sic em̄ uere effugies pericula, et benedictus eris ingrediens & egrediens. Rursus. Nulla est humana crudelitas tam potens, quæ possit promissionem & ueritatē Dei impedire. Sed quemadmodū Pharaō impia Promissio dei potētor est quam hoīe crudelitas. sua tyrannide adiuuabat potius contra suam ipsius uoluntatem q̄ impediebat multiplicationem seminis Abraę, ita consilia & conatus impiorum, etsi longe aliud cogitant, tamen adiuuant magis q̄ opprimunt ueritatē promissionum Dei. Cuius rei innumera habes exempla in scriptura. Crede igitur promissioni diuinæ & perdura in fide, etiamsi oīa alia exitium minentur. Certissimum enim est, q̄ uerbum Dñi perpetuo constet. Sed quid dicemus de Israelitis: num sicut fuerunt innocentes & benemeriti coram Ægyptijs, & indigne ab Ægyptijs afflicti sunt, ita fuerunt etiam innocentes coram Deo, & indigna in iudicio Dei passi sunt: Nihil minus. Etsi enim Ægyptij afflixerūt Israelitas iniquissime, nec Israelitæ quicquam supplicij coram Ægyptijs meruerunt, quemadmodū paulo ante ostendimus, meruerūt tamen hoc quicquid erat supplicij impietate sua coram Deo. Nam in Ezechiele cap. xx. de impietate Israelitarū in Ægypto ita scribit. Hec dicit Dñs: In die qua elegi Israel, & leuaui manum meam pro stirpe domus Iacob, & apparui eis in terra Ægypti, ut educerem eos de terra Ægypti. Et dixi ad eos: Unusquisq̄ offensiones oculorum suarū abijciat, & in idolis Ægypti nolite pollui. Ego Dñs Deus uester, & irritauerunt me, nolueruntq̄ me audire, abominatiōes oculorū suarū non proiecerunt, nec idola Ægypti reliquerūt. Et Amos cap. v. Porristis in deserto tabernacula Moloch Deo nostro, (nimirū que uobiscum ex Ægypto in desertum attulistis) & imaginem ac stellam idolorum uestrorū, quæ fecistis uobis. Ex his uides manifeste Israelitas seruisse idolis in Ægypto ad exemplum Ægyptiorū. Adhęc, ex his que postea sequuntur, facile intelligi potest, q̄ Israelitæ p̄ter idolatriā etiā non magnopere requisierunt p̄missionem de terra Canaan, sed

Impietas non liberat a periculis.

Promissio dei potētor est quam hoīe crudelitas.

Israelitæ impij, ut Ægyptij.

opulentia & diuitijs suffarcinati, sedem suam tanquam perpetuam et hæreditariam fixerunt in Ægypto, & pro nihilo habuerunt terram desiderabilem. Propter has igitur impietates & neglectum uerbi Dei permisit Deus, ut ab Ægyptijs mirum in modum affligerentur. In quem finem; num ut penitus pereant; nequaquam, sed ut admoneantur suæ impietatis, ut admoneantur promissionum Dei, ut respirent ad terram promissam, & resipiscant. Ex his discamus etiam rationem earum afflictionum quæ nobis accidunt. Nam cum cõtemnimus uerbum Dei, & damus operam impietatibus & iniquitatibus, ac negocijs huius seculi, & mammonæ ita immergimur, ut futuram foelicitatem ne requiramus quidem, tunc immittit Dominus in nos bella, famem, pestem, & alia publica & priuata supplicia. Immittit autem hæc, non ut prorsus pereamus, sed ut admoneamur resipiscentiæ, & seruemur. Non enim uult mortem peccatoris, sed magis ut conuertatur ac uiuat. Feramus igitur manum Domini patienter, & utamur diuinis supplicijs, non ad desperationem, sed ad resipiscentiam, ut salutem consequamur.

DIXIT AUTEM REX OBSTETRICIBVS,)

Consilium regis de opprimendis Israëlitis per exactores operæ, parum processit. Quanto enim plus opprimebantur Israëlitæ, tanto magis multiplicabantur. Quare rex alia aggreditur uia. Ac uocatis duabus obstetricibus mandat, ut tempore partus interficiant masculos Hebræorū, על האבנים hoc est, in ipsis sellulis, super quibus mulieres pariunt. Interp̄tes Hebræi scribunt has duas obstetrices fuisse, שרות על כל המילדות hoc est, principes super omnes alias obstetrices in Ægypto, & regem demandasse, ut masculos in ipso partu clā interficiant, ac fingant ipsos ita mortuos natos. Siue autem rex manda uerit illud publico edicto, siue occulto præcepto, certe sæuire in infantes, uulgaris fuit crudelitas eorum principum, qui corripiebantur timore amittendi regni & maiestatis suæ. Sic sæuit in Cyrum Astyages. In Romulum & Remum Amulius. In regium semen Athalia mater Oholiæ. In infantes Bethleemiticos & alios pueros Herodes. Sed quanto uulgarior fuit hæc crudelitas, tanto maior etiam fuit impietas. Etsi enim magistratus habet potestatem legitime interficiendi latrones & seditiosos, non tamen habet potestatem interficiendi quoslibet illegitime. Et præceptum illud Dei: Non occidas, non tantum de non occidendis adultis, uerum etiam de non interficiendis infantibus intelligendum est, quos si occideris, tanto es crudelior homicida in conspectu Dei, quanto ea ætas coram hominibus innocentior, & iniuriæ magis obnoxia est. Scribunt quidam leoni tantam clementiam esse, ut etiam ubi fremat, infanti tamen parcat, nec in hos sæuiat, nisi ma-

*Inia antes
sæuire, tyrannicum.*

nisi maxima fame. Quare qui infantes interficiunt, existimandi sunt, non humanum tantum sensum exuisse, sed etiam feritate immanissimas belluas superare. Et cum sacra scriptura testetur infantibus additos esse diuinitus angelos custodes, haud obscure significat Satanam præcipue infantium saluti insidiari. Qui ergo in infantes sequuntur, non iam homines, sed uiui, & ut ita dicam, incorporati diaboli dicendi sunt.

TIMVERVNT AVTEM OBSTETRICES DEVM.)

Obstetrices magis metuunt illum, qui potest & animam & corpus perdere in gehenna, quam eum, qui corpus tantum, non item animam occidere potest. Et plus obediunt precepto Dei, quam principis sui, ac conservant masculos. Et cum propter hanc causam increparentur a rege, & ad supplicium uocarentur, excusant se dicentes, Mulieres Hebræorum sunt, *וירא* hoc est, uiuaces ac superant fortitudine pariendi mulieres Aegyptiacas. Quare pariunt, priusquam uenerit ad ipsas obstetrix:

Propter hanc rem benefecit (inquit scriptura) Dominus obstetricibus. Sed quid hoc inquires? nonne obstetrices mentite sunt coram Pharaone, dicentes: Hebrææ mulieres pariunt, priusquam uenerit ad ipsas obstetrix:

Obstetricum Aegyptiarum pietas.

Ergo ne Deus compensat mendacium beneficijs? Respondeo. Potest fortassis ita factum esse, ut obstetrices clam significauerint mulieribus Hebræis, quid ipsis a rege demandatum sit, ac iusserint eas non prius uocare obstetrices, quam peperint. Si ergo hoc factum est, obstetrices non sunt mentite coram rege. Sed id tantum cælauerunt, quod non necessario coram rege confitendum erat. Et hoc est prudentiæ. Quod si uero in partu Hebræarum præsto adfuerunt, & dixerunt coram rege se non præsto adfuisse, tale certe mendacium est, quod nec est iustificandum, nec in exemplum mentiendi trahendum, sed sentiendum est, obstetrices mendatio suo uere peccasse, & infirmiores fuisse coram Pharaone, quam par sit. Perfecte enim fidei fuisset, ingenue detrectare imperium mandatum regis, & ueritatem confiteri. Sed rex, inquires, occidisset eas: Esto sane, non occidisset tamen animam, sed tantum corpus, imo ne corpus quidem occidisset, sed aliquot tantum annos uitæ corporalis abstulisset, interim uero tam corpus quam anima in eternam felicitatem conseruata fuissent. Peccatum autem, ac præsertim mendacium, occidit animam.

Mendacium occidit animam.

Anima occisa & perditæ, quid reliquum est, nisi ut uel tandem corpus etiam occidatur & pereat? Cur ergo dicitur Deus benefecisse obstetricibus? Benefecit non propter mendacium, sed quia obediunt magis Deo quam regi, in conseruandis masculis. Ac Deus peccatum mendacii misericorditer obstetricibus ignouit, quia & ipsæ crediderunt in semen Abrahe promissum, ex qua etiam fide conseruarunt masculos. Obediuntiam autem fidei in conseruandis masculis liberaliter remunerauit.

Pietas non mendacium in obstetricibus remuneratur.

De hac re Augustinus diserte loquitur: Quod scriptum est (inquires)

bene deum fecisse cum Hebræis obstetricibus & cū Raab Hierichuntina meretrice, non ideo factum est, quia mentitę sunt, sed quia in homines Dei misericordes fuerunt. Non est itaq; in eis remunerata falsitas, sed beneuolentia, benignitas mentis, non iniquitas mentientis. Et alias inquit: In infantibus uiuificandis opus misericordię fuit, mędatio uero illo pro se utebantur ne noceret illis Pharao, quod potuit non ad laudem, sed ad ueniam pertinere.

FECIT EIS DOMOS.) Quanc; hoc communiter de obstetricibus exponat, q; Deus obstetricibus ita benedixerit, ut edificauerit eis domos, hoc est, illustrauerit familiam ear; & auxerit eam. Domus enim, ut Germanica, ita et Hebraica phrasi significat nobilem familiam, ut ij. Regum. vij. Predicit tibi Dñs q; faciat tibi domum, sed tamen quia relatiuum אֲנִי (eis) quod hoc loco ponitur, refert genus masculinum, non foemininum, intelligendum est de Israelitis, ut sit sensus. Obstetrices timuerunt Deum, & non interfecerunt masculos. Vnde factum est ut familię Israelitarum auctę fuerint, & domus eorum masculis impletę sunt.

PRAECEPIT ERGO PHARAO OMNI POPULO.)

Vide ut impius princeps semper in peius proficiat. Non successerat consilium eius per obstetrices in occidendis infantibus. Sequit igit nunc publice in masculos Hebreor;, siue infantes, siue iam adoloscetes, & in plateis ludentes, quos publico edicto ita proscribit, ut cuiq; Aegyptior; liberam potestatem concedat prosciendi eos & submergendi in aquis. Quid hac seuitia crudelius dici potest? Hic uidisses miserrimam conditionem Israelitar;. Quid ergo Pharao hac crudelitate conficit? num extirpat genus Hebreor; radicitus? Minime oim. Non em̄ est consilium aduersus Dñm. Voluit Dñs Hebreos multiplicari. Et hanc uoluntatem declarauit multis promissionibus. Multiplicabo, inquit, semen tuum sicut stellas coeli, & uelut arenam que est in littore maris. Pharao aut uoluit Hebreos deleri. Et hanc uoluntatem declarat tot impijs mandatis. Vter ergo inter hos preualuit? certe Domini uoluntas ita promouit, ut Pharao longe aliud agens, adiuuerit potius uoluntatem Dei, tyrannide sua, q; impedierit. Creuit em̄, inq; scriptura, populus, & confortatus est nimis. Non admodum dissimile exemplum contigit hoc nostro seculo, quo Deus Euangelion suum aduersus supstitiosas hypocritar; impietates clementer reuelauit. Voluit em̄ Deus, ut Euangelion hoc tempore in Ecclesia promoueat. Monarchę aut uoluerunt ut Euangelion extingatur. Et hanc uoluntatem declararunt satis perspicue, dum publicis edictis proscribebant, quot quot huic nouę doctrię (sic em̄ aduersarij uocant Euangelion) adherent, nonnullos etiam crudeliter interficiēbāt. Quid ergo factum est?

Quo

*Voluntas dei
promouet, in
uicis omnib.
aduersarijs.*

Quo magis illi aduersus Euangelion sequerunt, eo latius Euangelion promouit. Hęc exempla transferenda sunt in usum ad confirmandam fidem nostram in aduersis. Cum enim habemus promissiones Dei, intelligimus ex ipsis perspicue uoluntatem Dei. Siue igitur Satan, siue mundus cōtra insaniat, perstemus nos in fide uerbi Dei, et in obedientia Dei, certissima persuasione concepta, q̄ qui in nobis est Dñs Deus noster, maior & potentior sit, quā princeps huius mundi.

CAPVT II.

ABIIT AVTEM VIR DE DOMO LEVI, ET ACCEPIT FILIAM LEVI.)

In primo capite huius libri descripta est afflictio & oppressio Israelis. In hoc secundo capite describitur natiuitas & educatio Mosi, per quē deus liberauit Israelitas ex Ægypto, & instituit in Israel πολιτείαν ciuilem & ecclesiasticam. Habes ergo in hoc loco exemplum maxīe et imperscrutabilis clementiē Dei: Nam Ægyptij crudeliores erant in Israelitas, q̄ ut ipsos beneuolo animo liberos dimitterent. Erant & potentiores, q̄ ut Israelitę possent sese uiribus suis è tyrannide in libertatem uindicare. Ex altera autem parte Israelitę magis impij aduersus Deum erant, q̄ ut iusticia sua mererentur coram Deo libertatem. Et tñ abfuit, ut tyrannide Ægyptiorū admoniti resipiscerent ab impietate, ut quo plus affligerētur, eo pertinacius impietatem sectarentur. Sic enim Dñs per Ezechielem cap. xx. ait. Et dixit ad eos: Unusquisq̄ offensiones oculorū suorum abijciat, & in idolis Ægypti nolite pollui. Ego Dñs Deus uester. Et irritauerunt me, nolueruntq̄ me audire, unusquisq̄ abominationes oculorū suorum non proiecit, nec idola Ægypti reliquerunt. Ex his uerbis prophetę uides Israelitas in Ægyptiaca afflictione non solum non resipuisse ab impietate, uer̄ etiam multo obstinatiorē in impietate factos esse, & non tñ eā tyrannidem, qua opprimebātur, sed etiā totius gentis suę πανολιθειαν meruisse. Vnde & in Ezechiele sequitur. Et dixi, ut effunderem indignationem meam super eos, & implerem iram meam in eis in medio terre Ægypti. Quāq̄ autē Israelitis neq̄ ex Ægyptiorū gratia, neq̄ ex suis uirib. neq̄ ex sua ipsorū iusticia ulla libertas affulgeret, Dñs tamen Deus noster tanta clementia & misericordia Israelitas amplectitur, ut mittat ipsis Mosē seruatore, qui non solum educat eos ex Ægyptiaca tyrannide, uer̄ etiam instituat in Israel honestissimam, tñ religionis, tum ciuilem uitę πολιτείαν. Quid ergo respexit Deus in Israelitis, propter quod commoueat ad clementiam? certe non potuit respicere iusticiam ipsorū. Erant em̄ tam impij coram Deo, q̄ Æ-

gyptij, quemadmodum antea demonstrauius. Nec potuit respicere uel potentiam uel sapientiam uel alias id genus uirtutes in Israelitis, quippe q̄ omnibus illis uirtutibus ab Aegyptijs, filijs huius seculi uincerentur. Nec respexit merita maiorum aut patriarcharum. Et si enim hi iusti fuerunt, nō fuerunt tamen iusti suis meritis, sed fide, hoc est, gratia Dei reputati sunt iusti per fidem, quemadmodū de Abrahamo scriptum est: Credidit Abraam Deo, & reputatum est ei in iustitiam. Nec respexit merita sequentia, uel ipsorum uel posterū suorū. Ipsi enim & posteri ipsorum, post egressum ex Aegypto, aut maiorem impietatem sectati sunt, quemadmodum scriptura testatur, aut qui inter ipsos iusti fuerunt, hi non suis meritis, sed fide, hoc est, ex gratia iusti reputati sunt: Reliquum igitur est, q̄ Deus ad seruandos Israelitas respexerit, in se quidem, gloriam nominis sui, & ueritatem promissionum suarū, quas dixit ad patriarchas, uidelicet, ne iudicetur & audiat ab impijs in promissionibus suis mendax. Et hoc perspicue per Ezechielem significat, dicēs: Et feci (hoc est) liberaui Israelitas ex Aegypto propter nomen meum, ut non uiolaretur coram gentibus in quarum medio erant, & inter quas apparui eis, ut educerem eos de terra Aegypti. In Israelitis autem nihil aliud respexit, q̄ extremam miseriam, qua affligebātur. De Deo enim spiritus sanctus in Psalmo sic canit: Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat & humilia respicit in caelo & in terra. Et iterum, Iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit: Memorabile exemplum, quo cōfirmanda est fides nostra in afflictionibus. Nam hec duo potissimum nos ad tristitiam & desperationem in aduersis sollicitare solent. Primum, q̄ sentiamus nos longe abesse a iustitia & reliquis uirtutibus, & afflictionem impietate nostra probe meritos esse. Deinde q̄ existimemus nos miseriares esse, q̄ ut respiciamur a Deo. Contra has autem tentationes pugnandum est recta diuinarum rerū cognitione, uidelicet, q̄ Deus in offerenda salute sua non respiciat humana merita, sed suum ipsius nomen, & suarum promissionum ueritatem. Non est igitur desperandum propter nostram iniustitiam, sed capessenda est promissio Dei, & confidendum est propter ueritatem Dei, cuius fide & iusti reputamur propter Christum, & salutem consequimur. Ad hec, non est desperandum propter magnitudinem miseriarum, sed tanto magis sperandum est, quāto grauiores sunt miserie, propterea q̄ Deus non abominetur, sed maxime oīm respiciat in nobis miseriares. Sed nunc uideamus ex qua tribu, & quibus parentibus Mose Israelis liberator ex Aegypto, natus sit. Abijt (inquit) uir de domo Leui, & duxit uxore, filiam Leui: Huius uiri, qui est parēs Mofi nomen est Amram, & uxoris nomē lochebed, quemadmodum postea se-

Promissiones
suas, & miseriam
afflictam
respicit Deus

Afflictionum
remedium.

Mosi parentes

postea sequitur capite vi. Cū ergo Iochēbed peperisset filium, qui postea Mose uocatus est, & abscondissent eum parentes tribus mēsis, propter edictum regis, necesse habuerunt tandem natū suū in flumen exponere. Sed ne puer statim periret, imposuerunt eum in fiscellam scirpeam bitumine ac pice oblitam, ac reposuerunt inter arundines in littore fluminis. Quod hoc loco Iosephus & Hebręi narrant de uaticinio scribę cuiusdam Aegyptiaci, & de oraculo, Amrā parenti Mofi per somnium reuelato, fides penes autores sit. Nos ea obseruabimus, quę autoritate diuinę scripturę certissima & indubitata cognoscuntur. Hęc igitur scriptura proponit nobis parentes Mofi in exemplum magnę fidei. In epistola enim ad Hebręos capite xi. ita scriptum est: Per fidem cum natus esset Mose, occultatus est menses tres à parentibus suis, propterea quod uiderent elegantem puellum, nec ueriti sunt edictum regis. Tametsi em̄ maxima Israelitarum pars contempserunt promissiones Dei Patriarchis dictas, & seruierunt idolis Aegyptiacis, tamen reseruauit sibi Deus aliquot pios, qui non sunt oblitī diuinarum promissionum. Inter quos et parentes Mofi, autore Apostolo, numerandi sunt. Hi parentes, cum uiderent grauissimam populi sui afflictionem, reuocauerunt in memoriā promissiones Dei, quę primum dictę erant generaliter de multiplicatione & conseruatione seminis Abrahę, ac de possessione terrę Canaan, deinde de liberatione eius à seruitute aliena. Ad Abraamum enim, Gene. xv. dictum erat. Scito prenosens, quod peregrinū futurę sit semen tuum in terra nō sua, & subiciant eos seruituti, & affligent quadringentis annis. Ueruntamen gentem cui seruituri sunt ego iudicabo, & post hęc egredientur cum magna substantiā. Generatione autē quarta reuertetur huc. Similiter dictū erat ad Iacob, Gene. xlvj. Ego sum fortissimus Deus patris tui, noli timere, sed descende in Ægyptū, quia in gentem magnam faciā te ibi. Ego descendam tecum illuc, & ego inde adducā te reuertentem. Accedebat huc et testimonium Iacob, qui moriturus, uolebat in Ægypto, sed in Canaan sepeliri, ut testaret publice, gentem suam ex Ægypto ad Canaan reuersurā. Vnde & ait ad Ioseph. En ego morior, & erit Deus uobiscum, & reducet uos ad terram patrę uestrorum. Ioseph quoque iam moriturus ait, Deus uisitabit uos, asportate ossa mea uobiscum de loco isto. Hęc & his similia reuocauerunt sibi parentes Mofi in memoriā presertim cū iam quarta generatio, qua ipsis salus pmissa erat, immineret, quibus fidem suam ita confirmarūt, ut etsi capitale esset, propter edictum regis, puerū abscondere, maluerunt tñ periculo mortis sese obijcere, quā elegantem suum filiolum proderet, de quo certissimam spem ex pmissionibus Dei conceperāt, quod seruandus esset, et aut unā cum alijs ex Ægypto liberāndus, aut ipse

Deus reseruat sibi septē millia.

populum liberaturus. Vnde etiam ex eadem fide, cum non amplius possent pueræ occultare fecerunt fiscellam scirpeā pice oblitam, in qua infantē exposuerunt, et iusserunt sororē infantis, euentū rei expectare. Quid hac fide efficacius dici potest? Hęc em̄ fides effecit in parentib; Mosi, ut edictum Regis, hoc est, ut ipsam mortem contēnerent, & ut præter spem sub spe crederent. Talis aut̄ ac tanta fides datur per sp̄m sanctum, si intendamus oculos mentis nostrę non in externas rerę lar uas, sed in ipsum uerbum, in ipsas p̄missiones Dei. Quare hoc opus, hic labor noster, ut uerbum Dei capeamus & nobis ob oculos ponamus, ut sp̄s sanctus habeat organon, quo operetur in nobis uirtutem fidei in oibus afflictioibus, quam fidem si adepti fuerimus, mox præsto aderit nobis remissio peccatorum, iustitia, salus & uita æterna. **ECCE AVTEM DESCENDEBAT FILIA PHARAONIS.**

Mose mirabiliter in aquis seruatur, a filia Pharaonis inuenitur, & ex aquis extrahitur, suę ipsius matri lactandus et educandus cōmendatur, a filia Pharaonis in filium adoptatur, & quo miraculum rei oibus publice cōmendetur, uocatur noie Mose, hoc est, extractus, uidelicet, ex aqua. מֹשֶׁה enim Hebręis significat extrahere. Quia, inquit, de aqua extraxi eum. Recitantur et hoc loco ab Hebręis interpretibus, falsis cognitu non iniucunda, sed tñ incerta, q̄ Mose adhuc infans recusauerit ubera mulierum Aegyptiacarę, & q̄ allatus ad Pharaonem ludibundus conculcauerit pedibus suis diadema Regis. Sed utcunq; hec sese habeant, nos certa persequemur. Nam que scriptura hoc loco de Mose commemorat, non sunt nisi admiranda Dei opera, quibus Deus & maiestatem suam reuelat, & nos ad fidem, patientiam, obedientiam, & alias uirtutes hortat. Quod em̄ is puer, qui postea ordinatur diuinitus in liberatorem, ducem, legislatorem, & instauratorem Reip. Israeliticę, nunc in aquas expositus, incolumis seruatur, significatur primum, q̄ Deus non sit tantum Deus adultorę, sed etiam Deus infantium, & q̄ respiciat infantes in necessitatibus ipsorę. Quare admonentur parentes, ut suum quidem officium, iuxta suam uocationem, in curandis, nutriendis & educandis infantibus pro uirili sua faciant, maxime tamen oim̄ fide sua in manus Dei respiciant, quo uero infantium parente, nō custodiente infantes, frustra uigilat, qui custodit eos. Deinde declaratur, quod instauraciones imperiorum, rerę publicarum, politicarum, & legum, non sint humana sed diuina opera. Vnde sicut Mose mirabiliter ex aquis seruatus, & postea ad instaurandam Remp. Israelis admotus est, ita & Cyrus primus Monarcha regni Persici, et Romulus primus rex Rom. mirabiliter ad instituenda noua imperia seruati sunt, cum & ipsi expositi essent ad necem. Hac re docemur constitutiones & ordinationes rerumpublicarę esse dona Dei,

Mosi nomen.

*Deus, etiam
infantiū deus*

*Politicarum
institutio, di-
uinum non hu-
manum opus.*

dona Dei, & admonemur ad gratiarum actionem, & obedientiam legum ciuiliū, ac deterremur a sedicionibus, ne presentem reipublicae statum diuinitus cōfirmatum conuellamus, sed in tranquillitate legibus pareamus. Quod aut̄ infans traditur matri suae, quam tamē filia Pharaonis nesciebat esse matrem infantis, lactāndus & educandus, promissa etiā mercede, manifeste explicat clementissimam Dei liberalitatem, q̄ quicquid ex fide, propter Deum derelinquas, hoc Deus restituat centuplum. Vide enim mihi matrem huius infantis. Hec necesse habuit infantem suum exponere, ne iugularet̄ in domo sua a latronibus regis. Cum igitur exponeret ipsum ex fide, quam adhibuit promissionibus Dei, ac quodammodo prorsus amitteret, dedit Dñs Deus noster operam, ut infans non modo restitueretur ipsi, sed etiā magna regine autoritate commendaretur, & publica potestate a latronibus tutus esset, adeoq̄ ipsa quoq̄ mater regium stipendium propter lactationem & educationem pueri acciperet. Hoc exemplum docet nos fidem & patientiam in amittendis rebus nostris. Nam si quae uel uolentia, uel alio casu auferuntur nobis, nō existimemus ea prorsus amissa et perdita, sed sentiamus ea reposita esse in manum Dei, in quam quicquid reponit̄, multo maiori scēnore nobis restituetur, q̄ ager iactum semen reddit. Sed quod Mose, qui erat Israelitas ex Aegypto liberaturus, educatur in aula eius Pharaonis, qui antea iusserat oēs Hebræorum masculos occidi, ne Israelitę in libertatem sese uindicarent, manifestissime explicat summam Dei industriam, qua Deus aduersarios suos ita gubernat, ut uelint nolint, decreto suo contra ipsorum uoluntatem seruiant potius, q̄ impediāt. Sic fratres Ioseph, cum uenderent Iosephum, quamuis aliud agerent, consilium tamen Dei in Iosepho adiuuerunt potius q̄ impediuerunt. Sic pontifices & pharisęi, qui Christum occiderunt, etsi, quod ad ipsos attinet, impiissime egerunt, consilio tamen Dei magis seruiuerunt, q̄ oppresserunt. Hęc res admoneat nos, tum ad fidem in aduersis, tum ad sumendum candidum animum erga aduersarios. Quid em̄ irasceris aduersario? qđ execraris aduersarium? Si quę ipse aufert, & nullo iure recuperari possunt, relinquantur & reponantur in manum Dei, tantum abest ut damno affectus sis, ut plus lucri tibi reliquum sit, q̄ si duplum amissae rei prius retinuisses. Quare nullam habes causam propter quam liceat tibi odisse aduersarium, & mala rependere malis.

*Liberalitas
Dei erga obediētes fidei.*

*Ablata propter
Christū
nō amissa, sed
reposita in
manum Dei.*

IN DIEBUS ILLIS POSTQ̄ CREVERAT MOSE.)

Quę hoc loco Iosephus historiographus de bello aduersus Aethiopes a Mose administrato, & de filia Regis Aethiopiū a Mose in uxorem ducta, cōmemorat, fortassis citra uerę fidei damnū credi possunt, nobis t̄n placet certiora sequi, Primum igitur de Mosi eruditione &

Mosi erudi-
tio & autori-
tas.

Mosi fides.

autoritate in aula Pharaonis, Stephanus in actis Apostolicis cap. vii: ita concionatur. Eruditus est Mose omni sapientia Aegyptiorum, & erat potens in factis et in dictis. Quod in Mose obseruandum est, ob multa alia, tum potissimum ad cognoscendam magnitudinem fidei, qua Mose aulam Pharaonis dereliquit. Nam cum tāta potentia & amplitudine in aula Pharaonis ornatus fuerit, quis non admirabitur, q̄ aulam contempserit, et ad Israelitas sese transtulerit? Deinde, q̄ scribitur, Mosen egressum esse ad fratres suos, & uidisse afflictiones eorū: non ita intelligendum est, q̄ Mose semp in aula Pharaonis manserit, donec ex Aegypto fugerit, & interea temporis nonnunq̄ deambulādi aut animi recreandi gratia, fratres suos Israelitas inuiserit, sed q̄, cum quadraginta, quemadmodum Stephanus ait, annorum esset, aulam Pharaonis prorsus dereliquerit, & recusauerit deinceps uocari filius filie Pharaonis, ac maluerit inter Israelitas suos abiectus uiuere, q̄ in aula Pharaonis magna autoritate p̄ditus esse. Sic enim scribit autor epistole ad Hebręos cap. undecimo. Per fidem, inquit, Mose iam grandis, renuit uocari filius filie Pharaonis, potius eligens simul malis affici cum populo Dei, q̄ temporarijs peccati commodis frui, maiores arbitratus diuitias probrum Christi, q̄ Aegyptiorum thesauros. Memorabile exemplum, quo discamus fidem & obedientiam fidei, Mose em̄ adoptatus fuit in filium filie Pharaonis, & factus est in aula Pharaonis potentissimus, & quid, si spes etiam fuisset, ipsum Pharaoni in regno successurū. Ex altera parte Israelite mirę in modum affligebantur ab Aegyptijs, & usq̄ ad interniciōem opprimebantur, attamen Mose contempsit aulicā maiestatem, & coniunxit sese cū Israelitis oppressis. Alius quispiam impius Israelita, cui tm̄ fortunę affulsisset in aula Pharaonis, quantum Mosi, longe alia consilia agitalset. Proposuisset enim sibi ob oculos presentem suam amplitudinem inter Aegyptios, & afflictionem ac oppressionem Israelitarū, ac cogitasset secum, Quid? num soli Israelite sunt electus populus Dei? num soli ipsi Deo accepti sunt, num soli ipsi ueram habent religionem? nū soli ipsi iusti & prudentes sunt? an non hec oia in Aegyptios potius q̄ in Israelitas competunt? Aegyptij dominantur, Israelite autem opprimuntur. Aegyptij foeliciter uiuunt, Israelite autem affliguntur. Aegyptij magnis uirtutibus sapientię, fortitudinis, & id genus alijs p̄diti sunt, Israelite autem sunt populus stultus & imbellis. Quibus argumentis Deus perspicue declarat, q̄ Aegyptij sint potius electus populus Dei, & magis gratus Deo, q̄ Israelite. Quare facessant Israelitę cum sua religione & sordibus, ego manebo Aegyptius: Atq̄ hec quidem fuissent cogitationes impij, quibus effecisset sibi ipsi molestissimum ac etiam impossibile, derelinquere aulicas delicias, & trans-

& transferre sese ad afflictiones Israelitarum. At uero pio Mose non tñ
 fuit illud possibile, sed etiam iucundum. Qua, obsecro, uirtute: num
 uirtute carnis: at huic nihil magis impossibile est, q̄ externas et carna
 les delicias ac maiestates contemnere. Ergo, quicquid in hac re Mose
 egit, hoc egit uirtute fidei. Per fidem (inquit Apostolus) Mose iam
 grandis renuit uocari filius filie Pharaonis. Mose enim, cum propo
 suisset sibi ob oculos, nō presentem prosperitatem Aegyptiacam, sed
 uerbum Dei, credidit primum, semen Abrahā, nō Aegyptios, esse po
 pulum Dei electū. Deinde credidit se in semine Abrahā, qui est Chri
 stus, non in rege Aegyptiorum, benedictiōem remissionis p̄ctōrum
 & uitę eterne cōsequi. Adhęc credidit uoluptates peccatorum caducas
 & temporarias, supplicia autē eorum perpetua esse. Pręterea credidit af
 flictiones, contumelias & probra, quę p̄ns propter fidem in Christū
 et obedientiam Dei contingunt, maiorem habere honoris amplitudi
 nem in conspectu Dei, q̄ oēs regię huius seculi maiestates. Potius,
 inquit Apostolus, eligens simul malis affici cum populo Dei, q̄ tem
 porarijs peccati commodis frui. Postremo credidit Deum tam libera
 lem esse remuneratorem, ut quod quispiam ad uocationem ipsius de
 relinquit, cētuplum in hoc seculo restituat, in futuro autē seculo uitam
 eternam tribuat. Hęc igitur fides Mose tantę fuit efficacię, ut Mosen
 ab aula & regis honoribus abstraxerit, & in sordes atq̄ afflictiones
 Israelitarum coniecerit. Sed inquires. An non potuit Mose simul & fi
 dem & aulam retinere: quid enim ad ipsum, quod Aegyptij fuerint
 impij: an non potuit ipse in medio etiam impiorum pię uiuere, exem
 plo Ioseph, qui & ipse in aula prioris Pharaonis pię uixit: Respondeo.
 Alia fuit ratio Ioseph q̄ Mose. Ioseph enim uocabatur diuinitus ad
 aulam Pharaonis, ut hac occasione Israelitę ad Aegyptum proficisce
 rentur & in fame alerentur. Mose autem uocabatur diuinitus ab au
 la, nondum quidem publicis signis, sed priuata spiritus meditatiōe,
 ut Israelitas ex Aegypto educeret atq̄ liberaret. Ad hęc, Ioseph habe
 bat piū regem, qui Israelitas, populum Dei, magno fauore comple
 ctēbatur. Mose autem habebat impium regem, qui hoc unum age
 bat, ut Israelitas penitus extirparet. Huc accedit, q̄ Mose uidit totam
 gentem Aegyptiacam, tum propter impietates idolatrię, tum propter
 crudelitatem ipsorum in Israelitas, a Deo abiectam & supplicio desti
 natam esse, iuxta oraculum illud, quod ad Abraam Gene. xv. dictum
 erat, Gentem, cui seruituri sunt ego iudicabo. Pręterea uidit in aula
 Pharaonis non nisi pessimorum sceletum exempla regnare, ac iuxta uulgi
 dictū, aulicā uitam nihil aliud esse q̄ compēdium ad infernum. Peri
 culosissimū autē est, in medijs uoluptatibus aulicis, in medijs impieta
 tib. int̄ tot exēpla nefandissimorum facinorum, ubi nec audias nec uideas

Mose alia uo
 catio quam
 Iosephi.

Aulica uita,
 compendium
 ad infernum.
 Lang zuhof,
 lang zu hell.

quicquid boni, uitam ducere. Quare, ut Mose uocationi Dei obediret, & non diutius Deum tentaret, nec suam ipsius salutem periculo exponeret, maluit fidem in Deum sequi, & abiectus inter Israelitas pie uiuere, quam magnus in aula Pharaonis haberi & impietatem sectari. Vnde & proponitur nobis Mose in exemplum, quo discamus, non in temporalia huius seculi commoda, ad sectandam impietatem, sed in perpetuam remunerationem per fidem ad sectandum uerbum & uocationem Dei respicere.

VIDIT AFFLICTIONEM EORVM ET VIRVM ÆGYPTVM.) De eo, quod Mose occiderit Aegyptium, uariae sunt sententiae. Alius accusat, alius excusat homicidium Mose. Ac quod ad generales sanctorum conditiones attinet, non impie sentiunt hi, qui affirmant Mosen, alioqui sanctum uirum, hoc homicidio peccasse. Nullum enim tam horribile peccatum est, quod non etiam sanctis accidere possit. Sunt enim & sancti de carne nati. Quod autem ex carne est, caro est. An non Dauid, uir alioqui iuxta cor Dei electus, peccauit adulterio et homicidio: nihilominus tamen retinuit maiestatem regiam. Nonne Petrus abnegauit Christum, etiam cum sui ipsius execratione: nihilominus tamen postea commissae sunt ipsi oues Christi. Quare etiam si sentias Mosen hoc homicidio peccasse, hoc tamen non impedit, quo minus Mose postea ueniam consecutus sit, & appellatorem sancti retineat, ac in liberatorem Israelis uocatus sit, Sed Stephanus de hoc homicidio in Actis Apostolicis cap. vii. ita concionatur: Cum Mose uidisset quendam iniuria affici, defendit eum, & ultus est uicem eius qui affligebat percusso Aegyptio. Existimabat enim intelligere fratres suos, quod Deus per manum ipsius daret salutem ipsis. Quibus uerbis haud obscure significat, quod Mose occiderit Aegyptium, non temeritate carnis, sed motu spiritus, & heroico impetu diuinitus excitato. Erat enim iam tunc in magistratum, ducem & seruatorem Israelis, a Deo destinatus, nondum quidem publicis miraculis, quemadmodum postea reuelatur, sed certo tamen decreto Dei. Quos autem Deus, ad conficiendas res heroicas eligit, in his operatur etiam, priusquam electionem suam publice declaret, singulares quosdam & admirabiles animorum impetus, quibus tanquam praeiunctis testimoniis significat, eiusmodi homines ad res maximas gerendas destinatos esse. Sic impulit Deus Pinehas, nondum quidem summum sacerdotem, sed tamen ad summum sacerdotium destinatum, ut arrepto pugione transfoderet uirum Israelitam, publice cum Midianitico scorto fornicantem. Sic impulit Dauidem, nondum publicum regem, attamen diuina unctio in regem electum, ut magno animo armatum Goliathem inermis aggredere, atque trucidaret. Sic impulit (ut & externum exemplum attingam.) Cyrum adhuc puerum, & pro filio pastoris habitum, in primum tamen Persici regni Monarcham diuinitus

*Ex hoc homici-
dio, heroicus
impetus.*

diuinitus destinatum, ut tanq̄ rex inter pueros puerilem institueret Rēp. ac inobedientes castigaret. Et cum eares ad Astyagē delata esset, ac Astyages Cyrum puerum reprehenderet, q̄ ipse serui filius, cæcidisset flagellis ingenuos pueros, respondit Cyrus magna constantia, se ut regem fecisse. Qui certe heroicus animus in puero diuinitus excitatus est, ut statim a pueritia significaretur, hunc puerum ad gerendas magnas res, à Deo ordinatum esse. In horum catalogum etiā Mo se referendus est, quem cum Deus ab utero matris elegeret in ducentem & seruatorem Israelis ex Aegyptiaca tyrannide, impulit etiā occultu spiritus tractu, ut occideret impium Aegyptiacū. Tantum igit̄ abest, ut hoc homicidio peccauerit aduersus Deum, ut potius diuine uocationi seruiert, ac insinuauerit Israelitis se in hoc officium diuinitus uocātū esse, ut defendat Israelitas ab iniuria. Atq̄ hoc exemplū ponēdum est, nō inter generalia, quę imitāda sunt, sed inter psonalia, quę admiranda sunt, nō aut̄ imitanda, nisi ei, qui πνευμασία spiritus, eodē animi impetu ad aliquid conficiendum diuinitus excitatur.

ET EGRESSVS DIE ALTERO CONSPEXIT DVOS HEBRAEOS.)

Aliud argumentum quo significatur Israelitis, q̄ Deus miserit ipsi Mosen liberatorem ex Aegypto, & legislatorem ac instauratorem Reip. in populo Israel. Mose em̄ uoluit reconciliare duos dissidentes Hebręos, ac obiurgauit eum, qui iniustā habebat causam. Publici em̄ legislatoris est, condere leges, quibus publica tranquillitas conseruetur, & boni quidem ab iniuria defendant, mali aut̄ puniantur. Cum igit̄ Mose obiurget iniustum Israelitam, & iustum defendat, non admodum obscure significatur, ipsum diuinitus electū esse in magistratum & legislatorem Israelis. Sed hic mihi uide qd Mosi accidat. Mose em̄ eam mercedē ex beneficio suo refert, quam fere oēs benefactores ab ingratīs, & pacificatores ac sequestres à partibus suis referre solent. Impius enim Israelita reñcit Mosen, & accusat ipsum homicidij. Quis te, inquiens, constituit principem & iudicem super nos? num occidere me tu uis, sicut heri occidisti Aegyptium? Vide maxiam indignitatem & ingratitudinem. Mose reliquerat regiam aulam ppter Israelitas, ut significaret ipsis, se ad liberandum ipsos ex Aegyptiaca tyrannide diuinitus ordinatū esse. Sed ecce statim reñcit ab ipsis, uix dum elementis liberationis inchoatis. Nunquid ergo, quem hoies reiecerunt, eum etiā Dominus Deus noster reiecit? Minime oim. Hūc Mosen, inquit Stephanus, quem negauerunt dicentes, quis te constituit principem & iudicem, hunc inquam, Deus principem & redemptorem miserat per manū angeli, qui apparuit illi in rubo. Hic eduxit illos, ædens prodigia & signa in Aegypto & in mari rubro,

IN CAPVT II. EXODI

& in deserto annis quadraginta. Quod Mofi contigit, idem etiã contigit Dño nostro Iesu Christo, de quo scriptum est: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Hęc exēpla cum propter multa alia, tum etiam potissimū propter hoc nobis proponuntur, ut in ingratitude hominum & contēptu nostri bene confidamus, & in benefaciendo non defatigemur. Etsi em̄ homines nos abijciunt, non tamen abijcit nos Deus, sed potius tanto magis nos agnoscit, quanto turpius homines nos conculcant. Et quanquam homines ingrati sint, ac immemores beneficiorū, Deus tñ gratissimus est, & nec obliuiscitur poculi aquæ frigidæ sitienti in noīe suo exhibitz.

Contempti
confidant.

TIMVIT MOSE ET AIT QVOMODO PALAM
FACTVM EST VERBVM ISTVD.

Etsi Mose significauit homicidio suo, se in seruatore Israelis diuinitus electum, noluit tamen, ut mox fama homicidij in uulgum spargeretur, ne sibi prius a rege periculum immineret, q̄ consiliū de liberandis Israelitis caperet. Cum igitur intelligeret ex impio Israelita, homicidium uulgo patefactum esse, & uideret Pharaonem uitæ suæ insidiari, non solum timuit, uerumetiam fugit ex Aegypto, & profectus est in exilium, in terram Midian. Hic mihi primum obserua in Mose, quid accidere soleat his, qui derelicta impietate, sectantur uocationem Dei. Mose enim dereliquit aulam regiam, in qua uidebat se non posse piē uiuere, & coniunxit se cum Israelitis, ut uocationem Dei sequeretur. Mox igitur cooriuntur in ipsum, quasi collecta manu, paupertas, ignominia, contemptus, non ab Aegyptijs tantum, sed etiam a suis ipsius Israelitis, ad quos liberandos aulam dereliquerat, insidię regis, pericula mortis, fuga, exilium, & quicquid est huiusmodi calamitatum. Solenne autem est, ut qui relinquit impietatem, & sectatur uocationem Dei, maximis statim periculis & calamitatibus obijciatur. Vnde Christus emissurus Apostolos, ad prædicandum Euangelion, quod erat mandatum Dei: Ecce ego, inquit, emitto uos sicut oues in medio luporum. Tradent uos in concilia, & eritis odio habiti ab omnibus propter nomen meum. Non enim est discipulus supra præceptorem, neq̄ seruus supra dominum. Si ipsum patrem familias uocauerunt Beelzebub, quanto magis domesticos illius? Quod accidit ei qui sectatur publicam functionem a Deo mādātā, hoc idem accidit unicuiq̄ priuatam uocationem Dei sectanti, ut si artifex mechanicus abominatur imposturas, & administrat artificium suum iuste ac legitime, continuo obijcitur periculis paupertatis, famis, & aliorum malorum, cum interim uideat eos artifices, qui dant operam imposturis, magnas opes parare. Quid igitur faciemus? Abijciemus ne uocationem Dei, ut uitemus pericula & aduersitates? Hoc

Vocationem
Dei sectanti-
bus, imminet
pericula.

autem

autem non esset pericula uitare, sed iuxta prouerbium, pluuiam fuge re, & in fluuium incidere, temporalia quedam et momentanea picula uitare, perpetuo aut exitio sese obnoxium reddere. Ac Satanae quidem consilium est, ut immisis afflictionibus deterreat nos a sectanda uocatione Dei, et reuocet ad impietatem. Consilium autem Dei est, ut immisis afflictionibus probet ac exerceat fidem nostram, et declaret nobis per afflictiones uirtutem suam, adeoque subinde maiores benedictiones per eas conferat. Quare tanto magis perseverandum est in obedientia Dei, quanto grauiore calamitates in nos exurgunt. Deinde, quod Mose non regerit ingrato maledictum, sed consultat de salute sua, docet nos, ut non regeramus maledicta maledictis, sed potius admoneamur ex aduersarioꝝ maledictis, ut nobis salus nostra cure sit. Et si quidem meriti sumus maledictum, caueamus, & resipiscamus. Si autem immeriti, tanto diligentius innocentiam conseruemus, quanto sollicitius Satana eam impugnat. Postremo, quod Mose timeat Pharaonem, et fugiat in exilium, ne a rege trucidetur, declarat quidem nihil humanarum imbecillitatum a se alienum esse, non tamen derelinquit uocationem Dei, nec sectatur impietatem. Fugit enim, ne citra uocationem Dei manifestis periculis sese obijceret, ac Deum tentaret, fugit, ut uoluntati Dei, qua perspicue tum ex contumelia ab impio Israelita allata, tum ex insidijs Regis, intelligebat se in exilium diuinitus extrudi, obsequere, fugit, ut interea temporis de uocatione Dei firmiter certificaretur, fugit, ut opportuniori tempore ad liberandos Israelitas reuerteretur. Sic fugit Iacob fratrem suum Esau a terra promissionis. Sic fugit Dauid Saul. Sic fugit Christus lapidaturos ipsum: Sic fugit Paulus prefectum regis Aretæ a Damasco. Sic & Christus ad Apostolos suos dixit: Si persecuti uos fuerint in ciuitate hac, fugite in aliam. Fuga igitur Mosi, non fuit impietas, sed obedientia erga Deum, et patientia, qua Mose in incommoda exilij longe omnium grauissima, sese equo animo iniecit. Et cum exilium in Domino patienter susceperit, Dominus Deus noster tanta clementia ipsum complexus est, ut fecerit ipsi exilium non solum tolerabile, uerum etiam iucundum, ac liberauerit ipsum ab exilio, & reduxerit ad populum suum Israel honorificentissime. quemadmodum postea sequitur.

ERANT AUTEM SACERDOTI MIDIAN SEPTEM FILIAE.) Hunc Sacerdotem, alij dicunt binominem fuisse ac uocatum Iethro & Reguel. Alij scribunt Reguelem fuisse patrem Iethro, et illum fuisse auum, hunc autem uerum parentem septem filiarum, de quibus hic fit mentio. Alij sentiunt Iethro fuisse fratrem harum septem filiarum, & tam Iethro, qui alio nomine uocatur Hobab, Num. x. quod septem filias fuisse liberos Reguelis. Unde et Iethro alias uocatur affinis Mosi. Atque haec sententiarum diuersitas hinc adeo accidit, quod (Hathen,) quod uocabulum scri-

Mosi fuga ex
Aegypto.

Reguel.
Iethro.

ptura ipsi lethro attribuit, Hebræis tam socerum, quæ affinem significat. Deinde sentiunt hunc sacerdotem non simplicem sacrificulum, sed etiam principem illius regionis fuisse, quales sunt in Germania Episcopi. Vnde Chaldeus pro (Cohen Midian) reposuit (Raba demidian,) hoc est, principem Midian. Huius igitur principis filia potant gregem patris sui, & cum pastores inferrent ipsis iniuriam, defendunt a Mose. Hoc loco primum obserua, in filiabus lethro, ueteræ principum consuetudinem. Hi enim educarunt liberos suos non ad delicias, sed ad labores, Et tanto honestius sibi duxerunt, laborare, quanto id ordinationi diuinæ & nature humane magis quæ otio indulgere conuenit. Deinde uide iniquitatem pastorum. Reijciunt enim nulla legitima causa, sed meram lasciuia & petulantia puellas a potandis gregibus suis, uel quæ puellæ propter imbecillitatem uirium suarum iniuriæ facile paterent, uel quæ pastores, ut homines impij, sacerdotem patrem puellarum oderant. Cum enim nulla gens sacerdotibus ac ministris diuinarum rerum carere possit, miro tamen odio ipsos prosequi et nullis non iniurijs afficere solent. Vnde autem hoc accidit, certe non accidit sacerdotalis ordinis culpa. Etsi enim multi sacerdotes reprehensibiles inueniunt, propter malos tamen non esset totus ordo uituperandus, et male afficiendus. Sed accidit impietate populorum, qui cum Deum ipsum, cuius sacerdotes ministri sunt, maximo odio prosequantur, uereantur autem Deum palam conuictis incessere, effundunt odium suum in ministros Dei. Sed quantum peccatum sit, uel impotentes iniurijs afficere, uel odio Dei, ministros ipsius contumeliose tractare, & quæ minime impune laturus sit Deus eiusmodi iniurias & contumelias, non est huius loci explicare. Postremo, Mose exhibet iterum specimen uocationis sue. Defendit enim puellas ab iniuria pastorum, & potat greges ipsarum. Quo facto iterum adumbratur, Mosen diuinitus ordinatum esse in defensorem innocentium, & liberatorem oppressorum, hoc est, in ducem Israelis ex Aegypto.

Principium ueterum consuetudo.

Sacerdotes odio habiti.

CONSENTIT ERGO MOSE QUOD HABITARET CVM EO.) Sacerdos Midianita humaniter excipit & tractat Mosen. Et ut beneficium rependat beneficio, dat ipsi filiam suam, nomine Ziporam, in uxorem. Ex qua Mose suscipit filium, cui imponit nomen Gersom, ut nomine filij admonetur diuinæ clementiæ, qua Deus ipsi in exilio ita complexus est, ut non solum reddiderit ipsi propicios, homines ignotos, uerum etiam dederit ipsi in terra aliena uxorem, filiam principis, & liberos. Quod enim significat peregrinum, & quod illuc. Vnde nomen Gersom deriuatum est, quia, inquit, peregrinus fui in terra aliena. Deinde suscipit Mose, etiam alterum filium à Zipora, de quo non fit mentio in hoc capite apud Hebræos, sed infra, in capite xviij. è quo loco Greci & Latini illud de altero filio, huc transposuerunt. Vocauit autem

Gersom, filius Mose.

autem hunc Eliezer, ut & hoc nomine admoneatur de diuinis beneficijs, quę ipsi in exilio contigerūt. Eliezer enim significat, Deus adiutor meus, לֵאזֵר significat Deum, עֲזָרָה, adiutorem, quia, inquit, Deus patris mei adiutor meus, & eripuit me de gladio Pharaonis. Hoc exemplo primum admonentur parentes, ut liberos suos aspiciant, non, ut Filijs, moniti mēta diuina beneficentia impij, tanquā irritamenta auaritię, sed tanquā monumenta diuinę beneficentię, & excitentur ad gratiarum actionem, & obedientiam Deo præstandam. Deinde monentur omnes exules, ut exilia sua, & alia aduersa fortiter ferant, & bene confidant. Domini enim est terra & plenitudo eius, qui & in Mose declarauit, quę confidentes in ipsum, in medio etiam exilio conseruet, ac magnis beneficijs afficiat, adeoque nunquam sinat ipsos tentari supra id quod possunt, sed faciat unā cum tentatione euentum, ut possint sufferre. Exule- dant,

CAPVT III.

POST MULTVM VERO TEMPORIS MORTVVS
EST REX AEGYPTI.)

In superioribus capitibus descripta est afflictio Israelis in Aegypto, & conditio Mosis, priusquā uocatus est ad liberandum Israel. Nunc autem scriptura accingit se ad describendam liberationem Israelis ex Aegypto. Nam, quantum quidē attinet ad humana auxilia, nusquā gentium uel tantillum salutis apparebat Israelitis. Moritur quidem crudelis ille Rex, qui iusserat occidi pueros Hebręorum. Sed successit in locum eius rex prope crudelior, quemadmodum postea sequitur. Et affulserat spes quędam liberatiōis, ex Mose, cum adhuc in aula Regis uersaretur, sed is non solum necesse habuit regem ex Aegypto propter homicidium fugere, sed fuit etiam a suo ipsius populo reiectus, & abfuerat iam in exilio quadraginta annis, ut Israelitę reditum eius ne optare quidem, tantum abfuit, ut sperare potuerint. Iā & ipsi Israelitę coram hoībus impotentiores erant, quā ut potuerint sese in libertatem uindicare. Coram Deo autem iniustiores, quemadmodum supra demonstrauius, quā ut potuerint merito suo apud Deum libertatem impetrare. Quare si quispiam Israelita respexit tantum in humana auxilia, & humanam iustitiam, necesse habuit de consequenda libertate desperare. Sed uerissimum est quod uulgo fertur: Vbi desinit humanum auxilium, ibi incipit diuinum, & cum duplicantur lateres, tunc uenit Moyses. Et si enim de salute Israelis apud hoīes desperatum erat, apud Deum tamen oīa salua constabant. Is enim respicit Israelē ex alto clementissime, ac meditatatur liberationem eius maxime oīam admirandam. Quid ergo est, quod Dñm Deum nostrum

ad tantam clementiam commouet. De hac re supra diximus. Sed scriptura hoc loco ualde perspicue explicat, quid Dñs in liberando Israele respexerit, Dicit enim: In gemiscentes filij Israel propter opa uociferati sunt. Ascenditq; clamor eorum ad Deum ab operibus, & audiuit gemitum eorū, ac recordatus est foederis sui quod pepigit cum Abraham, Isaac & Iacob. Ex his manifeste habes, Dñm Deum nostrū respicere in Israelitis, non iustitiam ipsorū coram iudicio diuino, hac em̄ carebant, sed afflictiones, oppressiones, calamitates, gemitus, clamores, & uociferationes ipsorum. Deus enim tanta misericordia afficitur erga miseros & afflictos, & tāta indignatione fertur aduersus iniurias, ut eas ne alioqui impijs quidem illatas, patiatur inultas. In seipso aut̄ respicit Deus ueritatem promissionum suarū. Recordatus est, inquit, foederis sui, qđ pepigit cum Abraam, Isaac et Iacob. His enim patriarchis promisit Deus magna autoritate, tum uerbis, tum iuramentis, qđ uelit semen ipsorū multiplicare, cōseruare, ab inimicis liberare, terram Canaan ipsis in hereditatem tradere, regnum inter ipsos instituire, adeoq; propitius ipsorū Deus esse. Cum ergo incredulitas hoim non euacuet fidem Dei, & Deus uerax sit, etiamsi oēs homines mendaces sint, recordatur nunc promissionis suę et respicit semen patriarcharū, ut ipsos ē tyrannide Aegyptiorum liberet, atq; ad terram promissam reducat. Hęc oīa diligenter obseruata declarant maximā Dei clementiam, & certissimam promissionum suarū ueritatem. Vbi aut̄ confirmatur certitudo clemētis & ueritatis Dei, ibi confirmatur & fides nostra in aduersis, ut forti animo toleremus aduersa, certissima spe concepta, qđ Deus respiciat afflictionem nostram, & sit seruantissimus promissi sui. Deinde ex hoc etiam loco discamus rectam orādi formam coram Deo componere, ut quod petimus, impetremus. Nā cum Deus respiciat afflictiones & ueritatem promissionum suarū, nihil efficacius a nobis fieri potest, q̄ ut in oratione nostra offeramus Deo, non dico iusticiam nostram, hęc enim est immunda, sed afflictionem nostram, & cor nostrū cōtritum atq; humiliatum. Deinde offeramus etiam ex fide promissiones Dei, sic em̄ certo uoti nostri cōpotes efficiemur. Ceterum, quia Deus respicit afflictiones Israelitarū, & recordat̄ promissionum suarū, quās patriarchis dixerat, ideo init deinceps rationes, quibus Israelitas in libertatē ex Aegypto uindictet. Ac principio abripit morte crudelissimum illum tyrannum, qui iusserat pueros Hebręorū occidi, qui & uitę Mosis insidiatus fuerat. Hic ergo uide mihi, quantę sit coram Deo efficacis clamor pauperū, miserorū, & iniuste afflictorum, q̄ prudenti quoq; seueritate Deus aduertat in tyrannos miserorum hominum oppressores. Cum enim Israelitæ tam crudeliter a Pharaone tractarentur, ut ipsi quidem grauissima

*Afflicti
miseri a Deo
respiciuntur.*

*Promissionū
diuinarum
ueritas.*

*Orandi for-
ma.*

*Pauperum
clamor poten-
tissimus.*

grauiſſima ſeruitute opprimerentur, maſculi aut̄ ipſorum trucidaren-
 tur, nihil aliud reliqui habuerunt, q̄ ut ingemiſcerent, flerent, uocife-
 rantur, ac Deo cœli iniurias ſibi illatas conquererent. Sed hi gemitus,
 lachrymę & clamores tam potentes fuerunt, ut tanq̄ ancipiti gla-
 dio tyannum Pharaonem è medio ſuſtulerint, ac interemerint. Volu-
 it em̄ Pharao Iſraelitas funditus delere, ſed q̄d ipſe decreuerat Iſraeli-
 tis inferre, hoc Deus infert Pharaoni, ac conijcit ipſum q̄dem in mor-
 tem & perpetuū interitū, Iſraelitas aut̄ ſeruat & liberat ex oĩbus tribu-
 lationibus. Habent ergo hoc loco tam pauperes & oppreſſi, q̄ tyran-
 ni pauperum oppreſſores, quod diſcant. Subditi em̄ & miſeri hoĩes,
 qui a tyrannis ſuis iniuria opprimuntur, non debent tyrannos male-
 dictis inceſſere, aut ſeditionem mouere, & tyannum trucidare. Hac
 enim uia non liberant ſe a tyrannide, ſed mutant tantum tyrannos, &
 pro uno occiſo, decem crudeliores acquirunt, & conijciunt ſe in pe-
 ricula longe oĩm grauiſſima coram Deo & mundo. Sed debent ultio-
 nem Deo relinquere, interim autem ingemiſcant, clament ad Deum,
 & petant ab illo liberationem. Nam cum Dñs dixerit: Mea eſt ultio
 & ego rependam, nec tyrannis maius ſupplicium inferri, nec miſeris
 certior ſalus contingere poteſt, q̄ cum ultio Deo relinquitur, & ad
 Deum pro auxilio clametur. Illud enim, EGO REPENDAM, fran-
 git ceruicem oĩbus tyrannis, miſerorum oppreſſoribus, & iniuriam
 inferentibus. Tyranni autem diſcant hoc loco pœnitentiam & timo-
 rem Dei. Eſi enim ſubditi & aliĩ iniuria affecti, aut non poſſunt uiri-
 bus ſuis iniuriam ulciſci, aut non licet ipſis gladio aduerſus tyannū
 graſſari, habent tamen gladium gemitus & clamoris ad Deum, quo
 poſſunt efficere, ut tyannus corpore & animo pereat et in gehennam
 mittatur. Huc pertinet illud, quod Deut. xv. et xxiiij. de pauperum cla-
 more ſcribitur. Ne clamet, inquit ſcriptura, contra te ad Dñm, & fiat
 tibi in peccatum. Nam ſi clamor illius penetrat nubes, cui in pauper-
 tate negatur mutuuum, & cui ante ſolis occaſum non redditur merces
 laboris, quanto magis efficax eſt clamor horũ, quibus etiam id quod
 habent, uiolenter aufertur, aut alioqui manifeſta et crudelis iniuria in-
 fertur. Tameſi enim hi qui clamant ob illatam iniuriam, non oēs p̄j
 ſint, nec ſi maneāt impij, ad ueram ipſorũ ſalutem exaudiantur, Deus
 tamen intantum commouetur iniurijs, ut etiam clamorem alioqui im-
 piorum, iniuria tamen affectorum exaudiat & ulciſcatur. Diſcamus igitur
 Deum timere, et nulli iniuriam inferre, ſed oĩbus ſiue amicis ſi-
 ue inimicis benefacere. Deinde, poſtq̄ Deus abripuit Pharaõem mor-
 te, uocat Moſen in monte Oreb, ut mittat ipſum ad liberandum Iſrae-
 lem ex Aegypto. Explicabimus igitur nunc uocationem Moſi, ſi pri-
 us paucis oſtenderimus, quanto tempore Moſe egerit in Midian, &

Oppreſſi con-
 ſidant, non
 cõuiciuntur

Tyranni tim-
 meant.

quo illic officio functus sit, ac de monte etiam Horeb, quem alio nomine uocant montem Sinai. Nam cum Mose quadraginta esset annorum, eiectus est in exilium, ac profectus in Midian habitauit illic quadraginta annis, quemadmodum testatur Stephanus in actis Apost. cap. vii. Itaque cum uocatus est ad liberandum Israel, fuit octoginta annorum. In his autem quadraginta annis, quibus etate egit in Midian, pascit oues loceri sui Reguelis & affinis sui lethro. Hic ergo uide mihi, quomodo Deus electos suos tractare soleat. Is Mose fuit eo tempore, Domino Deo nostro longe omnium hominum in toto orbe acceptissimus, quem etiam ab utero matris selegerat in liberatorem & legislatorem Israelis, quod officium superauit omnium Regum maiestates, nihilominus tamen permittit ipsum xxx. annis exulare, non solum inter homines impios, uerum etiam in durissima seruitute officii pastoralis. Quanto enim labore, & quanta sollicitudine constet, pascere oues, patria cha Iacob satis perspicue indicat, dicens: Diu noctuque, estu urgebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis. Quid ergo? num Deus ideo oblitus est Mose, quia uisus fuit ipsum tot annis, & in tantis laboribus negligere ac despiceret? Minime omnium. Nam conseruauit ipsum maxima semper cura, quam etiam nunc manifesta uocatione reuelat. Domino enim Deo nostro solenne est, ut quos habet charissimos, ad horum afflictiones aliquandiu conuiueat quidem, sed interea temporis tantam sollicitudinem pro salute ipsorum gerat, ut prepararet ipsis excellentiorem gloriam & maiestatem, quam unquam ausi fuissent optare, nedum sperare. Unde dum Mose pascit oues in exilio, prae parat ipsi Dominus principatum populi sui Israelis, hoc est, maiorem maiestatem in ecclesia Domini, quam nullus unquam clarissimorum regum habuit. Maior enim est maiestas, esse ducem populi Dei, esse liberatorem populi Dei, esse legislatorem & instauratorem Reip. in populo Dei, esse se mediatorem inter Deum & Israel, quemadmodum Paulus ad Galat. Mosen uocat, quam esse alioquin multarum & maximarum gentium imperatorem, ut nihil dicam de dono miraculorum edendorum, quo Mose prae omnibus regibus terrae diuinitus ornatus fuit. Idem habes in Dauide, in Daniele, imo in ipso Iesu Christo, quos omnes Deus ad tempus dereliquisse uisus est, sed interea parauit ipsis maximam salutem. Quare si affligaris, noli existimare te a Domino neglectum & abiectum, sed confide & cogita Deum interea temporis, dum tu affligeris, ut ita dicam, occupari in praeparanda tibi maiori salute, quam petere audeas. Caeterum, Horeb mons. Horeb, de quo hic fit mentio, mons est in deserto Arabiae, in ea parte deserti, quae uocatur Sinai, unde & ea montana, Sinai dicuntur. Deducunt autem Hebraei Horeb, (Merob habom,) hoc est, a multitudine feruoris, quod nulla pluuia illic decidat. Et Sinai deducunt a (Sinah,) quod est, arbor producens spinas, aut rubus, quod in his montanis plurima sit ruborum copia:

Mosi afflictio
nes in exilio.

Mosi claritudo
ex amplitudine.

Horeb mons.

copia. Is mons Horeb, dicitur hoc loco mons Dei, non quod eo tempo-
 re, quo Mose uidit rubum in ipso ardentem, sic uocabatur, sed quod po-
 stea sic cognominatus est, quia Deus illic reuelatus sit Mosi, & dederit
 in eo monte legem, aut fortassis, quod fuerit mons ingens, sicut alias
 exercitus Dei dicitur, exercitus magnus. His cognitis, accedendum nunc
 est ad explicandam uocationem Mosi. Cum enim Dominus uellet Is-
 raelitas ex Aegypto liberare, uocat & constituit Mosen in ducem Isra-
 elitarum. Et quia maxime molis erat, miseram & inermem ac oppressam
 gentem, ex tam graui & dura tyrannide liberare, nec cuiquam liceat sine
 certissima uocatione Dei publica officia inuadere, ideo Dominus Deus
 noster uocaturus Mosen, principio reuelat suam presentiam magno *Mosi uocatio*
 & stupendo miraculo, ut Mosen certificet, hanc uocationem esse Dei
 uocationem. Deinde sequitur ipsa uocatio, cui addit Deus liberalissi-
 mas promissiones de presentaneo suo auxilio. Postremo exornat etiam
 Mosen dono aedendorum miraculorum, quo parerit sibi audientiam
 & autoritatem propositi sui tam apud Israelitas quam apud Aegypti-
 os. Haec perstringemus secundum ordinem. In primis ergo, miracu-
 lum est, Rubus ardens, & non combustus. Mose enim (inquit) pas-
 cebat oues Iethro affinis sui sacerdotis Midian. Cumque minasset gre- *Mosi rubus*
 gem ad interiora deserti, uenit ad montem Dei Horeb, apparuitque ei
 angelus in flamma ignis de medio rubi, & uidebat, quod rubus arde-
 ret, & non combureretur. Hunc rubum alij aliter interpretantur. Ex
 nostris scriptoribus sunt qui dicant hunc rubum ardentem, sed non
 combustum, significare Christum in humanitate. Alij scribunt signifi-
 ficare ecclesiam persecutionibus inflammari, sed tamen, quia Domi-
 nus in ea loquitur, non perire. Sunt & qui sentiant hoc rubo signifi-
 cari immaculatam uirginitatem beatę Marię matris Christi. Atque Ma-
 ria quidem uirgo peperit & uirgo permansit, sed quod apte hoc ad ru-
 bum Mosi accommodetur, uiderint illi. Alij interpretantur rubum sig-
 nificare spinosum populum Iudeorum, ad quem Mose mittebatur. Et
 ideo rubus non cremabatur, quia duritia Iudeorum legi Dei reluctaba-
 tur. Hebrei autem sic interpretantur: *האויב נמשל לאש וישראל לסנה*
 hoc est, inimicus comparatur igni, Israel autem rubo. Sicut ergo
 rubus ardet quidem sed non comburitur, ita Israel sustinuit hactenus
 grauissimas persecutiones ab Aegyptiis, & sustinebit deinceps non
 minus graues etiam ab alijs gentibus, sed ut non est extinctus flam-
 ma Aegyptiaca, ita non extinguetur flammis & persecutioni-
 bus aliarum gentium. Haec & id genus aliarum interpretationes ru-
 bi, nonnihil fortassis profunt ad allegoriam, sed hunc locum non
 explicant. Quare, ut genuinam huius loci sententiam habeamus, sim-
 pliciter considerandum est, quod hic scriptura de rubo commemorat.

Proponitur enim rubus ardens, & non deficiens, ut miraculum magnum & stupendum, contra naturalem rerum cursum. Tametsi enim Hieronymus, autore Augustino, narret, uirgulti genus esse, quod cum igni corripitur, non tamen consumatur, sed ardendo purgatius reddatur, tamen quia scriptura dicit, Mosen, cui alioqui in omni sapientia Aegyptiorum erudito, & tot annis in regione Midianitarum incolę, naturę arborum & uirgultorum eius regionis probe cognite erant, hanc magnam uisionem admiratum, sentiendum est in hoc ardenti rubo, non tamen deficiente, contingere miraculum stupendum & supernaturale: Miracula autem in hoc diuinitus usurpantur, ut sint testimonia, ac ueluti celestia sigilla uerbi Dei, quemadmodum alias sepe numero ostendimus. Cum igitur Deus esset Mosen uocaturus ad ducatum Israelis, & mandaturus ipsi officium liberandi Israelem ex Aegypto, proponit ei ob oculos miraculum ardentis rubi, ut hoc celestis testimonio certificet Mosen, hanc uocationem que sequitur, esse uere diuinam uocationem, & ut Mose hoc miraculo persuasus, certissime credat, uocem ex rubo acclamantem, non hominis, aut spectri alicuius, sed ueri Dei, per angelum uoluntatem suam adnunciantis, uocem esse. Deinde, sequitur uocatio Dei ex rubo, qua Deus Mosi mandat, ut Israelitas ex Aegypto liberet, cui addit paulo post etiam promissio: Ego ero tecum. Nam cum Mose uideret rubum ardere, & non comburi, dixit, uadam & uidebo uisionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. Sed cum accederet, mox audit uocem Domini Dei de medio rubi clamantis: Mose Mose: Quod scriptura antea dixit, angelum Domini apparuisse in flammeo incendio rubi, nunc autem dicat ipsum Dominum ex rubo clamasse ad Mosen, non pugnat secum. Domini enim Dei nostri est autoritas & magisterium, angelorum autem est ministerium, qui, nomine, presentia, & mandato Domini agunt, quod agunt. Unde & in Psalmo dicitur, Qui facis angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem urentem. Ceterum, quod Deus uocet Mosen, nomine suo, manifeste indicat, summam Dei curam erga homines, quippe quod ipsos etiam ex nomine suo, quod minimum hominis est, nouerit, quemadmodum alias Christus dicit, etiam capillos capitis nostri apud Deum numeratos esse. Sed quid clamat Dominus per angelum ad Mosen: Non appropies, inquit, huc. Solue calciamentum de pedibus tuis, Locus enim in quo stas terra sancta est. Quid ergo nunc hic mons sanctiores habet glebas & lapides alijs regionibus: Minime. Domini enim est terra & plenitudo eius. Et: coelum ac terram ego impleo dicit Dominus. Sed hic locus dicitur sanctus, quod Deus reuelet se in hoc loco, uerbo suo, & quod ex hoc loco mittat Mosen ad liberandum Israelem, & quod in hoc loco daturus erat legem, ac instauraturus nouam Rempublicam, ecclesiasticam & ciuilem in populo Israel. Nam uerbum Dei,

Rubi ardor
miraculum.

Miraculorum
usus.

In rubo angelus
loquitur
et Dominus.

Sanctus locus
unde.

Dei, & lex Dei, uere sancta sunt. Quare et ea loca merito sancta dicuntur, in quibus uerbum & lex Dei reuelatur & tractat. Sic patriarcha Iacob uocat eum locum, in quo apparuerat ipsi scala ad coelum pertinens, & audiuerat promissiones dei, terribile, domum Dei, et portam coeli, non quod ea terre pars aliquid sanctitatis praeter alijs terris in se continuerit, sed quod in eo loco reuelatum fuerit uerbum Dei. Aufer uerbum Dei, et locus erit oibus alijs similis. Adde uerbum Dei, et locus erit sanctissimus. Sic Hierusalem dicitur urbs sancta, quia fuit in ipsa constitutum templum, in quo tractabatur uerbum Domini & sacramenta eius. Sic tota terra Canaan sancta dicitur, propterea quod uerbo Domini promissa fuerit semini Abrahae. Sic & omnia Christianorum templa, in quibus uerum predicatur Euangelion, & sacramenta tractantur iuxta institutionem Christi, sancta dicuntur, non propter lapides & ligna oleo consecrata, sed propter Euangelion & Sacramenta, quae uere sancta sunt, quae si a templis auferantur, relinquunt ipsa non minus prophana quam alia loca. Sed quid est, quod Dominus iubet Mosen calciamenta exuere? Num calciamenta tam impura sunt, ut inquinent locum? Interpretes ecclesiastici uarie exponunt calciamenta. Alij dicunt his uerbis Mosi praecipuum, ut deponat mortuaria opera, quae sunt peccata. Calcei enim fiunt ex pelibus mortuis. Alij sentiunt significatum, curam rerum temporalium esse deponendam. Alij putant Mosen ideo iussum soluere calciamentum pedum suorum, ut sumat calicamentum Euangelij, de quo dicit Paulus. Calciati pedibus, ut parati sitis ad Euangelion pacis, uel ut significetur, praedicationem Euangelij non deberi Mosi, hoc est, Prophetis, sed Apostolis. Atque haec fortassis ad tractationem allegoriae non inepta sunt. Sed quid proprie, & ut uocant, secundum literam sibi hoc praecipuum de exuendis calceis uelit, uidetur petendum esse ex duodecimo capite huius libri. Ibi enim mandat Dominus, ut uescitentes agno paschali habeant calciamenta in pedibus, quibus admoneantur, sibi abeundum & in aliam regionem proficiscendum esse, & ut postea in celebratione agni paschalis, reuocent sibi hac calciamentorum cerimonia, in memoriam, profectionem & liberationem ex Aegypto. Quod si indumentum calceorum significat profectionem ex loco, certe exutio calciamentorum significabit mansionem in loco. Dominus igitur iubet Mosen calciamenta exuere, ut hac cerimonia admoneretur ipsum, ne ultra pergat, sed sistat gradum & attendat, quid ipsi mandetur, quod dicitur. Ne appropinques huc ad rubum, sed siste gradum, & animaduerte magna diligentia, quid te uelim, & quid iubeam. Locus enim in quo stas, terra sancta est, hoc est, in hoc loco mandabo tibi rem sanctissimam, uidelicet, ut Israellem ex Aegypto liberet, & ad hunc locum ducas, in quo & ipsam sanctam legem daturus sum. Potest

Bethel, locus sanctus.

Hierusalem urbs sancta. Canaan terra sancta.

Christiano- rum templa sancta.

Calciamenta exuere quide

etiam expositio huius loci peti e quarto cap. libelli Ruth, ubi sic legitur: Hic erat mos antiquitus in Israel de redemptione & commutatione, ut esset rata celsio, soluebat homo calciamentum suū, & dabat pro pinquo suo. Hoc erat testimonium celsionis in Israel. Ex hoc igitur loco notabis, soluere calciamentum significare celsionem de suo iure, & facile iudicabis, quid sibi uelit Dñs, q̄ iubeat Mosen calciamentū suum soluere. Nam Mose tradiderat sese iam totum in functionē pastoralis officij, et noctes atq̄ dies hoc unū agebat, ut pasceret gregem fidei suę commissum. Preterea minauerat gregem in desertum Sinai, non ut illic aliquid diuini quereret, iudicabat em̄ esse locum prophantisimum, q̄ppe qui ardore solis sterilis reddebatur, sed ut quereret gregibus suis pascua. Postq̄ igitur uenisset ad montem Horeb, apparet ipsi Dñs e flammeo incendio rubi, & iubet ipsum calceos exuere, ut hac cęrimonia admoneat eum, quo de pastoralis officio, tanq̄ de iure suo cedat, & sectetur eam uocationem, ad quam nunc ipsum ordinaturus sit. Solue, inquit, calciamentum de pedibus tuis, quia uolo, ut non amplius agas pastorem ouium, sed ut de hoc officio cedas, & resignes te totum meę uocationi, ad quam nunc te ordinabo. Non pascas amplius oues affinis tui, sed pascas Israelem populum meū, & liberabis eū ex Aegypto. Preterea existimas hunc locum desertum nullis diuinis rebus aptum. Ego aut̄ uolo, ut & de hac opinione cedas. Hęc em̄ terra, sancta est, quia in hoc loco ego me ipsum uerę Dñm, & Deum Abraę, Isaac, & Iacob, tibi reuelo, & ex hoc loco mitto te ad liberandum Israelem. In hoc similiter loco daturus sum legē meā sanctam, & instaurabo nouam Remp. in populo meo sancto. In horę oim̄ testimonium, uolo ut soluas calciamenta de pedibus tuis, & audias, quid tibi precipiam. Idem etiam precipitur Iosue successori Mose, in ducatu Israēlis. Hic enim cum uenisset ultra Iordanem ad urbē Hiericho, audit a principe exercitus Dñi: Solue calciamentum tuum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, sanctus est. Iosue non habuit tam contaminata calciamenta, ut his polluerit locum in quo stabat, sed habuit opinionem, quę displicebat Domino. Videbat enim Iosue urbem Hiericho clausam, atq̄ probe munitam esse, & desperabat propemodū, se posse eam uiribus populi sui expugnare, nihil minus sperans, q̄ ut singulari quodam Dei miraculo uinceretur. Vnde putabat sibi longius proficiendum, & alio diuertendū esse, quo exercitus populi Dei tutus sit ab hostibus. Reuocat igit̄ Dominus ipsum ab hac opinioe, & admonet eum cęrimonia exuti calciamenti, ut de hac mentis imbecillitate tanquam de iure suo cedat, & obseruet quid ipse promittat et iubeat. Locus enim, inquit, in quo stas, sanctus est. Hęc est illa terra, quam promisi semini Abraę. Et hic locus in quo stas, & in quo sita

quò sita est urbs Hiericho, ad terram illam promissam pertinet. Quare confide, & sequere uocationem tuam. Etsi enim uidetur tibi impossibile, ut Hiericho expugnetur, ego tamen in hoc loco edam miracula stupenda. Efficiam ut muri eius, sonitu tubarum, & uociferatione humanae uocis funditus corruant, ut pateat uobis apertus accessus ad de uastandam totam urbem. Quid si adhuc simplicius intelligas, Dominum hac cerimonia admonuisse Mosen & Iosua, ut non existiment hæc loca prophana & immunda, sed diuinitus electa, in quibus res maximæ reuelentur. Calceis enim sordes adhærent. Ergo dum Mose & Iosua iubentur calceos exuere, admonentur, ne reputent hæc loca fordida, & a diuino usu prorsus remota. Hæc uidentur esse simplicissimi sententiæ huius loci de exuendo calciamento. Nunc si allegoriam uolueris, monemur & nos oēs, ut in oibus operibus aut passionibus nostris calciamenta exuamus, hoc est, ut de eo iure, quod a parente nostro Adamo propter peccatum possidemus, libenter cedamus, uoluntatem nostram Deo subiiciamus, ac soli diuinæ uoluntati & uocationi obsequamur. Post hæc exponit Deus, quis sit, & quis appareat & loquatur de rubo. Ego, inquit, sum Deus patris tui, Deus Abraam, Deus Isaac, & Deus Iacob. Hic est unus de præcipuis locis, quæ præ alijs in hoc secundo lib. Mosi obseruandi ueniunt. Nam ex hoc loco Christus probat aduersus Sadduceos, resurrectionem mortuorum. Vide apud Mattheum cap. xxij. & Marcum cap. xij. & Lucam cap. xx. Cæterum, cum Mose audiret uocem Dei, obstupescit, & operit faciem suam, non enim audebat aspicerere contra Deum. Natura enim humana imbecillior est, quæ ut ferre possit tantæ maiestatis uocem, & maiorum scelerum sibi conscia est, quæ ut faciem suam coram Deo leuare audeat. Seruus huius seculi, uix audet faciem Domini sui carnalis confidenter contemplari, & subditus magno tremore audit uocem magistratus sui, quomodo igitur non posset se homo reuerenter gerere erga uultum et uocem Domini Dei sui? Et obserua hoc loco ex Mose, quod si non possumus tolerabilem, aut etiam clementem reuelationem Dei uiribus nostris sufferre, quomodo ferremus in conscientia nostra horribilem illam uocem iræ Dei, qua omnes homines propter peccata maledicuntur, & damnantur? Quare ad Christum festinandum est, ut in Christo & propter Christum iram Dei effugiamus.

Resurrectio
mortuorum.

Sed pergit Dominus, & ait ad Mosen. Vidi afflictionem populi mei in Aegypto. Hæc est uocatio illa, qua Mose ordinatur a Deo in ducem & liberatorem Israelis ex Aegypto. Veni (inquit Dominus) ut mitam te ad Pharaonem, ut educas populum meum, filios Israel, de Aegypto. Quomodo ergo Mose hanc uocationem excepit? Quis sum ego, inquit, ut uadam ad Pharaonem, & educam filios Israel ex Aegypto?

*Mose agno-
scit suam im-
becillitatem.* Hęc non est uox inobedientię, sed est agnitio & confessio suę imbecillitatis. Pastor sum, & uix oues a bestijs defendo, quomodo igitur possem Israelitas a Pharaõe omnibus bestijs sæuiores defendere? Nec arma mihi sunt, nec exercitus militaris. Et regnum Aegypti potentissimum est, populus autem Israel plane imbellis, & oppressus. Et accedit huc, quod nõ pateat mihi liber reditus ad Aegyptum, propter homicidium, qua igitur fiducia inflatus, tantum facinus auderem? Quãquam autem ipsa imbecillitas obsequendi uocationi Dei, sit peccatum, tamen agnoscere hanc imbecillitatem non est peccatum, sed est primus gradus ad ueram iustitiam, & placet Deo. Cum igitur Mose agnosceret se imbecilliores, quam ut possit tantam uocationem exequi, addit Deus clementissimam promissionem suam, ex cuius fide Mose satis uirium conciperet ad exequendam uocationem Dei. Dicit enim Dominus: **אֲנִי עִמָּךְ**, hoc est, **ERO TECVM**. Qua promissione quid potest dici maius, excellentius, fortius, aut armatius? Quid enim fortius aut magis armatum Deo? Deus per se est omnipotens, habet præterea innumerabilem exercitum angelorum, quorum unusquisque tanta potentia præditus est, ut possit una nocte interimere centum octogintaquinque millia armatorum uirorum, quemadmodum manifestum est ex Historia Hiskiaę, iiii. Regum xviii. Cum igitur Deus promittit, se auxilio suo præsto ad futurum ambulanti in uocatione sua, certe promittit ei in auxilium suam ipsius omnipotentiam, & omnem angelorum suorum potestatem. Quis autem tantę potestati, tam immensę omnipotentię, præualere posset? Quare, cum Dominus ad Mosē dicit: **ERO TECVM**, promittit ipsi maiores uires, quę si tradidisset in manus eius decem myriades humanorum exercituum. Et quo certior sit hæc promissio, addit asseuerationem: Hoc, inquit, habebis signum, quod miserim te, Cum eduxeris populũ de Aegypto, seruietis Deo super montem istum. Iosephus intelligit signum pro gratiarum actione, ut sit sensus, Offeres pro gratiarum actione cum eduxeris populum istum, sacrificium in hoc monte. Sunt qui referant hoc signum, ad rubum ardentem, sed si probe expendas hæc uerba, nihil aliud sunt quę asseueratio et quasi confirmatio prioris promissi per prophetiam, ut sit sensus: Ego non solum promitto tibi auxilium meum in liberando Israele ex Aegypto, sed etiam prædico tibi, quod Israelẽ liberatum & saluum ad hunc montem perduces, ut in hoc monte & holocausta offeratis, & institutionem nouę Reip. in Israele accipiatis. Quare confide, & uocationem meam obedienter capesse. Addit autem Dominus hanc prophetiam de seruiendo aut sacrificando ipsi in monte Horeb, non tantum hoc nomine, ut prior promissio, **EGO ERO TECVM**, uehementius inculcetur, sed etiam, ut Mose

*Agnitio im-
becillitatis,
gradus ad cõ-
sequendã for-
titudinem.*

*Dei præsen-
tia superato-
riam arma-
turam.*

*Promissio dei
fortior exer-
citu militari.*

ut Mose haberet, quod apud Pharaōem pretereret, ad arripiendam occasionem liberandi Israelis. Sic enim postea dicit Dominus ad Mo-
sen: Dices ad Pharaonem, Dominus Deus Hebræorum uocauit nos: Ibimus uiam trium dierum in desertum, ut immolemus Domino Deo nostro. Ad eundem modum additur etiam prophetia, pro signo, & confirmatione, ei promissioni, quam predicauit Esaias Regi Hiskie, iij. Reg. xviii. Promittit enim Dominus Hiskie liberationem ab exercitu Saneherib, & quo ea promissio uehementius inculcatur, addit. Tibi, Hiskia, hoc erit signum, comede hoc anno, que repereris, in secundo aut anno que sponte nascuntur, porro in tertio anno seminate & metite, plantate uineas & comedite fructus earum. Hoc signum nihil aliud est, quam prophetia, qua prior promissio asseueratur, adeoque quodammodo apertius explicatur. Et est uulgaris hominum consuetudo, quod promissionibus suis futura quedam, tanquam signa asseuerandi gratia adijciant, ut pater dicit filio: Promitto tibi hereditatem omnium bonorum meorum, atque adeo, quo magis fidem uerbis meis adhibeas, predicabo tibi, quod in hac ipsa domo habiturus sis in qua ego nunc habito. Et sic etiam in alijs promissionibus hominum fieri solet, nam hoc de patre exempli tantum gratia recitauit, ut uideas non esse inusitatum, quod Dominus addat promissioni Mosi, rem futuram pro signo & asseueratione promissionis. Habes nunc uocationem Mosi ad ducatum Israelis, et promissionem que adiecta est uocationi. Ex qua re nos admonemur, ut nullus inuadat publica officia, priuata sua temeritate, sed expectet uocationem Dei, & interea temporis presentis uocationi diligenter seruiat. Nemo enim existimare debet, quod si Dominus uelit ipsum ad maiora & clariora officia quam nunc fungatur, uocare, non possit ipsum in humili & abiecto uitae genere inuenire: Vides enim hoc loco, quod Dominus inuenit Moysen in officio pastoralis, & in deserto, ac uocauerit ipsum ad ducatum Israelis. Inuenit & Saulem, in querendis asinibus patris sui, et elegit eum in Regem Israel. Inuenit et Dauidem, post fratres, ut Psalmus ait, & unxit ipsum in regem, pro Saule. Inuenit & Ionam prophetam in uentre ceti in medio maris, & coegit coetum ut euomeret ipsum, quo mitteretur Ecclesiastes ad Niniuitas. Quare non est opus ut malis artibus contendas ad ampliora & clariora officia, sed sectare diligenter presentem uocationem, & age ea, que sunt iusta & legitima, & si placueris Domino, certe magna diligentia efficiet, ut audias: Euge serue bone et fidelis, supra pauca fuisti fidelis, supra multa te constituiam: Quid, quod etiamsi nactus fueris amplissimum officium, nulla tamen benedictio aut foelix successus tibi continget in ipso, nisi legitime a Deo uocatus fueris. Si enim absque legitima uocatione Dei, priuata temeritate in publicum officium irruperis, non habes ullam

*Vocatio Dei
expectanda.*

*Promissiones
uocationibus
additæ.*

promissionem benedictionis Dei. Deus enim adiecit promissiones auxilij & benedictionis suæ, non temeritati, sed legitimis suis uocationibus, ut hoc loco, cum uocat Mosen ad ducatum Israelis, addit promissionem, EGO ERO TECVM. Et alias cum uocaret Ieremiam in Prophetam Hierusalem, addit promissionem: Ego tecum sum, & eruam te. Similiter cum emitteret Apostolos suos in orbem terrarum ad prædicandum Euangelion, addit promissionem: Ego uobiscum sum oibus diebus usque ad consummationem sæculi. Adduntur autem promissiones legitimis uocationibus, ut qui uocatus est, confirmet his fidem suam, quo in futuris periculis constet, & in uocatione Dei obedienter perduret. Habet enim unumquodque officium, sua pericula, et suas calamitates, nec ulla est uel tam humilis uel tam sublimis uocatio, que non habeat suas cruces, quas nemo nisi promissionibus & uerbo Dei munus ferre potest. Quare, cum in eo officio, quod priuata temeritate absque uocatione Dei inuadere conaris, neque promissiones Dei, neque felicem successum laboris & ministerij tui habiturus sis, que te intemperie agitent, ut derelicta legitima tua uocatione, alienam, & tibi illegitimam occupares, et eo ipso te in presentaneum salutis tue discrimen coniceres?

AIT MOSE AD DEVM: ECCE EGO VADAM.)

*Nominare
bus imposita*

Hactenus certificauit Dominus Mosen in conscientia sua, quod uocatio ad ducatum Israelis sit diuina, ac certificauit conscientiam eius, primum, miraculo rubi ardentis & non combusti, deinde promissione & promissionis asseueratione. Nunc describitur quomodo populus Israel certificari debeat, quod Mose diuinitus uocatus sit, ad liberandum Israel ex Aegypto. Dicit ergo Mose ad Deum: Ecce ego uadam &c. Si ergo dixerint mihi, quod est nomen eius, quid dicam eis? Ut probe intelligamus, quid sibi Mose hac interrogatione uelit, obseruandum est, quod nomina rebus in hoc imponantur, ut res ipsæ per nomina significantur, explicentur & cognoscantur. Cum igitur Mose inquit hoc loco nomen Dei, inquit non literas tantum & syllabas sed multo magis inquit tam manifestam Dei reuelationem & cognitionem, ut possit Israelitas ad credendum uocationi Dei, sibi mandatae, non aliter persuadere, quam si Deum ipsum personaliter et uisibiliter conspiciendum ac manibus palpandum proponeret. Et est sententia: Quod ad me quidem attinet, certus sum nunc, me diuinitus ad liberandum Israel uocatum, sed non uideo, quomodo possim Israel inducere, ut credat me ad hoc officium uocatum. Dicent Dominum non apparuisse mihi, dicent me narrare somnia capitis mei. Quare si uis, ut uadam ad educendum Israel ex Aegypto, necesse est, ut maiestatem tuam mihi ita reueles, & cognitam tradas, ut possim eam Israelitis manifeste ob oculos ponere, & incredulis sensibiliter obrudere.

Ex his

Ex his intelligis Moſen non eſſe contentum uerbo Dei, ſed hoc am-
 bire, ut arcanam Dei naturam nō tantum ipſe penitus perſpectam ha-
 beat, ſed etiā populo palpabiliter oſtendere queat. Hęc eſt curioſitas Hominum cu-
 rioſitas in
 perſcrutanda
 maiestate
 Dei.
 non uni tantum Moſi, ſed oībus hominibus agnata, uidelicet, quod
 non ſint contenti uerbo Dei, in quo reuelatur uoluntas Dei, ſed cupi-
 ant potius ſenſibilem adeoq; palpabilem cognitionem Dei, et rerum
 cœleſtium habere. Sic Apoſtolus Philippus, cum audiret Ieſum mul-
 ta de patre differentem, ait: Oſtende nobis patrē & ſufficit nobis. Sic
 nos, cum audiuiſimus Sacram ſcripturam differentē de regno Chriſti,
 de ſeſſione Chriſti ad dexteram Dei patris, de cœlo, de angelorū mi-
 niſterio, de inferno, & id genus alijs rebus cœleſtibus, hoc unum in
 uotis habemus, ut quod uerbo dicit, ſtatim manibus palpetur. Quod
 igitur Chriſtus Philippo, & Deus hoc loco Moſi reſpondent, hoc i-
 dem nobis reſponſum eſſe obſeruemus. Ac Philippo qdem Chriſtus
 reſpondet: Philippe, qui me uidet, uidet et patrem. Qua uoce reuocat
 Chriſtus Philippum, ab inquisitione arcane nature Dei, ad cognitio-
 nem reuelati uerbi Dei, quod eſt Ieſus Chriſtus, qui eſt uerbū caro fa- Ero qui ero,
 exponitur.
 ctum. Moſi autē hoc loco reſpondet, *אֲנִי אֲשֶׁר אֲדַבְרָה*, hoc eſt, Ero qui
 ero. In hunc locum tot fere ſunt interpretationes, quot ſunt ſcripturæ
 ſacre interpretes. Noſtri, & quidā ex Hebræis ita exponunt. Ego ſum,
 qui ſum, hoc eſt, ego ſolus uera ſum eſſentia illa impſcrutabilis, quæ
 nec habet initium, nec finem, & à qua omnia alia ſuū eſſe habent. Sed Sum qui ſum,
 exponitur.
 quia hęc expoſitio diſerte admodum explicatur in eo libello, qui fert
 inter opera Auguſtini, et titulum habet, Tractatus de eo, quod dictū
 eſt ad Moſen. Ego ſum qui ſum, non pigebit uerba eius huc adſcribe-
 re. Iam ergo (inquit) angelus & in angelo Dñs dicebat Moſi quæren-
 ti nomen ſuū: Ego ſum qui ſum. Dices filiſ Israel: Qui eſt, miſit me
 ad uos. Eſſe nomen eſt incommutabilitatis. Omnia enim quæ mutan-
 tur, deſinunt eſſe quod erāt, & incipiunt eſſe quod non erant. Eſſe ue-
 rum, eſſe ſyncerum, eſſe germanum, non habet niſi qui non mutatur.
 Ille habet eſſe, cui dicitur: Mutabis ea & mutabuntur, tu autē idem ip-
 ſe es. Quid eſt, Ego ſum qui ſum, niſi eternus ſum? Quid eſt, Ego
 ſum qui ſum, niſi mutari non poſſum? Nulla creatura, non cœlū, non
 terra, non angelus, non uirtus, non ſedes, non dominationes, non po-
 teſtates. Cum ergo ſit hoc nomen eternitatis, plus eſt q̄ dignatus eſt
 habere nomen miſericordie. Ego ſum Deus Abraam, & Deus Iſaac,
 & Deus Iacob, illud in ſe, hoc ad nos. Si em̄ hoc ſolum eſſe uellet, qd
 eſt in ſe, quid eſſemus nos? Si intellexit, imò quia intellexit Moſe, cū
 ei diceretur, Ego ſum, qui ſum, Qui eſt, miſit me, multum hoc credi-
 dit eſſe ad hoies, multum hoc uidit, diſtare ab hoibus. Qui enim hoc
 quod eſt, & uere eſt, intellexerit digne, & qualitercunq; lumine uera

I N C A P V T III E X O D I

cissimę essentię, uel stricte sicut coruscatione afflatus fuerit, longe se uideat infra, longe remotissimum, longe dissimilimū, sicut ille ait: Ego dixi in extasi mea. Assumpta enim mente uidit nescio quid, qđ plus ad illum erat, hoc erat quod uerę erat. Dixi, inqt, in extasi mea. Quid? Proiectus sum a facie oculorę tuorę. Cum ergo ad id qđ dicebat, non ad id quod uidebatur, longe se imparem uideret Moses, & quasi minus capacem, unde inflammatus ipse desiderio uidendi, quod est, dicebat Deo cum quo loquebatur: Ostende mihi temetipsum, quasi uero ab illa excellentia essentię longe dissimilis desperaret, erigit desperantem, quem uidit timentem, tanqđ diceret: Quoniam dixi, Ego sum qui sum, & qui est, misit me, intellexisti quid sit esse, & desperasti te capere, erige spem. Ego sum Deus Abraam, Isaac, & Iacob. Sic sum, quod sum. Sic sum ipsum esse, sic sum cum ipso esse, ut nolim hoibus deesse. Si quō possumus Dñm querere & inuestigare eum qui est, & quidem non longe positum ab unoquoq; nostrę. In illo em̄ uiuimus, & mouemur, & sumus. Laudemus ergo ineffabiliter eius essentiã, & amemus misericordiã. Hactenus autor eius tractatus, cuius supra mentionem fecimus. Hęc autem sententiã, & iucunda est & pia, sed an huic loco apta sit, disputari potest. Alij exponunt in futuro, iuxta proprietatem Hebręę grammaticę. Ero qui ero. Et dicunt hanc sententiã habere. Ego, o Mose, sicut ero tecum, ita ero & cum Israelitis, ut educam eos ex Aegypto. Sunt, qui ita interpretentur. Ego ero cum ipsis in hac afflictione, quemadmodum ero cum ipsis in alia afflictione. Alij sic exponūt. Si dixerint mihi, quod est nomen eius, quid dicam eis? hoc est, Cum dixerō ad Israelitas, me a Deo missum, ut liberem ipsos a seruitute Aegyptiaca, statim respondebunt, Liberator noster uocabitur Schilo, iuxta uaticinium Iacob. Tu autem non uocaris Schilo. Quare mentiris te diuinitus missum, ut nos liberet. Ad hoc respondet Deus dicēs: Ero qui ero, hoc est, Ego ipse sum Schilo ille, qui liberabit eos. Et sic dices filijs Israel: Ero, misit me ad uos, hoc est, Ille ipse Schilo, qđ uos liberaturus est, misit me nunc ad uos, ut educam uos ex Aegypto. Hęc sententiã, etsi lectu non iniucunda est, & propter mentionē Mesie, quem Iacob uocat Schilo, fauorabilis, uidetur tamen longius petita, qđ ut huic loco conueniat. Nos igit̄ simplicissime exponemus, Supra Dixit Dñs ad Mosen: ERO TECVM. Idem uerbum, & eãdem promissionem repetit nunc Deus, & inculcateam Mosi, ut reuocet ipsum a curiosa inquisitione arcane nature Dei, ad obseruationem reuelate promissionis, & manifestati uerbi Dei, ut sit sensus. Dixi antea, ERO TECVM. Quo uerbo manifeste pmisi, me presentaneo meo auxilio adfuturum tibi, & impleturum promissiones, quas Patriarchis pollicitus sum. Vade igitur, & sis hac manifesta promissionē contentus. *Suf*

*Deus cognos-
citur ex uer-
bo suo.*

tentus. Sufficit tibi & populo meo, ut cognoscatis uoluntatem meam reuelatione uerbi mei: ERO QUI ERO. Reuelauit tibi uoluntatem meam promissione, que est, ERO TECVM, præter hunc reuelandi modum qui est per uerbum meum, alium non assumam. Hic modus satis unicuique sufficiet ad salutem, donec futurum seculum reuelatum fuerit. Tunc enim unusquisque cognoscet Deum, sicut nunc ipse a Deo cognoscitur. In præsentem autem seculo, sufficit uobis (inquit Dominus) uerbum promissionis meæ, intra quem reuelandi modum me continebo. Quare uolo ut hanc promissionem meam, ad eorum ueritatem omnium promissionum, quas Patriarchis pollicitus sum, populo Israel inculces, & dicas: ERO, misit me ad uos, hoc est, Deus qui promisit Patriarchis omnem benedictionem in semine Abraham, qui est Deus uerax, & seruat quod promisit, is, inquam, Deus misit me, ut educam uos ex Aegypto. Hæc uideatur esse sententia huius loci simplicissima, qui locus diligenter nobis obseruandus est, ut ex ipso discamus, quod Deus non uelit, nisi in reuelato uerbo suo cognosci. Verbum enim Dei, facies Dei est. Verbum Dei, est reuelata uoluntas Dei. Verbum Dei, est unigenitus filius Dei, in nouissimis temporibus homo factus. Quare qui uoluerit Deum uidere, & uoluntatem eius uere cognoscere, hunc oportet uerbum Dei hoc est, Iesum Christum unigenitum filium Dei cognoscere & credere.

*Ich uirde es
bey dem wort
gen ERO
bleiben lassen*

*Verbum Dei
facies Dei.*

DE NOMINE יהוה.

Cæterum, Mose interrogat hoc loco de nomine Dei, & audit: EGO ERO QUI ERO. Ac mox: ERO, misit me ad uos. יהוה Deus patrum nostrorum misit me ad uos &c. Hoc nomen meum est in æternum, & hoc memoriale meum in generatione & generatione. Quo loco instituitur publicum nomen Dei יהוה, quod Græci uocant τετραγράμματον, quia constat quatuor tantum literis. De quo nomine multa & uaria tam ab Hebræis quam a nostris traduntur.

*Adonai nomē
tetragrammā
tō explicatur*

DE INSTITUTIONE NOMINIS. יהוה

Ac primum uaria est sententia de institutione huius nominis. Nam cum postea ca. sexto dicatur: Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac & Iacob, in Deo omnipotente, & nomen meum יהוה non indicaui eis, sentiunt aliqui, hoc nomen fuisse quidem usitatum apud Patriarchas literis & syllabis suis, sed non uirtute sua. Dicunt enim Deum edidisse miracula & prodigia tempore Patriarcharum, sed non indicasse ipsis, quod nomen tetragrammaton sit nomen illud, quo possit homo tanquam cooperator & delegatus a Deo miracula ædere. Alij aliter sentiunt. De qua re in explicatione sexti capituli dicemus.

DE SCRIPTURA ET LECTIONE EIVS.

Deinde hoc nomen uarie pingitur, & aliter legitur quæ scribitur.

I N C A P V T I I I . E X O D I

Aliquando enim scribitur יהוה. Aliquando pro he in fine scribitur daleth, sic, יהוה fortassis ut significetur, Deum maxiam habere cōiunctionem cum Iuda, hoc est, Messia filio Iudæ. Alij pingunt hoc nomē unico puncto cum adiecta uirgula, sic, / . Alij aut pingunt tribus punctis, cum uirgula, sic, / . Ac uocant hoc nomen ineffabile, non tm̄ hac causa, q̄ essentia Dei, quam dicunt per hoc uocabulū significari, imperscrutabilis sit, uerumetiam quod ipsum nomen aliter sit legendum, quā scribatur, Scribit̄ enim apud Hebræos quatuor literis, Iod, He, Vau, He. Non legitur autem secundum has literas, sed legitur hac uoce Adonai. Vnde & ijsdem punctis quibus Adonai notatur, Quod autem non sit legendum, sicut scribitur, probant ex hoc loco Exo. iij. ubi dicitur יהוה שמי לעולם hoc nomen meum est in eternū. Quod Rabi Salomon sic exponit: חסר ויו לו מר העלימהו שלא יקרא בכתבו hoc est, deficit Vau in fine uerbi לעולם, ut exponatur pro, ad abscondendum aut occultandum ipsum, propterea q̄ non legitur sicut scribitur. Hic uides, q̄ Rabi Salomon exponat hunc textum (Hoc nomen meum est in æternum) in hunc modum, hoc meum est nomen, ut occultetis ipsum & non legatis, sicut scribitur. Quis autem non intelligat hanc expositionem non esse e textu sumptam, sed in textum allatam & coactam? Humanum enim inuentum, non diuinum præceptum est, quod hoc nomen aliter legi quam scribi debeat. Ac fieri quidem potuit, ut initio seniores docuerint pueros suos pro יהוה legere Adonai, uidelicet, ne frequenti nominis huius secundum literas & syllabas pronuntiatione, Deus ipse apud pueros uilesceret & contemneretur, sed hæc pædagogia celsit postea apud Iudæos, non solum in maximas superstitiones, uerumetiam in horribiles impietates & incantationes.

DE ETYMOLOGIA EIVS:

Deducitur aut̄ hoc nomē a uerbo היה quod significat, FVIT, pro quo nunc Hebræi utuntur היה per Iod, quemadmodū latini pro antiquo uerbo, FVO, utuntur, sum. Ab היה aut̄ si formaueris tertiā personam futuri temporis, habebis יהיה hoc est, ERIT, quod usurpatur pro ineffabili nomine Dei. Aut, si iuxta grammaticam rationem durum uidetur, q̄ uerbum tertię personę futuri temporis usurpandum sit pro noīe, adeoq̄ pro noīe Dei, licebit Iod in יהיה pro litera heemanthi iudicare, quemadmodum fit in nomine יעקב & multis alijs noībus, ut יהיה sit nomen uerbale ab היה & significet, existens seu cōstans, non ut respiciat ad imperscrutabilem essentiam Dei in seipso, sed ut respiciat ad certissimam constantiam, quam Deus habet in promissionibus suis, ut יהיה idem sit, quod consistens, constans, certus, firmus & uerax in uerbis suis, quemadmodum mox indicabimus.

DE signi

DE SIGNIFICATIONE EIVS.

Postremo de significatione huius nominis etiam uarie disputatur. Ac consentiunt in hoc fere oēs scriptores, q̄ cum deriuetur a uerbo, יהוה significet essentiam. Et occasione huius significati multę disputationes de essentia Dei excitantur. Nos igit̄ de significatione huius nominis simplicissime loquemur. Nam cum Deus supra in promissione sua dixerit ad Moſen: ERO TECVM. Et iterę: ERO QVI ERO, occasione ex illa promissione accepta, assumit sibi in publicū nomen, uocabulum יהוה, quod est tertia persona futuri temporis ab יהוה, & significat, si exponas, ERIT, quemadmodum paulo ante ostendimus. Assumit autem hoc nomen, non ut uocet nos ad perſcrutandam imperuestigabilem essentiam suam, sed potius ut auocet nos ab inquisitione arcanae sue essentię, & deducat nos ad cognoscendum uerbum & promissiones suas, ut quotiescunq̄ hoc nomen Dei יהוה uel legimus uel audimus, admoneamur Deum eiusmodi Deum esse, qui non uelit, ut scrutemur occultam essentiam suam, sed ut inquiramus manifestam uoluntatem ipsius in uerbo & promissionibus eius, qui & tantę tamq̄ firme sit ueritatis, ut quod promisit, minime euaneſcat, sed certissime ERIT, ut merito hoc nomine יהוה, hoc est, ERIT, uocetur. Vnde quod ad Moſen dicitur: Dominus Deus patrum uestroꝝ &c. Hoc nomen mihi est perpetuo &c. hanc habet sententiam. Volo ut in populo Israel his precipue nominibus uocer, uidelicet, יהוה, & Deus Abraam, deus Isaac, deus Iacob, ut his nominibus admoneantur mearę promissionum, quas pollicitus sum patriarchis, & confirmant fidem suam, q̄ certissime me ERIT, ac implebitur, quicquid promisi. Atq̄ hinc est, q̄ postq̄ Israelite liberati sunt ex Aegypto, assumat sibi ad hec nomina, Ego Dñs Deus tuus, hanc appendicem, QVI TE EDUXI DE TERRA AEGYPTI, q̄d. Assumpsi mihi antea nomen, יהוה ut significationem promissiones meas esse constantissime ueritatis. Nūc ergo, quia iam aliqua ex parte re ipsa preſtiti, quod Patriarchis promisi, & liberaui uos ex Aegypto, manifeste uideris, me optimo iure uocari יהוה. Et uolo, ut hoc nomen inter uos publice usurpetur, et liberatio ex Aegypto sit sigillum eius, ut omnes hoc nomine & sigillo eius admoneantur, me sanctissime semper seruare ac implere, q̄d uerbo meo polliceor. Non solum autem promissio: ERO TECVM, & appēdix: Deus patrum uestrorum, Deus Abraam &c. confirmant hanc expositionem nominis יהוה, sed etiam id quod sequitur in textu confirmat eā. Vocat em̄ Dñs hoc nomen יהוה memoriale suum in generatione & generatione, quemadmodū idem reperitur Psal. ci. & cxxxiiij. Item Osee xij. Non instituit aut̄ Dñs memoriale ut det occasionē scrutandę

*Es uiridē
uiderem.*

arcanę suę essentię, sed potius ut auocet ab ea inquisitione, & reuocet ad cognoscendam uoluntatem suam, quę manifestatur uerbo. Nomen igitur יהוה exponendum est, non ut respiciat ad imperscrutabilē et incognitam Dei essentiam, sed ut respiciat ad perscrutabilem & manifestam Dei uoluntatem, uidelicet, qđ significet pmissiones Dei tam certas & firmas esse, ut potius cœlum & terra interirent, qđ ut unum Iota in promissiōibus Dei mendax deprehenderet. Iuxta illud Esaie: Verbum Dei nostri constat in eternū. Accedit huc, qđ Dñs statim post institutionem huius nois יהוה iubeat Mosen Israelitis inculcare promissiones patribus dictas. Et ait: Vade & congrega seniores Israel, et dices ad eos. Dominus Deus patrum uestrorę etc. Ac mox. Dixi, ut educam uos de afflictione Aegypti in terrā Cananę etc. Hęc nihil aliud sunt qđ perspicua explicatio & repetitio earę promissionum, quę dictę sunt ad Abraam & alios patres, & scriptę sunt Gene. 15. 26. 28. & 46. In quibus promissionibus manifesta sit mentio reditus ex Aegypto, & possessionis terrę Canaan. Cum igitur Dominus in institutione huius nominis יהוה iubeat maxime omnium inculcare et urgere has promissiones, haud obscure significat, se instituisse nomē יהוה in memoriale non arcanę & imperscrutabilis essentię suę, sed in memoriale reuelatę uoluntatis suę ac certissimę ueritatis promissionum suarę. Etsi autem altera illa expositio, qua hoc nomen יהוה idem esse dicit, qđ *δ'ων* hoc est, Ens, non damnatur a nobis, tñ hæc, quę iam est dicta uidetur esse simplicissima & propriissima ratio huius nominis יהוה, quę ut est minime affectata, ita multū prodest ad alendā fidē nostrā, quam debemus promissiōibus Dei adhibere. Ceterę, sunt qui ex hoc nomine יהוה, quod si iuxta suas literas & puncta legatur, sonat Iehoua, putant nomen Iouis apud Ethnicos deductum esse. Hoc etsi probabile uidetur, fides tamen sit penes auditorem.

*Mentiri &
dissimulare
differunt.*

Iam, postqđ Dominus docuit Mosen, quid Israelitis concionari debeat, docet nunc ipsum, quid prætexere debeat coram Pharaone, ut dimittat Israel. Ait em̄: Cum audierint uocem tuā, ingredieris tu & seniores Israel ad regem Aegypti, & dices ad eum: Dominus Deus Hebręorum uocauit nos: Ibimus uiam trium dierum in desertum, ut immolemus Dño Deo nostro. Quid? docet ne Deus Mosen mentiri & fingere, quod non est uerę? Absit. Aliud est dissimulare, aliud mentiri. Dissimulare est hoim prudentum. Mentiri autē est hoim uanorę & impostorę. Iubet igitur Dominus Mosen dissimulare coram Pharaone profectiōem in terram Canaan. Quid em̄ ad Pharaonem, qđ populus Dei possessurus erat terrā Canaan, patribus ipsorę a Deo promissam? Et interim iubet eum prætexere immolationem in deserto. Hoc autem non erat mendacium, sed ueritas rei. Supra enim dixit,
Seruie

Seruietis Deo super monte isto .Et postea Exo. xxiiij. obtulerunt in eo loco holocausta, & immolauerunt sacrificia teletica Domino de bobus. Quare nemo potest mendatijs suis ex hoc loco patrocinitum querere. Porro, ne Mose & Israelitę de uocatione Dei dubitarent, si quid aduersi ipsis contingat, priusq̃ dimittantur a Pharaone, prędicat Deus, quid futurum sit. Ego (inquiens) scio, q̃ non dimittet uos Rex Aegypti, ut eati, nisi per manum ualidam, hoc est, nisi per magna miracula, aut ut alij exponunt, non dimittet uos, etiamsi uiderit stupenda miracula, & confiteatur ea diuinitus fieri. Hoc uaticinio reuelat Deus Mose indurationem Pharaonis, ex qua Israelitę plurimum affligentur, priusq̃ dimittantur ex Aegypto. Est autem Domino Deo nostro solenne, ut prędicat futuras afflictiones & calamitates his, qui uocationem Dei sectaturi sunt. Sic Apostolis ad prędicandum Euangelion misis, prędicatur: Tradent uos in concilia, et in conciliabulis suis flagris uos cędent. Et iterum: Si me persecuti sunt, et uos persequentur. Alienos a synagogis facient uos. Et ueniet tēpus, ut quisquis interficiat uos, uideatur cultum pręstare Deo. Sic cum Paulus uocaretur ad Apostolatam, dicitur: Ego ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Quid ergo causę est, quod afflictiones prędicantur? Primum, prędicantur, ut sciamus eas non euenire nesciente aut negligente, sed maxime sciente & permittente Deo. Nihil autem permittit Deus accidere suis, nisi quod ipsis in bonum cędit. Quare prędicat eis futuras afflictiones, ut postq̃ euenierint, sciant eas adiumento esse ipsis in bonum. Deinde prędicant, ut p̃ pręparent & muniant sese fide ad tentationes, ne postq̃ euenierint afflictiones, offendantur, & uocationem Dei desperati abijciant. Vnde & Christus, postq̃ prędixisset afflictiones Apostolis futuras, addit: Hęc locutus sum uobis, ne quid offendamini, ut cum uenerit tempus illud, reminiscamini, quod ego dixerim uobis. Postremo prędicantur, ut hac occasione Deus maiores addat promissiones, & fidem nostram fortius confirmet, ac gloriam suam magis conspicuam reddat. Non enim prędicat Deus futuras afflictiones, q̃ uelit his perdere ambulantes in uocatione Dei, sed q̃ uelit eos seruare, & magnitudinem maiestatis sue in ipsis seruandis reuelare. Vnde cum Christus Apostolis prędiceret: Plorabit is & lamentabimini uos, mundus contra gaudebit. Vos autē moerore afficiemini, mox addit. Moeror uester uertet in gaudium. Et iterum uidebo uos, & gaudebit cor uestrum, & gaudium uestrum nemo tollit a uobis. Et: Bono animo sitis, quia ego uici mundum. Sic & hoc loco, cum Deus prędixisset Mose futuras calamitates in Aegypto, addit magnificas promissiones, dicens: Extendā manum meam & percutiam Aegyptum, cunctis mirabilibus meis, quę facturuss

*Afflictiones
prędicantur
uocatis a deo*

spoliare Aegyptum.

sum in medio eorum, posthęc dimittet uos. Daboq; gratiam populo huic coram Aegyptijs, ut cum egrediemini, non exeat uacui, sed postulabit mulier a uicina sua &c. & spoliabit Aegyptum. His promissionibus confirmatur fides Mosi & Israelitarum in omnibus uenturis afflictionibus in Aegypto. Sed quid illud est, quod dicit, Spoliabit Aegyptum; num iubet Dominus spoliare et furari aliena bona, & quod utendum acceperis totum auferre? Lex quidem Domini iubet: Ne fureris, sed Dñs legem dat, nō accipit. Est enim supra oēm legem. Quare si iusserit aliena bona rapere, aut furari, nō iam committitur rapina aut furtum, sed prestatur mandato Dei obedientia, An non oīa Aegyptiorum bona, Domini erant? Potuit igitur ea Dominus auferre Aegyptijs, & alijs tradere. An non aliās Dominus iubet Israelitas, occidere Cananeos & Iebuseos? Et quanq̄ generale preceptum est. Non occidas, tamen Israelite occidendo Cananeos, non peccarunt, sed obedierunt uocationi Dei. Sic & hoc loco potuisset Deus mandare, ut Israelite Aegyptios prorsus trucidarent, & si Israelite fecissent, non designassent peccatum homicidij, sed praestitissent Deo obedientiam. Cum igitur iubeat eos spoliare Aegyptios, & ipsi obsequantur, quemadmodum postea capite xij. scriptum est, nō commiserunt rapinam lege Domini prohibitam, sed fecerunt opus obedientie, ad quod manifesto uerbo Dei uocabantur, manente interim illaesa autoritate et seueritate eius legis, quę naturali rationi insculpta est, & postea reuelatur & confirmatur diuinitus: Non fureris, propterea quod prerogatiuę paucorum non aboleant generales leges, & precepta personalia, nec ad exemplum trahi debeant, nec personam transgrediantur.

Precepta personalia, & precepta generalia differunt.

Cæterum, q̄ Deus promittit Israelitis thesauros Aegyptiorum, primum reuelat iudicium et seueritatem suam aduersus eos, qui inferunt alijs iniuriam. Deinde reuelat clementiam suam erga sufferers iniuriam, & confirmat fidem eorum, adeoq; monet ipsos ad patientiam in ferendis iniurijs. Nam Aegyptij affecerunt multo iam tempore Israelitas maximis iniurijs, & oppresserunt eos crudelissima tyrannide. Nunc autem promittit Deus Israelitis uasa argentea & aurea, ac uestes Aegyptiorum, & quod promittit, praestat etiam ipsis. Dicit enim Mose postea: Petierunt ab Aegyptijs uasa argentea & aurea, uestemq; plurimam, & Dominus dedit gratiam populo coram Aegyptijs, ut commodarent eis & spoliauerunt Aegyptios. Hoc igitur exemplo declarauit Deus, q̄ thesauri eorum, q̄ ex alienis iniurijs ditescunt, obnoxij sint spolijs & rapinis, & quod p̄ij qui afficiuntur iniuria, fruuntur tandem illorum thesauris, qui ipsos iniuste oppresserunt. Vnde Esaias xiiij. dicit: Erunt capientes eos qui se ceperant, & subijcient exactores suos.

Aegypti thesauri: Pij fruuntur bonis impiorum.

res suos.

res suos. Sic David restitutus est in regnum Saulis, e quo Saul Davidem nondum publice in regem electum, per iniuriam expulerat. Sic Mardocheus ordinatus est in locum Aman, a quo ad suspēdium quærebatur, quemadmodum scribitur in libro Esther. Sic Daniel liberatus est e lacu leonum, & constitutus est in eorum honorem & maiestatem, quorū calumnijs & falsis accusationibus ad leones damnatus fuerat, ut est in Daniele cap. vi. Quare etiamsi iniuria opprimaris, noli tamen animum despondere, & nomen Dei conuictijs incessere, ac iniuriam iniuria rependere, sed perseuera in obedientia Dei, expecta Dñm, & compensabit damnum tuū, multo maiori commodo, quam unquā optaueris. Iam si libet allegoria ludere, in Aegypto sub tyranni de Pharaonis esse dicuntur, quotquot in hoc mundo peccatis obnoxij sunt. Hi enim uiuunt sub tyrannide Satanæ. Non est autem nobis mandandum in Aegypto huius mundi, sed proficiscendum est ex Aegypto ad promissam terram Canaan. proficiscendū est e peccatis, & ambulandum est in uocatione Dei, quam habemus in Christo Iesu Domino nostro, ad æternam uitam. Et in hac profectioe, nondum palpamus Deum secundum externum sensum, sed iubemur fidem adhibere promissionibus Euangelij, Sicut autē Israelitis ex Aegypto profecturis prædicitur, quod Pharaon non sit ipsos dimissuros, nisi per manum ualidā, ita & nobis profecturis e peccatis ad iustitiam, & ex hoc mundo, in uitam eternam prædicitur, quod Satan quoquo modo possit, conaturus sit nos in peccatis retinere. Deterrebit em̄ nos uarijs et horrendis afflictionibus a uocatione Dei, & inuitabit nos ad suum obsequium multis illecebris. In mundo em̄ (inquit Christus) afflictionem habebitis, Et Paulus: Omnes, qui uolunt pie uiuere in Christo Iesu, persecutiōem patient. Et iterū: Oportet nos per multas afflictiones intrare in regnum Dei. Igitur, quemadmodū Deus munit Israelitas ad ferēdas futuras afflictiones magnis promissionibus, ita & munit nos multo maioribus promissionibus, ut fide illarum constantes in uocatione Dei perseueremus. Ait em̄: Omnis qui reliquerit domos aut fratres, aut sorores, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplū accipiet, & uite eterne sortietur hereditatem. Et iterū: Gaudete, quia merces uestra multa est in coelis. Ac alias. Siquidem simul cum eo patimur, ut & una cum illo glorificemur, nam reputo non esse pares afflictiones presentis temporis ad gloriam, quæ reuelabitur erga nos. Augustinus lib. ij. de doctrina Christiana, cap. xl. uenuste admodum tractat allegoriam spoliū Aegypti, quæ quoniam non tam lectu iucunda quam utilia sunt, huc adscribam. Philosophi, inquit, qui uocantur, si qua forte uera & fidei nostræ accommoda dixerunt, maxie Platonici, non solum formidanda non sunt, sed ab eis etiam tanquam

Aegyptij allegoria.

Aegyptiorū spolia allegoricos ex Augustino.

iniustis possessoribus in usum nostrum uendicanda. Sicut em̄ Aegyptij non solum idola habebant, & onera grauiā, quæ populus Israel detestaretur & fugeret, sed etiam uasa atq; ornamenta de auro & argento, & uestem quæ ille populus exiens de Aegypto, sibi potius tanquam ad usum meliorem clanculo uendicauit, nō autoritate propria, sed præcepto Dei, ipsis Aegyptijs nescienter commodantibus ea, quibus non bene utebantur. Sic doctrinæ omnes Gentilium non solum simulata & superstitiosa figmenta, grauesq; sarcinas superuacanei laboris habent, quæ unusquisq; nostrum, duce Christo, de societate gentilium exiens, debet abominari atq; deuotare, sed etiam liberales disciplinas usui ueritatis aptiores, & quedam moræ præcepta utilissima continent, deq; ipso uno Deo colendo, nonnulla uera iuueniuntur apud eos, quod eorum tanquam aurum & argentum, quod non ipsi instituerunt, sed de quibusdam quasi metallis diuine prouidentie, quæ ubiq; infusa est, eruerunt, & quo peruerse atq; iniuriose ad obsequia demonum abutuntur, cum ab eorum misera societate sese animo separat, debet ab eis auferre Christianus ad usum iustum prædicandi Euangelij. Vestem quoq; illorum, id est, hominum quidem instituta, sed tamen accommodata humane societati, qua in hac uita carere non possumus, accipere atq; habere licebit in usum conuertenda Christianum. Nam quid aliud fecerunt multi boni fideles nostri: Nōne aspiciamus quanto auro & argento & ueste suffarcinatus exierit de Aegypto Cyprianus doctor suauissimus, & martyr beatissimus: Quanto Lactantius: Quanto Victorinus: Optatus, Hilarius: Vt de uiuis ta ceā, quāto innumerabiles Greci: Quod prior ipse fidelissimus Dei famulus Mose fecerat, de quo scriptum est, quod eruditus fuerit omni sapientia Aegyptiorum. Quibus omnibus uiris superstitiosa Gentium consuetudo, & maxime illis temporibus, cum Christi iugum decuciens, Christianos persequeretur, disciplinas quas utiles habebat, nunquam commodaret, si eas in usum unius Dei colendi, quo uanus idolorum cultus extingueretur, conuersum iri suspicaretur, sed dederunt aurum & argentum, & uestem suam exeunti populo Dei de Aegypto, nescientes quemadmodum illa quæ dabāt in Christo obsequium redderentur. Illud enim in Exodo factum, sine dubio figuratum est, ut hoc præsignaret, quod sine præiudicio alterius, aut paris aut melioris intelligentiæ dixerim. Hactenus Augustinus.

CAPVT III.

RESPONDENS MOSE AIT., ECCE NON
CREDENT.

In præcedent.

In præcedenti capite descripta est uocatio Mosi ad ducatum Israelis, & promissio, qua Deus fidem Mosi ad capeffendam uocationem animauit, descripta est item instructio, quid Mose Israelitis concionari, quid coram rege Pharaone profectio Israelitarum prætexere debeat. Nunc initio huius quarti capitis describitur donum ædendorum miraculorum, quo Mose diuinitus ornatus est, ut quemadmodum ipse ex miraculo rubi ardentis, & ex promissione Dei certificatus est in conscientia sua, ita & Israelitæ certificarentur ex dono miraculorum Mosi collato, quod Mose sit diuina uocatione ordinatus ad liberandum Israelem ex Aegypto: Dicit ergo Mose: Ecce non credent mihi neque audient uocem meam, sed dicent non apparuit tibi Dominus, hoc est, Ego nunc aliqua ex parte certus sum, me diuinitus uocatum ad liberandum Israelē, & satis eruditus sum, quid Israelitis concionari, quas promissiones Dei ipsis inculcare debeam. Quanquam autem Israelitæ credent fortassis promissionibus ad patriarchas dictis, non tamen credent adesse tempus, quo promissiones illæ implendæ sint, & non credent Dominum me, me inquam, & non alium uocasse, ut liberem ipsos ex Aegypto. Cur igitur uanum laborem, & mihi longe omnium periculosissimum susciperem? Quid autem ad hæc Dominus? Cum Dominus muniuerit antea conscientiam Mosi promissionibus, ornat nunc ipsum dono ædendorum miraculorum, quo sibi audientiam & fidem apud Israelitas parat. Primum miraculum est, uirga in serpentem conuersa, & in uirgam reuersa. Secundum, manus facta leprosa, & mox pristinae sanitati restituta. Tertium est, aqua conuersa in sanguinem. Hæc miracula, quod attinet ad significationem & allegoriam, alius aliter interpretatur. Quidam sentiunt ob hanc causam, uirgam in serpentem conuersam, & manum leprosam factam esse, ut hoc supplicio Mose puniatur, quod male suspicatus sit de incredulitate Israelitarum, & acuerit linguam suam sicut serpens, coram Deo aduersus Israelitas, quemadmodum & soror Mosi percussa fuit lepra, quod male de fratre suo locuta fuerit. Sed hoc pulchre quidem dicitur, non tamen explicat genuinum sensum huius loci. Alij scribunt his miraculis significari, quod Israelitæ initio liberi fuerint in Aegypto, deinde redacti in grauissimas seruitutes, ut uix humi potuerint reperire, sicut serpens, & omnibus maledictionibus obruti fuerint, quemadmodum serpens a Deo maledictus est, postremo autem iterum in libertatem a Domino uindicati sint. Sunt item, qui explicant hæc miracula allegorice, de impuritate & lepra naturæ nostræ per Satanam, qui in forma serpentis Euam decepit, uiciatæ, quæ non possit restitui in integritate, nisi uerbo Domini. Hæc sententiæ non sunt absurdæ, sed elaborandum nobis est, ut magis legitimum & huic loco proprium, quam

Mose ornatur dono ædendorum miraculorum.

allegoricum istorum miraculorum usum inuestigemus. Res igitur simpliciter ita sese habet: Cum Mose uocatus esset in liberatorem Israelis ex Aegypto, maxia indigebat autoritate, ad faciendam Israelitis fidem huius uocationis. Mose enim erat abiectior, quam ut tanta res crederetur ipsi, absque caelestibus testimonijs. Israelitae autem erant magis oppressi, quam ut possent liberationem sperare. Aegyptij erant potentiores, quam ut uideretur Israellem posse a tyrannide ipsorum liberari. Porro autem, donum edendorum miraculorum confertur in hoc a Deo, ut ea miracula sint commendatio, atque adeo tanquam caelestia sigilla & testimonia diuinae uocationis. Non sunt testimonia humanae sanctitatis et meriti, quemadmodum hypocritae interpretantur miracula sanctorum, sed sunt testimonia & certificationes diuinae uocationis, uidelicet, quod hi, qui edunt miracula, diuinitus ordinati sint in eam uocationem, quam praedicant, & quod uerbum ipsorum, quod concionantur, non sit humanum figmentum sed diuinum oraculum. Sic Elias & Eliza ornati fuerunt dono edendorum miraculorum, ut ea miracula testarentur ueritatem uerbi ipsorum. Sic Christus miracula edidit, ut testaretur uocationem suam diuinam esse, qua concionabatur se uerum esse Messiam. Sic Apostoli praediti fuerunt hoc dono, ut miraculis confirmarent ueritatem Euangelij de Iesu Christo. Cum igitur Mose diuinitus uocaretur ad liberandum Israellem ex Aegypto, ad instituendam Rempublicam, & ad ferendam legem Dei in Israel, ornatus est dono edendorum miraculorum, non illorum tantum, quae iam enumerata sunt, sed multorum aliorum, quorum nonnulla postea commemorabuntur. Unde quod hic ultimum est, uidelicet, conuersio aquae in sanguinem, hoc primum postea recensetur inter plagas Aegyptiacas, ut manifeste significetur, his tribus miraculis generaliter concessum esse Mosi donum edendorum miraculorum. Concessum autem est, ut miraculis, tanquam caelestibus testimonijs publice confirmaret, uocationem suam non esse humanum somnium, sed diuinam ordinationem. Atque huc proprie respicere miracula uirgae, manus, & aquae, Dominus ipse perspicue explicat, ut credant, inquit, quod apparuit tibi Deus patrum suorum &c. Et mox. Si non crediderint tibi, neque audierint uerbum signi prioris, credent uerbo signi sequentis. Quod si nec duobus quidem his signis crediderint, neque audierint uocem tuam, sume aquam fluminis &c. Est autem hic locus, in quo confirmatur autoritas uocationis Mosi, diligenter obseruandus. Etsi enim externa politia Mosi nunc est abrogata, decalogus tamen quatenus est summa & compendium totius naturalis legis, non est abrogatus. Hic ergo locus quia confirmat autoritatem uocationis Mosi, confirmat etiam decalogum, adeoque tanta autoritate munit ipsum, ut si angelus de caelo praedicaret nobis alium decalogum, huic contrarium, non esset audiendus.

Decalogi autoritas per miracula confirmatus.

AIT MOSE, OBSEURO DOMINE, NON SVM ELO
 QVENS.) Mose ornatus quidem est diuinitus dono edendorum
 miraculorū, quo pararet sibi auctoritatem uocationis suę, nondum ca-
 pelsit tñ obediēter uocationem Dei, sed excusat eam propter inelo-
 quentiā suam: Et ait: Obsecro Dñe, non sum eloquens ab heri & nu-
 diustertius, & ex quo locutus es ad seruum tuū, quia graue os, & gra-
 uem linguam habeo (hoc est) Exonera me quęso, hac uocatione. Ad
 conficiendam em̄ tātā rem, quam iubes, maxime oīm necessaria est
 eloquentia. Ego aut̄ non sum p̄ditus dono eloquentię, nō solum ab
 heri & nudiuſtertius, hoc est, superioribus annis, quibus ego egi pa-
 storē ouium, & magis balatum ouium, q̄ studiū eloquentię obser-
 uauī, sed etiam ab eo tempore, quo te mihi reuelasti, & mecum collo-
 cutus es, uideor mihi uidere me factum esse multo grauioris, impedi-
 tioris & tardioris lingue ac sermonis q̄ antea, tantum abest, ut sentiā
 me ex colloquio tuo magis idoneum ad capeſſendam hanc uocationē
 factum esse. Quare aut̄ exonera me hac tua uocatione, aut̄ exorna me
 etiam dono eloquentię. Multa hoc loco in Mose obseruāda ueniunt.
 Primum uide mihi in Mose, q̄ tardum sit humanum ingeniu ad cre- *Humani inge-
nij tarditas.*
 dendum uerbo Dei, & ad obsequendum uocationi Dei. Hic em̄ Mo-
 se, uocatus fuit a Deo, miraculo ardētis rubi, munitus fuit tot promif-
 sionibus, & ornatus fuit clarissimo dono edendorū miraculorū, non-
 dum tamen perfectam fidem adhibet uerbo Dei, nec obediēter ca-
 pelsit uocationem Dei. Quid ergo fidei & obediētię pollicereris tibi
 de alijs hominibus? Non enim solus Mose incredulus & inobedi-
 ens est, sed exprimitur in ipso, quales sint omnes homines natura sua.
 Vetus enim Adam, caro & sanguis, natura eadem sunt in omnibus
 hominibus. Quod ex carne est, caro est. Quare, qualemcunq; uides
 naturam humani ingenij in uno homine esse, talem iudicabis in o-
 mnibus hominibus. Vnde incredulitas & inobediētia, quę in Mo-
 se elucet, in alijs etiam reuelat̄. Pharaō multis miraculis admonitus,
 non credit uerbo Dei. Pharisei stupendis signis a Christo editis ad fi-
 dem & obediētiā uocati, noluerunt credere: Ipsi etiam Discipulī
 Christi, qui non tam uiderunt miracula Christi, q̄ ipsi ediderunt mi-
 racula in nomine Christi, increpantur propter incredulitatem, & au-
 diunt, o stulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quę locuti
 sunt Prophete. Est aut̄ hoc nobis obseruatu necessarium, ut in alijs,
 tanq̄ in exemplari, nostrę uitium contemplemur. Solemus enim nobis
 ipsis blādiri, & existimamus nos statim credere uerbo Dei, q̄ pri-
 mum audierimus. Sed fides longe maius opus est, q̄ ut tam cito ab
 humana carne admittatur, & caro ex diametro cum fide pugnat. Qua-
 re, cum audiuerimus uerbum Dei, non est secure stertēdum, perinde

ac si statim fidem, eamque perfectam haberemus, sed maxia opera dan-
da est, ut fidem, uocationem et electionem nostram, faciamus firmam
& certam, per obedientiam, quæ fidem necessario sequitur. Deinde
notandum est in Mose, quid præcipue homines a fide & obedientia
Dei abducatur. Nam quod Mose detræctat uocationem Dei, hinc adeo est,
quod non in uerbum & promissiones Dei, sed in suas ipsius uires ad
modum imbecilles, & in rei mandate difficultatem respicit. Dñs au-
tem Deus noster propter hanc potissimum causam ponit nobis in uo-
cationibus suis ob oculos, uerbum & promissiones suas, ut his auer-
tat nos a cōspectu imbecillitatis nostræ & periculorū, quæ nobis som-
niare solemus, in obsequio Dei. Quare si nolueris ab obediētia Dei
abduci, nullis minis, nullis periculis, nullis imbecillitatibus patiaris
te abduci a cōspectu uerbi Dei, sed ponas, quemadmodum Mose suo
ipsius periculo cautior factus monet, uerbum Dei in corde & aīo tuo,
suspendas illud pro signo in manibus tuis, & colloques inter oculos tu-
os, ut assidua uerbi Dei meditatione in fide & obedientia cōtinearis.

Verbi dei con-
spectus retin-
et homines
in officio.

Humani cor-
dis insatiabi-
le desiderū.

Ad hæc obseruandum est in Mose insatiabile humani cordis desideri-
um. Mose em̄ erat præditus clarissimo dono edendorū miraculorum,
sed hoc non contentus, ambiebat etiam donum eloquentiæ. Quod si
hoc donum contigisset, mox petisset etiam cataphractum equitatum,
& compos uoti factus statim alia postulasset. Sic em̄ affectum est hu-
manum ingenium, ut existimet sibi non esse capeſſendam uocatio-
nem Dei, nisi uniuersa simul dona Dei habeat, sed non dat uni cūcta
Deus. Alius alio dono ornatur. Recte Homerus, quæuis Ethnicus, ait:

Ἄλλ' οὐ πῶς ἅμα πάντα δύνῃσται αὐτὸς ἐλεῖσθαι,

Ἄλλω μὲν γὰρ ἔδωκε θεὸς τολεμῆια ἔργα,

Ἄλλω δ' ἄρχησ' ἔτερον κίθαρινὴν αἰοιδίην.

Ἄλλω δ' ἐν σὺνθεσσι τῆσ' νόον εὐρύοπα ζεὺς ἐσθλόν.

Sed mihi crede, uni non dat Deus omnia, uerum
Dotibus hos illis, alios his dotibus auget.

Nec ratione pari dispensat cuncta, uidis ne
Hunc belli præstare alijs uirtute gerendi?

Illum magno animo per aperta pericula ferri
Indeuictum: alios ueloci excellere cursu:

Nonnullos citharæ neruis atque arte canendi
Diuersis ita diuersas dat Iuppiter artes.

At quos consilijs uoluit superare ferendis
Mortales alios, & sana mente ualere &c.

Nam quemadmodum in uno corpore, non datur oīa dona uni mem-
bro, sed sua singulis conferuntur, manui ut tangat & laboret, pedi ut
ambulet, oculo ut uideat, auri ut audiat, & sic de alijs. Et ut in Rep. ci-
uili nō oēs opifices idem exercent opificium, ita in populo Dei non

uni oia diuina dona, sed singula singulis distribuuntur. Quare unusquisque contentus sit suo dono, & agat Deo gratias, ac diligenter seruiat suo dono uocationi Dei. Paterea, quod Mose dicit, se multo ineloquentiorem quam antea fuerit, ex colloquio diuino factum esse, significat Deum pudefacere gloriam carnis, ut non gloriatur ulla caro coram Deo. Postremo est & hoc loco in Mose animaduertenda preposterata homini confidentia. Cum enim Mose excusat uocationem Dei propter ineloquentiam, perspicue indicat, se magis confidere eloquentia, dono Dei, quam ipso Deo, eloquentie donatore, qui & antea promiserat se totum ipsi adfuturum. Ego, inquit, ero tecum. Hic autem morbus non Mosen tantum inualit, sed uulgaris hominum morbus est, quod homines multo plus confidunt donis Dei, quam Deo ipso donatore. Quod quid aliud est, quam uerum Deum abnegare, & creaturam Dei pro creatore adorare, atque idololatriam sectari? Agnoscamus igitur hunc morbum, & resipiscamus ab ipso per fidem, ut non donis Dei, sed Deo ipso confisi, salutem consequamur. Sed audiamus nunc, quid respondeat Deus Mosi. Quis fecit, inquit, os hominis, aut quis fabricatus est mutum & surdum, uidentem & cecum? Nonne ego Dominus? Perge igitur, ego ero in ore tuo, doceboque te quid loquaris. His uerbis reuocat Deus Mosen a conspectu sue ineloquentie, ad uerbum & promissionem Dei, quod dicitur. Quid audio? tu ne plus confidis dono meo, quam me ipso? an non ego me ipsum tibi in hac uocatione totum promisi? Et si me habueris adiutorem, quid tibi deesse potest? Nam si habeas eloquentiam, me autem non habeas, quid efficies? multi fuerunt eloquentes sine me, sed hi perdidit Responsum potius quam instaurarunt. Quod si autem me habueris, Deus, omnia oia alia, uocationi tue necessaria, presto aderunt. Nonne ego is sum, qui est. creo mutum & eloquentem? cecum & uidentem, surdum & audientem? Quid ergo dubitas, cum ego me ipsum tibi promiserim, me non etiam daturum tibi eloquentiam, cum opus fuerit: aut me non multo plura per tarditatem lingue tue confecturam, quam omnes homines, non eloquentiam tantum, sed etiam potentia & sapientia sua conficere possint? Vade igitur, & memineris promissionis mee: Ego ero tecum. In hac enim pollicitus tibi sum non tantum, eloquentiam, si quando opus ea fuerit, sed omnia que ad uocationem tuam necessaria sunt. Ex hoc loco discenda nobis est, amplitudo, dignitas, & maiestas uocationum diuinarum. Vbi enim est diuina uocationis, ibi est & promissio presentie & auxilii Dei. Vbi autem Deus promittit se presentem, ibi etiam pauca uerba dicuntur, promittuntur tamen omnia, oia inquam, ad uocationem necessaria, quantumcumque alioqui impossibilia uideantur. Sic cum Deus Salomonem uocasset ad regnum Israelis, promittit etiam ipsi sapientiam & scientiam, & alia multa dona ad regni administrationem necessaria: Sic cum uocasset Ieremiam in prophetam

Eloquentia
confidere, id
latrie spe-
cies est.

Deus, omnia
est.

Vocationum
diuinarum ma-
testas.

Hierosolymitanum promittit ipsi suam presentiam, dicens: Tecti ego sum ut eruam te. Qua uoce oia simul ad uocationem necessaria pmittit. Sic Apostolis ad predicandum Euangelion emisit pollicetur Christus dicens: Dabo uobis os & sapientiam, cui non poterunt contradicere neque resistere oēs, qui aduersabuntur uobis. Et iterum: Cum tradiderint uos, ne sitis solliciti, quomodo aut quid loquamini, dabit enim uobis in illa hora, quid loquamini. Non enim uos estis illi loquentes, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis. Que cum ita se habeant, summa nobis opera danda est, non ut oia dona Dei consequamur, hoc enim nobis impossibile est, sed ut de uocatione Dei certissimi simus. Sic enim certi quoque erimus, nulla ad uocationem necessaria nobis defutura, si modo nobis ipsis non desimus, nec ignauiter in uocatione Dei uersemur.

AT ILLE, OBSECO, INQUIT, DOMINE MITTE QVEM MISSVRVS ES.)

Hic iterum uide mihi in Mose imbecillitatem humanarum uirium ad credendum uerbo Dei, & obsequendum uocationi Dei. Quamquam enim Deus iterum inculcauerat Mosei promissionem suam, ac etiam explicauerat, nondum tamen tantam fidem adhibet ei, ut obediat uocationi, sed timet, nescio quare pericula, in Aegypto. Et ait: Mitte quem missurus es, hoc est, Sentio me ad hanc uocationem prorsus inutilem, & maiora mihi incumbunt pericula in Aegypto, quam ut hanc uocationem perficere queam. Non enim ero tutus in Aegypto, propter homicidium meum, ob quod in exilium eiectus sum. Quare obsecro te, ut alium quemdam ad hanc functionem mittas, qui me magis idoneus sit, & tutior in Aegypto ambulare audeat. O preposteram formidinem. Mose timet maxima pericula, si obediat uocationi Dei, & nulla timet, si non obediat Deo. Eodem plane ingenio etiam alij homines predicti sunt, quod plus sibi salutis & minus periculorum polliceantur, in uocatione Satanæ, quam in uocatione Dei. Exemplum habes in propheta Iona, qui existimabat se tutum fore in mari, fugiendo uocationem Dei, hoc est, sequendo Satanam, & non existimabat se tutum fore in Niniue, sectando uocationem Dei. Habes & exemplum in Gadarenis, apud Lucam, cap. vii. Hi enim sperabant se multo feliciores, si eiecto Christo, Satanæ seruire pergerent, quam si renūciato Satana, Christum secum retinerent. Quid autem potest dici magis stupendum? Nonne qui sectatur uerbum Dei, sectatur benedictionem, et qui sectatur Satanam, sectatur maledictionem, quem admodum Deut. cap. xxviii. scribitur: Itaque si pericula timemus, magis timeamus eum, qui potest animam & corpus in gehennam perdere, quam illum, qui potest tantum (imo ne hoc quidem potest, nisi permittente Deo) corporalia quedam pericula inferre. Quid ergo Deus ad hanc inobedientiam Mosei? Hic mihi uide summam & inexplicabilem clementiam

Dei.

Mosei prepo-
stera formi-
do.

Dei. Nam irascitur quidem in Mosen, quem enim non prouocaret ad iracundiam, tam pertinax inobedientia: non tamen abiicit ipsum, non ferit ipsum fulmine, calamum quassatum non confringit, linum fumigans non extinguit, sed maiori cura & diligentia imbecillum & metulosum hominem ad obedientiam inuitat. Ac primum, ne desperet propter ineloquentiam suam, non mutat quidem tarditatem lingue eius. Non enim uni dat cuncta, sed adiungit ipsi fratrem Aheronem, uirum eloquentissimum ut illa ferebantur. Aheron, inquit, frater tuus leuites, scio quod eloquens sit, Ecce ipse egredietur in occursum tuum. Et mox: Ego ero in ore tuo & in ore illius & ostendam uobis, quid agere debeatis, et ipse loquetur pro te ad populum, & erit os tuum, tu autem eris Deus eius. Hoc Chaldeus ita explicat: *לך למתוך גמולות תהי ליה יהי לרב* Erit tibi interpres, & tu eris eius magister. Nam *אלהים* quod communiter pro Deo sumitur, significat etiam iudices, principes, & magnates. Quam phrasin loquendi, Paulus etiam Satanam, Deum huius seculi uocat, quem Christus principem mundi huius dicit. Cum igitur Dominus constituat hoc loco Mosen in Deum Aheronis, nihil aliud uult, quam Mosen fore principem, magistratum et preceptorem Aheronis, Aheronem autem interpretem eius. Et ut Domino Deo nostro solenne est, per angelos & prophetas, tantum per interpretes loqui, ita & magnorum principum consuetudo est, non per se sed per interpretes responsa dare populo suo. Quare, cum Mosi datur interpres, non tantum suppletur ipsi, quod deest eloquentie eius, sed afficitur etiam diuinitus honore & maiestate principum huius seculi. Deinde, ne timeat pericula in Aegypto, reuelatur ipsi, quod nullum amplius habeat uite sue insidiatorem in Aegypto. Vade, inquit Dominus, & reuerte in Aegyptum. Mortui enim sunt omnes, qui querebant animam tuam. His rebus Mose de uocatione sua ita certificatur & confirmatur, ut nec possit, nec uelit ultra obedientiam detrectare. Atque hic uidemus maximam Dei tum clementiam, tum industriam. Clementiae est, quod non statim abiiciat Mosen propter inobedientiam. Industrie est, quod uertit inobedientiam Mosi in bonum. Quanto magis enim Mose detrectat obedientiam, tanto magis & magis subinde de uocatione sua certificatur. Oportebat enim ipsum in tanto negotio de uocatione sua certissimum esse. Sic casus Petri, celsit ipsi in firmiorem resipiscentiam. Sic Thomae incredulitas celsit ipsi in certiore fidem. Haec autem exempla, non ideo nobis proponuntur, ut sumamus ab ipsis occasionem peccandi, ea nimium praesumptione, quod Deus mutaturus sit peccatum nostrum in bonum, hoc enim est tetare Deum, & gratiam Dei blasphemia afficere, sed proponunt nobis, ut agnoscamus admirabilem Dei industriam, & confirmemus hac cognitione fidem nostram in rebus deploratis.

elohim, non Deum tantum, sed et iudices et magistratus significat.

Clementiae diuinae exemplum. Industriae dei exemplum.

Si em̄ Deus tantę est industrię, ut sciat pessimū uertere in optimum, quid desperaremus in angustijs, afflictionibus, & peccatis nostris? Et si em̄, qđ ad nos attinet, oīa perditā & conclamata sunt, habemus em̄ Deum, qui quantumuis perditā, salua reddere queat. Bene igit̄ confidamus, & nomen Dñi inuocemus, ac uocationem eius uel tandem seētari incipiamus, ut quod nos nostris consilijs, aut peccatis perdidimus, Deus sua clementia & industria in integrum restituat.

ABIIT MOSE ET REVERSVS EST AD IETHRO.)

Obsequitur tandem Mose uocationi diuine, & accingit se itineri. Hic ergo uide mihi, non tantum obediētiam, sed etiam alias uirtutes Mosi. Non inflatur uocatione sua, non iactat dignitatem suam aduersus affines, sed tāto modestius sese gerit tā erga affines, q̄ uxore, quāto digniorem reuelationem Dei habeat. Ac primum, non discedit ex Midian, nisi salutato prius Iethro, socero, uel ut quidam interpretantur, affine suo: Exemplum modestię est. Quam modestiam obseruasset etiam Iacob discessurus e Mesopotamia, erga socerum suum Laban, nisi multis argumentis sensisset Labanum hac uirtute magis efferrari quam mitigari, Deinde Mose assumit secum uxorem & liberos suos, quos a sino impositos auexit. Quid hec (inquit) res tantī momenti est, ut commemoretur a scriptura? Nihil est ociose additū. Scri

Modestię exemplum.

Mariti boni exemplum in Mose

ptura enim uult indicare, qđ fidelis & prudēs paterfamilias fuerit Mose, ut mariti habeant exemplum administrandę familię suę fideliter & prudenter. Mose enim, etsi in maximum officium a Deo uocatus est, non tamen prius derelinquit uxorem & liberos, q̄ fuerint impedimento uocationi suę, quemadmodum mox sequitur. Dixit enim Dominus: propter hoc relinquet homo patrem & matrem & adheret uxori suę. Et: quos Deus coniunxit, homo non separet. Quare uxor legitima nunquam est derelinquenda, nisi certa & specialis uocatio Dei aliud iusserit. Adhęc uides etiam in Mose prudentiā qđ non cogat uxorem & liberos, tantum iter pedibus facere, sed auehat eos a sino. Hoc est quod Petrus docet: Viri, inquit, cohabitent secundū scientiam, uelut infirmiori uasi muliebri, impartientes honorem, tan q̄ etiam coheredes gratię uitę &c. Sed uideamus nunc, quid Mosi in itinere ad Aegyptum acciderit. Ac primum, reuelatur ei iterum Dominus, & renouat mandatum suum, de ædendis miraculis in Aegypto, & indicat Mosi, quanta difficultate Pharaos dimissurus sit Israel. Indicat aut̄ hoc Mosi, non ut deterreat ipsum a uocatione sua, sed potius ut obfirmet animum eius in perseverantia exequendę uocationis suę, etiamsi Pharaos insaniat, propterea quod Pharaos in tātum nō sit impediturus egressum ex Aegypto, ut potius insania sua sit ad iuturus. Indurabo, inquit, cor eius, & non dimittet populum. Quid hoc non

hoc? nonne induratum esse erga uerbum Dei, & persequi uerbum Dei, peccatum est? quō ergo Deus dicitur indurare, hoc est, ad peccatum impellere Pharaonem? Sepe uero fiet postea mētio indurationis. Quare dicemus nūc de ea breuiter quantū satis est, ne necesse sit, subinde eadem repetere. Cum igitur sermo est, de induratione Pharaonis, obseruandum erit ante omnia, q̄ Dominus Deus noster, nullus plane peccati autor sit. Nō em̄ est Deus uolens iniquitatē, ut Psal. ait. Et cum sit natura iustus & bonus, quō peccatum operaretur? Sed Satan est peccati autor & pater. Sic enim Christus docet: Diabolus, in quiens, cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est, atq̄ eius rei pater. In explicatione autem scripturę, magis considerandum est, quid tota scriptura sentiat, q̄ quid una aut altera dictio scripturę, literis & syllabis prę se ferat. Quare, cū totius scripturę scopus eō respiciat, ut nullum peccatum Deo longe oīm optimo & iustissimo tribuatur, non potest illa Pharaonis induratio sic intelligi, q̄ Deus sit autor peccati in Pharaone. Ergo, inquires, Pharaon non peccauit pertinacia & persecutione sua? Imo grauissime peccauit, & meruit perpetuam damnationem. Sed Dominus Deus noster non fuit autor huius peccati. Etsi enim dicit: Ego indurabo cor Pharaonis; t̄m hoc uerbo magis respicit ad Mosen & Israelitas, q̄ ad Pharaonem. Consolatur enim hoc uerbo Mosen & Israelitas, ne terreantur induratione Pharaonis, p̄pterea q̄ ea fiat bene deliberata permissione Dei, non ut Israelitę pereant, sed ut gloria Dei magis elucescat, & Israelitę gloriosius ex Aegypto liberentur. Et q̄ Deus huc principaliter respiciat, testatur suis ipsius uerbis. Supra enim cap. iij. dixit: Ego scio, q̄ non dimittet uos rex Aegypti, ut eatis, nisi per manum ualidam. Extendamq̄ manum meam & percutiam Aegyptum cunctis mirabilibus meis, quę facturus sum in medio eorum, posthęc dimittet uos. Hic uides Dominum ipsum sua uerba exponere. Quod enim in hoc capite, & postea dicit: Indurabo cor Pharaonis, hoc in tertio capite, quasi sequentia pręmuniens & exponens ait: Ego scio quod non dimittet uos rex Aegypti, ut indurabo Pharaonem idem sit, quod scio cor Pharaonis indurandum esse. Et hac induratione utar non in uestram perniciem, sed in uestram salutem, & in gloriam nominis mei. Et postea cap. ix. dicit Dominus de Pharaone. Ideo excitauit te, ut ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra. Ex his uerbis iterę uides, q̄ cum Deus loquat̄ de induratione Pharaonis, consolari uelit Israelitas, ne sināt se a uocatione Dei auerti pertinacia Pharaonis, sed potius confidant eam pertinaciam cessuram ipsis in gloriosiore libertatem. In explicanda autem scriptura, magis respiciendum est in principalem alicuius loci statum, q̄ in unius

Induratio
Pharaonis
quomodo int̄
telligenda.

Peccati nullus
us autor est
Deus.

Satan peccati
autor.

uocabuli sonum. Cum igitur Deus in hoc uerbo: Indurabo cor Pharaonis, maxime oim ad consolationem Israelitarum respiciat, non debet intelligi, Deum esse autorem peccati in Pharaone, sed potius intelligi debeat, quod Deus significet se tam industrium esse, ut mala Pharaonis induratione, bene ad illustrandam gloriam nominis sui utatur. Vt autem hæc melius intelligamus, obseruandum est, quomodo induratio fiat. Pharaeo naturaliter est homo impius. Omnes enim natura sumus filij iræ. Et per unum hominem peccatum introijt in mundum. Vbi autem impio, quem spiritus Dei non immutat, proponitur uerbum Dei & miracula eius, ibi impius subinde magis ac magis impius red dicitur, idque non uitio uerbi Dei & miraculorum eius, sed uitio impietatis, que est in impio, & non potest ferre bona pietatis. Nam quem admodum cecutiens, quanto certius oculos suos in radios solis intendit, tanto magis excæcatur, non solis, sed imbecillium oculorum uitio: ita quanto maiora bona impio, qui spiritu Dei intrinsecus non immutatur, obi eceris, tanto peior efficitur, non uitio bonorum, sed uitio impietatis sue. Quare cum Dominus dicat: Ego indurabo cor Pharaonis, non habet hanc sententiam, ego faciam Pharaonem peccare, sed ego obijciam Pharaoni uerbum meum & miracula mea, ex quibus ille cum sit impius, magis ac magis indurabitur, sed hac induratione ego bene utar in gloriam nominis mei, ut illustrioribus miraculis uos ex Aegypto liberem. Confidite igitur, & nolite Pharaonis induratione moueri, quo minus uocationem meam sectemini. Dices autem: Si Deus nouit naturalem impietatem Pharaonis, & preuidit indurationem eius, cur non immutauit animam eius, ut uerbo Dei obsequeretur? Hæc questio nihil ad nos pertinet, sed reijcienda est ad imperscrutabilem maiestatem Dei. Et audiendus est Paulus: Cui uult, inquit, miseretur, & quem uult, indurat. Et: o homo, tu quis es, qui ex aduerso respondes Deo? Num dicit figmentum ei qui finxit, cur me finxisti ad hunc modum? An non habet potestatem figulus luti, ut ex eadem massa fingat aliud quidem uas in honorem, aliud uero in ignominiam? Est & cum ipso exclamandum: O profunditatem diuiciarum et sapientie, & cognitionis Dei, que inscrutabilia sunt iudicia eius, & impuestigabiles uiae eius. Hæc simplicissime & breuissime de induratione Pharaonis diximus. Ceterum, animus noster ex hoc loco, in aduersis confirmandus est, ne auocemur aduersis a uocatione Dei ad inobedientiam. Nam quem admodum Deus prædicit Mosis & Israelitis, quæ mala ipsis euentura sint, priusquam ex Aegypto egrediantur, & prædicit ea, non ut deterreat ipsos a uocatione Dei, sed potius ut retineant in uocatione Dei, et meminere hæc mala non nisi permittente Deo euenire, ut gloria Dei illustrior, & salus ipsorum nobilior reddatur, ita quæcumque aduersa

accidunt

*Induratio
quomodo fiat.*

occidunt nobis ambulantes in uocatione Dei, non accidunt nobis
 agnoscere Deo, non enim cadit capillus de capite nostro sine uoluntate
 patris, sed accidunt Deo optime sciente & beneuolenter permittente,
 ut quo maiora sunt aduersa, eo gloriosior sit liberatio: Porro, quod dicit
 filius meus primogenitus Israel. Et mox: Ecce interficiam filium tuum pri- *Israel primogenitum Dei*
 mogenitum, opponit inter se ex antithesi Israel, & Aegyptios. Et *filius dicitur*
 quod uocet, Israel filium suum primogenitum, respicit promissio-
 nem Abraham dictam. Statuam pactum meum inter me & te, & inter seminem
 tuum post te in generationibus suis foedere sempiterno, ut sim Deus
 tuus & seminis tui post te. Et mox: ERO DEVS EORUM. Quod autem
 pollicetur se primogenitum Pharaonis, hoc est, tam regis, quam subdito-
 rum eius, interfectorum, id quod etiam postea implet non tamen in primo
 genito Pharaonis, sed etiam in omnibus primogenitis Aegypti, quem
 admodum scribitur cap. xi. significat se hoc miraculo manifeste decla-
 raturum, ac tanquam caelesti signaculo comprobaturum, quod non Aegyptius
 sed Israel sit populus Dei electus, et quod ad Israel pertineant iura cae-
 lestis primogeniturae. Actalis quidem populus fuit Israel ante aduen-
 tum Iesu Christi, postquam autem uenit Christus, & Euangelion eius in to-
 to orbe terrarum reuelatum est, Israel eiectus est e iure primogeniturae,
 & gentes incircumcisae assumptae sunt in populum Dei, & in ius primo-
 geniturae, quemadmodum prophetae uaticinati sunt, & Paulus ad Ro-
 manos cap. ix. x. & xi. copiose explicat. Deinde commemorat scriptu-
 ra periculum Mosi, quod sustinuit propter filium suum incircumcisum. In
 hoc autem loco grammatica contentio est. Nam quod scribitur: Cum
 esset in itinere, occurrit ei Dominus, & uolebat occidere eum: alij re-
 ferunt El et EVM ad Mosem, alij ad Eliezer filium Mosi nondum cir-
 cumcisum. Et quod sequitur: Tetigit pedes eius: alij iterum referunt ELVS
 ad Mosem, alij ad filium eius. Ac sunt, qui hoc ita exponant, quod Zi-
 pora, cum circumcideret praeputium filii per petram, uulnerauerit etiam pe-
 des filii. Alij scribunt Ziporam admouisse praeputium pedibus Mosi, ut
 siquidem Mose affectus esset morbo, propterea quod non circumcidisset
 antea filium, definito suo tempore, nunc iterum sanetur ex admotu sangui-
 nis circumcisionis. Alij exponunt Ziporam ex indignatione proiecisse
 praeputium ante Mosem. Rursum, quod Zipora dicit, Sponsus sangui-
 num tu mihi es, alij sentiunt esse blandientis uerba ad filium iam circū-
 cisum, alij uero indignantis uerba ad Mosem. Postremo, cum dicitur:
 Tunc ille cessauit ab eo: alij sic interpretantur, Angelus Domini, qui uo-
 lebat Mosem occidere, cessauit ab ipso, & restituit eum pristinae sanita-
 ti, postquam filius eius circumcisus est. Alij exponunt, quod Mose dimiserit
 filium suum, & remiserit eum una cum matre & altero filio ad patriam
 Midian. De his omnibus grammatici Hebraeorum certent. Nos interea

Mulieris imperiosum ingenium.

eam sententiam sequemur, quæ ex multis circumstantiis uidetur esse uerifimilior, uidelicet, quod cum Mose adhuc in Midian apud affines etatem ageret, & e Zipora uxore sua filium susciperet, noie Eliezer, noluerit Zipora, pro imperioso mulierum ingenio, ferre, ut infans circumcideretur, propterea quod mulier Midianitica non solum duxerit sibi ignominia, si infans contra mores gentis & religionis suæ circumcideretur, sed etiam infantem tenerius amauerit, quæ ut uellet ipsum doloribus circumcisionis obijcere. Mose autem, uir mansuetissimus ac patientissimus, celsit imperio uxoris, & reliquit filium in circumcisum. Cum igitur pergeret ex uocatione diuina ad Aegyptum, & duceret secum filium incircumcisum, corripitur in itinere magno tremore & horrore, quod obsecutus muliebri imperio, filium hactenus non circumciderit, ac foedus Dei uiolauerit. Quod cum uideret Zipora, & timeret, ne simul marito & filio destitueretur, atque adeo ipsa quoque periclitaretur, mox arripuit petram acutam, & circumcidit puerum, ac proiecit indignabunda præputium ante Mosen, in iracundam hanc uocem ad Mosen prorumpens: Sponsus sanguinum tu mihi es, hoc est, Cum tibi nuberem, pollicebar mihi in coniugio nostro omnia foelicia ac prospera. Nunc autem uideo nihil mihi præter summam calamitatem accidere. Paulo ante necesse habui propter te patriam de relinquere, & tecum in exilium, nescio quo, proficisci. Nunc autem cogor proprium dulcissimi filij mei sanguinem effundere. Quis ergo tali marito, cuius connubium sanguine constat, delectaretur? quis cum ipso diutinum contubernium ageret? Mose igitur, audiens uxoris importunitatem, maluit uolentem ad patriam una cum liberis remittere, quæ nolentem secum retinere, & hac sarcina a uocatione Dei auocari aut impediri. Nam quod remiserit eos ad patriam, manifestum est e decimo octauo capite huius libri, ubi ita scribitur: Cum audisset Iethro affinis Mosi, omnia quæ fecerat Dominus Mosi & israel populo suo, tulit Ziporam uxorem Mosi, quam remiserat, & duos filios eius, & uenit ad Mosen in desertum &c. Ex his multa ueniunt nobis obseruanda. Primum discamus in Zipora, quantum periculorum afferant imperia mulierum in maritos. Nam quod Zipora noluerit Mosi in Midian permitttere, ut filius iuxta diuinam institutionem circumcideretur, non maritum tantum, sed totam familiam maximis periculis obijcit. Hoc est manifestum exemplum, quod imperia uxorum in maritos, non nisi pericula, damna, & internicionem afferant. Dominus enim ordinauit, ut maritus uxori, non ut uxor marito imperet: Gene. iij. Et huic ordinationi promisit benedictionem suam. Ergo ubi uxor arripit imperium in maritum, ibi est seditio contra ordinationem Dei. Quæ autem potest esse benedictio in seditione? Quantum pacis & tranquillitatis

Moses uxorem ad patriam remittit.

Mulierum imperia in maritos, magna damna afferunt.

tranquillitatis est in ea Repub. in qua subditus imperat magistratui, tantum etiam tranquillitatis & foelicitatis tibi in ea domo pollicearis, in qua uxor habet imperium in maritum. Habent quidem uxores etiam suum ordinariū regnum, quod Paulus uocat *ἀνοδικοποιεῖν* & *οἰκοδομεῖν*, hoc est, domum administrare & custodire. In hoc regno si se contineant, foelix erit domus. Ceterum si regni sui pomceria proferre uelint etiam in maritum, hec demum infœlix erit sedicio. Huius infœlicitatis exempla habes etiam in uxoribus Salomonis, et in Isabella uxore Achab. Deinde proponitur in Mose exemplum preposterę patientię. Nam oportet quidem maritos inuictis uxorū importunitatibus patienter cedere, si sine peccato fieri potest. Hoc enim uult Petrus, cum iubet maritos cohabitare uxoribus secundum scientiam, tanquam infirmiori uasculo. Sed si uxores importunitate sua uolunt, ut mariti peccent aduersus Deum, ibi minime cedendum est. Proinde, quod Mose nõ circumcidit hactenus filium suum in obsequium uxoris, & maluit preputium filij ferre contra mandatum Dei, quę domesticam concordiam propter circumcisionem turbare, & domesticas lites excitare, non est diuina & comendabilis, sed est ignaua & uitupabilis patientia. Adhęc uides hic diuine seueritatis exemplum: Mose fuit uir Deo longe omnium hoim acceptissimus, cui etiam demandauit Deus officium in toto orbe terrarum clarissimum, uidelicet, quod deberet liberare populum Dei ex Aegypto, & instituere in eo nouam Remp. attamen tanta iracundia inuehitur in ipsum, quod non circumciderit filium suum, ut etiam uoluerit hanc inobedientiam morte uindicare. Si Deus tanta seueritate exigit circumcisiõem multũ doloris inferentẽ, quanta nunc exigit baptismũ circumcisiõem multo leuiorem: etsi Deus non pepercit uiro tam dilecto propter inobedientiam, quõ conuueret ad nostrã inobedientiam. Accedit huc, quod in Zipora adumbratur ingenium eorũ iuuenum & uirginum, qui contrahunt matrimonia non obedientia Dei, sed cupiditate tantum carnis, & pollicentur sibi in matrimonio non nisi meros ccelos et foelicitates. Postea autem cum res aliter quę sperauerant ceciderit, & calamitates euenerint, non solum execrantur procos & paranymphos, uerũ etiam blasphemia afficiunt Deum ipsum institutorem & copulatorem coniugij. Exclamaunt enim, se non a Deo sed a Satana coniunctos esse. Hoc aut ingenio nihil potest dici magis impium. Quare in coniugio ineundo respiciendum est in uoluntatem & ordinationem Dei, ut quod agitur, ex fide agatur. Sic em̃ & foelix erit coniugium, & si quid infœlicitatis pro solenni rerũ in hoc seculo consuetudine acciderit, in fide patienter tolerari, & uinci potest. Pręterea, ut antea habuimus in Mose exemplum humane imbecillitatis, ita habemus nunc in ipso exemplum uerę obe-

2. Timoth. 5.
Ad Titum 2.

Mose prepo-
stere patiens

Seueritatis
Dei exemplũ

dientię Dei. Cum enim uideret Mose, uxorem & liberos sibi ad exe-
quendam uocationem Dei impedimēto esse, mauult eos derelinque-
re, q̄ uocationi Dei non obedire. Nam dictum quidem est: propter
hoc relinquet homo patrem suum & matrem, & adherēbit uxori suę:
non aut̄ dictum est, propter hoc relinquet homo Dñm Deum suum,
& uerbum eius, & sequatur uxorem suam. Quid ergo Mose consecu-
tus est, q̄ dereliquerit uxorem & liberos, ut obediret diuinę uocatio-
ni? Necessē quidem habuit uxore & liberis aliquandiu carere, sed re-
cipit eos postea multo maiori honore & maiestate, quemadmodum
scriptum est capite xviij. huius libri. Et hoc est quod Christus ait: Om-
nes qui reliquerit domos aut fratres aut sorores, aut patrem & ma-
trem, aut uxorem aut liberos, aut agros propter nomen meum, centu-
plum accipiet, & uitę eterne forcietur hereditatem. Postremo, priusq̄
Mose uenisset ad Ægyptum, reuelauit sese Dominus etiam Aheroni
fratri Mosi, in Ægypto, & iussit ipsum obuiam pergere Mosi in de-
sertum, ad montem Oreb. Hoc illud est, quod in primo libro Regum
cap. secundo, ad sacerdotem Eli de genere Aheron dicitur. Nunquid
non aperte reuelatus sum domui patris tui, cum esset in Ægypto, in
domo Pharaonis &c. Commendatur autem hoc loco externum mini-
sterium uerbi Dei. Dominus reuelat sese Aheroni, non tamē indi-
cat ipsi negotium liberationis, sed remittit ipsum ad Mosē, ut ex eo
discat, quid agendum sit. Sic Paulus rapit̄ in tertium cœlum, non aut̄
baptisatur illic, sed mittitur ad ipsum Ananias. Sic angelus apparet
Cornelio centurioni, non tamē predicat ipsi Euangelion de Christo,
sed iubet ipsum uocare Petrum, ut ex eo audiat, quid ad salutem ipsi-
us necessarium sit. Hęc exempla confirmāt autoritatem externi mini-
sterij uerbi Dei, ut sciamus, quod post cōfirmatū uerbū Dei, non de-
beamus nouas reuelationes de cœlo expectare, sed hoc confirmatum
uerbum Dei, a ministris dei non aliter q̄ si angelus de cœlo nobis il-
lud annunciet. Habes etiam hoc loco exemplum ueritatis diuina-
rum promissionum. Supra enim dixit Deus de Aherone: Ecce ipse
egredietur in occursum tuum &c. Quod ergo Deus promisit, hoc
nunc præstat, & iubet Aheronem obuiam pergere Mosi.

VENERVNT q̄ SIMVL ET CONGREGAVERVNT.)

Israelitę excipiunt gratissimo animo, & obujs, quod aiunt, ulnis,
nouum Euangelion, de liberatione ex Ægypto. Ac statim omnes I-
sraelitę efficiuntur Euangelici, ut uocant. Sed maior pars tantisper
credunt, dum non sentiunt aduersa. Nam postquam opprimuntur a
Pharaone grauioribus quam antea oneribus, ibi tum uides, quam
pauci Euangelion Mosi uera fide exceperint, quemadmodum in fi-
ne sequentis capit̄is scribitur. Eadem plane fors est Euangelij de Iesu
Christo,

*Vxor potius
derelinquen-
da quā Deus.*

*Aheroni reue-
latur Deus.*

*Verbi Dei ex-
ternum mini-
sterium com-
mendatur.*

Christo, de uera liberatione e peccatis & morte. Hoc Euangelion facile excipitur, si praedicatur sine cruce. At cum crux oritur, paucissimos uideas constare. Timeamus igitur Dominum, & non stertamus securi in rerum foelicitate, perinde ac si perfecta omnino fide praediti essemus, sed faciamus uocationem nostram certam per obedientiam fidei, ut in afflictionibus constemus.

CAPVT V.

POSTHAEC INGRESSI SVNT MOSES ET AHERON, ET DIXERVNT PHARAONI.)

Postquam Mose & Aheron parauerunt sibi fidem apud Israelitas, inchoant nunc negocium liberationis apud regem Pharaonem. Ac principio, habes in Mose & Aherone clarissimum obedientiae exemplum. Etsi enim sciebant hoc negotium constare maximo uitae suae periculo, quippe quod a rege tanquam autores seditionis excipiendi essent, neglectis tamen omnibus periculis obediunt uocationi Dei, & intercedunt pro Israelitis, ut dimittantur ad sacrificandum Domino. Vnde ergo tanta obedientia? profecto non ex carne, quae ita horret pericula, ut potius Deum abneget, quam obediendo Deo in pericula sese committat. Sed est ex fide, quam Mose & Aheron ex promissione Dei conceperunt. Dixerat enim Deus ad Mosē: Ego ero tecum. Et iterum: Perge, ego ero in ore tuo, & docebo te quid loquaris. Ac rursus: Loquere ad Aheronem fratrem tuum, & pone uerba mea in ore eius, & ego ero in ore tuo, & in ore illius, & ostendam uobis quid agere debeatis. Et haec promissiones multis ac magnis miraculis confirmatae erant, quemadmodum supra demonstratum est. Ex his igitur promissionibus tam probe confirmatis, Mose & Aheron tantam fiduciam, auctore spiritu sancto, conceperunt, ut maluerint maxima quaeque pericula subire, quam uocationi Dei inobedientes esse. Obseruandum exemplum, ut & nos discamus, qua ratione comparare nos debeamus ad obedientiam praecceptorum & uocationis Dei. Hoc enim non potest fieri uirtute carnis. Affectus enim carnis, ut Paulus ait, legi Dei non subditur. Si quidem ne potest quidem, sed uirtute fidei. Fides autem ex auditu est. Auditus autem per uerbum seu promissiones Dei. Audiamus igitur diligenter promissiones diuinas, eas praesertim, quas habemus in Christo Iesu Domino nostro, & concipiamus ex ipsis fidem. Hac enim eadem impellemur, ut manibus et pedibus diuinae uocationi obediamus. Deinde obseruandum est etiam in Mose et Aherone exemplum caritatis erga proximos suos. Mose potuisset iustam sibi imaginari causam negligendi Israelitas, propterea quod antea reiectus fuerat ab ipsis, sed tanta

*Obedientia
oritur ex fide.*

charitate complectitur eos, ut maluerit una cum fratre suo Aherōe ex
Caritatis exemplum. tremā quæq; pericula perferre, q̄ salutē ipsorū deesse. Egregiū cari-
 tatis exemplar, quod & in Christo nobis imitandum proponit. Hoc,
 inquit Christus, est præceptum meum, ut diligatis inuicem, sicut ego
 dilexi uos. Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut quis animam su-
 am ponat pro amicis suis. Postremo habes quoq; in Mose et Aherōe
Modestie exemplum. præclaræ exemplum modestiæ. Hi enim, tametsi habebant mandatum
 liberandi Israelitas tyrannide Pharaōis, & Pharaō erat rex longe oīm
 impijssimus, atq; a Domino manifestis uerbis condemnatus, non ta-
 men armant Israelitas suos aduersus Regem, legitimū magistratum
 in Aegypto, non trucidant tyrannum gladio, sed continent sese intra
 terminos suę uocationis, & obsecrant Pharaonem obediēter, iuxta
 mandatum Dñi, & iuxta officium subditorū, ut dimittat Israelem. Do-
 minus em̄ non dixit: Ingrede ad Pharaonem & trucidā eum, tanq̄
 rabidum canem, sed ait: Ingrederis tu & seniores Israel ad regem Æ-
 gypti & dices: Dominus Deus Hebræorū uocauit nos. Ibimus uiam
 trium dierum in solitudinem, ut immolemus Domino Deo nostro:
 Quod si non licuit Mōsi & Aheroni trucidare Pharaonem, ut libe-
 reut Israelitas suos a tyrannide eius, cui, obsecro, nunc liceret absq; ex-
 presso & manifesto uerbo Dei, gladium aduersus legitimū magi-
 stratum suum accipere, & sese uiolenter in libertatem uindicare.

*Magistratus
sacrosanctus
& inuiolatus*

DEVS HEBRAEORVM VOCAVIT NOS VT EA-
 MVS VIAM TRIVM DIERVM.)

Hoc illud est, quod Dominus supra ca. iij. iusserat. Et scribunt He-
 bræi, q̄ mons Horeb, in quo Dñs iusserit Mosen immolare, distet
 ab Ægypto itinere trium dierum, si recta proficiscaris ex Ægypto ad
 desertum Sinai. Quod autem postea Israelitę, non tertio die, sed ter-
 tio demum mense ad desertum Sinai uenerint, hinc adeo accidit, q̄
 angelus Dñi non recta sed circuitu duxerit ipsos in desertum, postq̄
 ex Ægypto egressi sunt, quemadmodum infra scribitur cap. xij. Cæ-
 terum, cum dicunt: Sacrificemus Domino Deo nostro, ne accidat no-
 bis pestis & gladius, confirmat publicas preces, in publicis calamita-
 tibus, non quod dignitas operis expiet peccata, sed quod ex precibus
 confirmetur fides nostra ad resipiscētiā.

Sed audiamus nunc, quid Mose & Aheron, a Pharaone impetra-
 uerint. Primum Pharaō explicauit occasione huius petitionis, impie-
 tatem suam in uerę Deum Israelis, multo clari⁹ q̄ unq̄ antea. Mani-
 feste enim contemnit & reijcit Deum Israelis. Nescio, inquit,
 Dominum. Hęc uerba indicant nomen Adonai tetragrammaton, ut
 recens institutum, Pharaoni ignotum fuisse. Deinde accusat Mosen
 & Aheronem seditionis: Quare, inquit, sollicitatis populum ab
 operi

operibus suis: Postremo opprimit Israelitas multo grauiori tyranni-
 de q̄ antea. Vetat, ne paleæ dentur Israelitis ad conficiendos lateres,
 sed ut ipsi paleas colligant. Mandat ut nihilominus conficiant statu-
 tum numerum laterum, perinde ac si adhuc darentur ipsis paleæ. Et cū
 Israelite non possent illud præstare, percutiuntur prepositi eorum, at
 que adeo iam tum primum incipiebat res Israelitarum in peiori statu
 esse, q̄ unquam in Aegypto fuerat, & uidebatur prorsus conclamatū
 esse de salute ipsorum. Quid ergo: num hæc accidunt, ignorante, aut
 non permittente Domino: minime omnium, sed hoc illud est, quod
 Dominus supra dixit: Ego scio, quod non dimittat uos Pharaon, ut ea-
 tis, nisi per manum ualidam. Et iterum: Ego indurabo cor eius, & nō
 dimittet populum &c. Proposuit autem Deus in hoc populo Israeliti-
 co, & præcipue in forma liberationis eius ex Aegypto, publicum spe-
 ctaculum, exemplar, & imaginem toti orbi terrarum, ut discamus ta-
 lem esse rationem & fortunam omnium diuinarum uocationum, qua
 lis est ratio et fortuna uocationis populi Israelitici ex Aegypto. Hæc
 enim, inquit Paulus, figure nostræ fuerunt, & in figura contigerunt il-
 lis. Scripta uero sunt propter admonitionem nostræ, in quos termini
 etatum inciderunt. Populus autem Israeliticus hoc ordine, hac forma,
 & his gradibus uocatus est ex Aegypto. Primum, reuelat eis per Mo-
 sen & Aheronem Euangelion de liberatione, & confirmatur miracu-
 lis. Deinde, postq̄ adhibent fidem Euangelio, longe crudelius affli-
 guntur q̄ antea, cum adhuc seruirent dijs Aegyptiacis, & non require-
 rent promissiones Patriarchis dictas. Postremo autem liberantur, ex
 Aegypto maximis & stupendis miraculis. Idem plane ordo, & idem
 gradus in omnibus, tam publicis quam priuatis Dei uocationibus ob-
 seruandi sunt. Primo gradu, proponuntur nobis promissiones seu E-
 uangelia Dei, ad uocationem eius. Post, cum incipimus ex fide Euan-
 gelij, uocationem Dei sectari, tunc cooriuntur in nos maiores afflicti-
 ones, q̄ antea, cum sectaremur uocationem Satanæ in incredulitate.
 Et hic est secundus gradus. Ad extremum tamen contingit nobis tan-
 to clarior salus, quanto grauiores fuerunt afflictiones. Et hic est terti-
 us gradus. Quisquis igitur uoluerit sectari uocationem Dei, & salu-
 tem consequi, necesse habebit sese ad hunc rerum ordinem compara-
 re, ut coortis afflictionibus non despondeat animum, sed potius con-
 firmet animum ex afflictionibus, uidelicet, q̄ uersetur in eo ordine,
 quem Deus uocationibus suis prescripsit, & cum iam secundum gra-
 dum, qui est afflictionum, attigerit, certissimus sit, quod sit etiam ad
 tertium gradum, qui est salutis, magna gloria ascensurus.

*Liberatio
ex Aegypto
publicum or-
bis spectacu-
lum.*

*Liberationis
ex Aegypto
gradus.*

*Afflictiones
sunt gradus
ad liberatio-
nem.*

VIDEBANT QVE PRÆFECTI BILIORVM ISRAEL
 QVOD PEIVS HABERENT.)

Præfecti Israelis, qui & ipsi erant Israelitæ, ab exactoribus Pharaonis ordinati, postq̃ supplicationibus suis apud Regem non impetrauerunt oneræ remissionem, sed potius audiuerunt, se ideo opprimi, quia petierunt potestatem abeundi in desertum ad sacrificandum Domino, non agnoscunt impietatem & indurationem Pharaonis, nec meminerunt uerborum Domini, quæ Mose concionatus est: Ego, inquit, indurabo Pharaonem, & non dimittet uos, nisi per manum ualidam, sed inuehuntur in Mosen & Aheronem, & reijciunt omnem afflictionum culpam in ipsos, qui etsi pro salute Israelitarum uitam suam extremis periculis exposuerunt, tamen nunc necesse habent multa aduersa a suis ipsorum Israelitis, q̃ ab ipso Pharaone sufferre. Exemplum impietatis. Impium enim est, quod Israelitæ transferant culpam maledictionis in eos, qui erant ministri benedictionis et liberationis ex Aegypto. Ac non est, ut existimes, Mosen & Aheronem, hoc tantum loco, in principio huius negotij, a suis Israelitis audire, trucidatores Israelis. Dicunt em̃: Prebuisstis eis gladium, ut occiderent nos, sed etiam in processu negotij, quoties aliqua calamitas incidit, toties habentur a suis autores calamitatis, ut interdum paræ absit, quin obruantur lapidibus. Nec id contigit tantum Mosi & Aheroni, sed contingit omnibus, qui prædicant uerbum Dei. Etsi enim Israelitæ *σὺ γὰρ οὖν* Mosi iam dudum mortui sunt, uetus tñ Adam, qui Israelitas obnoxios habebat, & qui est autor omnium calamitatum, semper idem inter homines manet, & uiuit, donec hoc seculum steterit, ut uere dixerit Salomon. Nihil nouum sub sole, quia uetus Adam semper sui similis est. Sicut reiecit culpam calamitatum Aegyptiacarum in Mosen & Aheronem, ministros uerbi Dei, ita semper reijcit culpam presentium aduersitatum in presentes ministros uerbi Dei. Sic culpa calamitatis eorū temporū, quibus deuastata est Hierusalem, reijcitur in Ieremiam & alios Prophetas. Ex eo (inquiunt) tempore, quo cessauimus sacrificare reginæ cœli, & libare ei libamina, indigni sumus omnibus, & gladio & fame consumpti sumus. Sic culpa infelicitatis illorum temporum, quibus Christus reuelatus est mundo, translata est in Christum & Apostolos eius. Sic & ois culpa calamitatis quæ hoc nostro tempore euenit, reijcitur in concionatores Euangelij, qd̃ de Iesu Christo aduersus humanam hypocrisim, & merita carnalis iustitię prædicatur. Quid ergo? num hæc calumnia redundat in homines, qui sunt ministri Dei, an potius in ipsum Deum & uerbum eius? certe magis redundat in Deum, q̃ in homines. Dicit enim Christus: Qui uos audit, me audit, qui uos spernit, me spernit. Sed quid amplius? num hæc calumnia iusta est, quia ueteri Adamo solennis est? minime omnium, sed potius tanto iniustior est, quanto frequentior. Nā, qui cum prius

uerbum

*Impietatis
exemplum.*

*Adam uetus,
semper idem
in hominibus
renascitur.*

uerbum Prophetarum, Apostolorum, aut ecclesiarum, tanquam uerbum Dei, magna uoluptate exceperint, postea coortis afflictionibus transferunt culpam afflictionum in ipsum uerbum, aut ministros uerbi, hi peccant primum, crimine læsæ diuinæ maiestatis. Dixit enim Dominus, uerbum suum esse autorem omnis benedictionis. Deut. xxvii. Hi autem, cum calumniantur uerbum Dei esse culpam calamitatum, arguunt Deum mendacij, & sentiunt uerbum eius esse autorem omnis maledictionis. Deinde significant hac calumnia, se nondum agnoscere sua ipsorum peccata propter quæ meriti sunt, non tantum præsentis huius seculi, uerum etiam futuras & perpetuas calamitates. Vbi autem non est agnitio peccatorum suorum, ibi nulla est resipiscentia. Adhæc manifeste hac calumnia declarant, se nullam ueram fidem uerbo Dei adhibuisse. Vbi autem non est fides, ibi manet reatus omnium peccatorum, & perpetua damnatio. Postremo perspicue indicant, se uerbum Dei tanto odio prosequi, ut mallent potius uerbum, una cum Domino Deo suo perire, quam afflictionem ferre. Hac impietate, quid potest maius excogitari? Nam quod post reuelationem uerbi Dei oriuntur afflictiones, magis nostro fit commodo, quam incommodo, & afferunt secum non perniciem, sed salutem, quemadmodum supra ostendimus. Quare absit a nobis, ut transferamus culpam afflictionum in uerbum Dei, sed potius confirmemus fidem nostram ex afflictionibus, quippe quæ transmittant nos legitimo ordine propter Christum, ad ueram salutem & felicitatem. Habes & hoc loco exemplum ingratitude. Mose & Aheron obiecerunt sese maximis & præsentissimis uitæ suæ periculis, pro liberatione Israelitarum. Hi autem eam mercedem reponunt illis, ut iudicent ipsos Israelitarum deuastatores, & interdum etiam lapidibus eos perant. Hic est cursus huius seculi, ut pro maximis beneficijs, afficiaris maximis maleficijs. Nunquid ergo cessandum est a benefaciendo? minime omnium: Tu tuum facito officium, si hoïes ingrati sunt, est tamen Deus in cælo, qui nec poculum aquæ frigide in nomine suo exhibitum, irremuneratum sinit. Præterea habes hic exemplum humane imbecillitatis & obliuionis, in seruando ac credendo uerbo Dei. Mose enim ab initio concionatus est Israelitis non tantum liberationem ex Aegypto, sed etiam crucem, quæ præcessura sit liberationem. Ego scio, inquit Dominus, quod non dimittet uos rex Aegypti, ut eatis, nisi per manum ualidam. Et hanc quidem crucis mentionem, tantisper grato animo tolerarunt, dum uerbis constitit. Postquam autem re ipsa crucem senserunt, ibi tum omnium diuinarum promissionum oblitati sunt, ibi ne iota quidem uerbi Dei meminerunt, adeoque accidit ipsis iuxta parabolam de seminatore, cuius aliqua seminis pars

Afflictionum culpam, in ministris uerbi dei conferre, quanta impietas.

Benedictiois fons uerbum Dei.

Ingratitudinis exemplum.

Humane imbecillitatis exemplum.

cecidit supra petram, qua hi significantur, qui postquam audierint, cum gaudio suscipiunt sermonem, sed quia radices non habent, ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.

Videamus autem nunc quomodo sese gerat Mose erga tantam populi sui impietatem & ingratitude. Gerit autem sese partim pie, partim imbecilliter. Pietatis est, quod non insaniat crudeliter in calumniatores, quod non reddat malum pro malo, quod non derelinquat uocationem Dei, quod non a Deo aufugiat, sed ad Deum confugiat, et auxilium eius imploret, Dicit enim scriptura: Reuersus est Mose ad Dominum. Imbecillitatis autem est, quod etiam ipse non meminit uerborum dei, quibus dictum est, Pharaonem non dimissurum Israelitas, nisi magnis miraculis compulsum; sed exoptulat cum Deo, Domine, inquit, cur afflixisti populum istum: quare misisti me? Ex eo enim, quo ingressus sum ad Pharaonem, ut loquerer ex nomine tuo, afflixit populum hunc, & tu non liberaisti populum tuum, hoc est, ad liberandum misisti me, sed re ipsa comperio, me ad affligendum missum esse. Quibus uerbis quid Mose aliud significat, quam sua opinione iniquissimum esse, quod Deus sinat populum suum, iam ad uocationem ipsius sectandam paratum, multo grauius affligi quam unquam antea, & quod conuiuere tam pertinaciter ad crudelitatem Pharaonis & Aegyptiorum. Significat etiam his uerbis, quod uideant ipsi promissiones Dei mendaces esse, & quod parum absit, quin propter tam infortunatum rerum euentum, Deum ipsum, una cum uocatione sua derelinquat. Est autem uetus sanctorum querela, quod Dominus sinat impios frui felicitate, pios autem & paratos ad sectandam uocationem Dei, ab impijs opprimi, & quod uideatur contraria promissionibus suis agere. In Psalmo dicitur: Bonus quidem Deus Israel his qui recto sunt corde, sed mei pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelauit super iniquos, pacem peccatorum uidens. Et Ieremias, Iustus quidem tu es (inquit) Domine, si disputem tecum, ueruntamen iusta loquar ad te. Quare uia impiorum prosperatur: bene est oibus qui praeuaricantur & inique agunt. Abacuc etiam clamat: Quare respicis contemptores, & taces conculcatis impio iustiorum se? Nullum ergo, inquit, discrimen est inter pios & impios, propterea quod tam pijs, quam impijs exoptulant cum Deo in afflictionibus, de iniquitate eius, & murmurant aduersus Deum. Respondeo. Quod ad peccatum quidem attinet, nullum est discrimen. Peccat impius, peccat & pius. Non iustificatur (inquit) in conspectu tuo omnis uiuens, sed quod attinet ad resipiscentiam e peccato, maximum est discrimen. Nam impij non resipiscunt a peccato, & murmure suo aduersus Deum, sed sequuntur affectus peccati, & peccatum dominatur ipsis. Pij autem resipiscunt a peccato, & dominantur peccato, ac mortificant spiritu affectus peccati, & credunt reliquias

*Sanctorum
uetus querela,
quod bonis
male, malis
bene fit.*

*Piorum et im-
piorum discrimen.*

Reliquias peccati condonatas sibi esse propter Christum. Quare hi seruantur, illi autem condemnantur. Sed quid Dominus Deus noster ad hanc Israelitarum impietatem, & ad exostulationem Mosi? num tonat & fulgurat? Potuisset quidem, si summum ius persequi uoluisset, non solum Pharaonem & Aegyptios, uerumetiam Israelitas unacum Mose & Aherone ad internitionem usque perdere. Inuenit enim ubique peccatum. Pharaon induratur ad uerbum Dei. Israelitae proscindunt conuictis Mosi & Aheronem, & in ipsis uerbum Dei. Mose exostulat cum Deo tanquam mendace, et detrectat uocationem Dei. Meruerunt igitur omnes, non leue aliquod supplicium, sed panolethrian. Dominus autem deus noster, declarat hic, primum, ueritatem uerbi sui. Et si enim omnes Israelitae meruerunt excidium, mauult tamen Deus uerax haberi in omnibus promissionibus quae sunt ad Patriarchas & Mosi dictae, quam summum ius suum persequi. Deinde ostendit clementiam suam, quod mauult Israelitis & Mosi peccata ignoscere, & ex Aegypto liberare, quam crudeli supplicio in ipsos grassari. Atque hoc illud est, quod Paulus ait: Concluserunt omnes sub incredulitate, ut oim miseretur, & non gloriaretur in conspectu suo omnis caro. Namque Deus liberauit Israelitas ex Aegypto, nec est meritum Israelitarum, nec eloquentia Aheronis, nec prudentia Mosi, nec iustitia ullius hominis, sed est mera Dei gratia & clementia. Quomodo ergo confert Deus gratiam & auxilium Israelitis, in hac tyrannide Pharaonis: num statim trucidat Pharaonem & Aegyptios fulminibus? potuisset quidem mox non Pharaonem tantum, sed etiam omnes impios uno momento perdere, sed non uult Deus iudicium suum seu particulare seu uniuersale ante legitimum suum tempus occupare. Uniuersale Dei iudicium est, quod in fine huius seculi reuelabitur, in quo praesentia audient: Venite benedicti. Impii autem audient: Abite maledicti. Particulare iudicium est, quo Deus interea temporis, donec aduenerit uniuersale, regionem aliquam, aut gentem, aut ciuitatem, aut etiam priuatum aliquem hominem in exemplum aliorum, & in praeuocum futuri uniuersalis iudicij punit, ut est conflagratio Sodome. Subuersio Pharaonis in mari rubro. Delectio gentium in terra Canaan. Deuastatio Hierusalem. Interfectio Saulis, & id genus innumera: Cum igitur nondum uenisset legitimum tempus puniendi Pharaonis, cuius hora & momentum solus Deus nouerat, non statim percutit Pharaon fulmine, aut submergitur aqua. Sed Dominus ita confert gratiam suam, ut interea temporis medeatur imbecillitati Mosi & Israelitarum, uerbo suo, & repetitione ac inculcatione promissionum suarum. Dixit enim ad Mosi: Nunc uidebis quae facturus sum Pharaoni. Per manum enim potentem dimittet eos, & in manu robusta eiciet illos de terra

*Deus uerax,
Homo mendax*

*Liberatio
ex Aegypto,
non meritum
hominis sed
gratia Dei.*

*Iudicium Dei
uniuersale est
particulare.*

sua, q. d. nonne antea dixi hæc euentura: cur igitur sic te geris. perinde ac si nec præuisa nec prænunciata essent: adhuc promisi antea, me e ducturum Israelitas ex Aegypto per manum ualidam, an putas me mendacem esse: Age igitur nunc ab hoc tempore, incipiam miranda & stupenda in Aegypto exercere, quibus Pharaon ita terrebatur, ut non solum dimittat, uerumetiam cogat uos ex Aegypto abire. Vi des Dominum Deum nostrum, in medenda imbecillitate Mosi, & conferenda gratia Israelitis, non mox fulminare in Pharaonem, sed repetere & inculcare promissionem suam. Discamus igitur ex hoc loco, quod cum Deus non præueniat iudicium suum in impios ante legitimum tempus, debeamus conscientiam nostram & fidem confirmare, ac patientiam fouere, frequenti tractatione, repetitione, & inculcatione promissionum diuinarum. Hoc enim est præsentissimum remedium imbecillitatis fidei, in omnibus aduersis, quæ ab impijs inferuntur.

*Aduersitatis
remediū præ
sentissimum.*

CAPVT VI

LOCVTVSQVE EST DOMINVS AD MOSEN DICENS: EGO DOMINVS QVI APPARVI.)

In præcedenti capite scriptum est, non Israelitas tantum, uerumetiam Mosén uehementer turbatum esse, quod Pharaon multo grauius et crudelius quam antea afflixerit Israelitas, postquam Mose petijt dimissionem ipsorum ad sacrificandum Domino. Et quantũ in fine præcedentis capitis Dominus consolatus est Mosén, & medicatus est imbecillitati eius repetitione promissionum suarum, tamen quia turbata mens indiget copioso uerbo, repetuntur & inculcantur iterũ in hoc capite promissiones & mandata Dei de liberatione ex Aegypto, ut fides Mosi & Israelitarum confirmetur, & ipsi in obedientia diuinæ uocationis contineantur. Et ait: Ego Dominus qui apparui Abraam, Isaac & Iacob in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai non indicauí eis. Hunc locum interpretes uarijs modis exponunt. Sunt qui sentiunt his uerbis significari, q̄ Deus reuelauerit quidem patribus generalem quandam cognitionem sui, sed non tam clarã & perspicuam, quam reuelata est per Mosén. Et inter Patriarchas obscure adhuc de Deo prædicatum, per Mosén autem manifestiorem prædicationem de Deo uulgatam esse. Hæc sententia nec absurda nec inepta est. Alij dicunt, quod hoc uocabulum אלהים manifestum quidem & usitatum fuerit Patriarchis, secundum uocem, sed nõ secundum significatũ, mysterium aut uirtutẽ eius, uidelicet, q̄ Patriarche sciuerint quidem Deũ satis fortem, & potentem esse ad edenda miracula &

miracula & prodigia, sed non sciuerint nomē tetragrammaton יהוה, nomen illud esse, quo possit homo tanq̄ cooperator & delegatus a Deo miracula edere, quemadmodum Mosen putant uirtute huius nominis יהוה miracula ædidisse. Hæc sententia nimis est Iudaica & superstitiosa. Sunt qui scribant, q̄ hoc loco subintelligenda sit hæc dictio לְכֹרֵי quod significat, tantummodo, ut sit sensus: Apparui patribus, non tantummodo nomine meo יהוה, sed aliquando nomine אֱלֹהֵי שַׁדַּי, id est, Dei omnipotentis, aliquando nomine יהוה. Hanc sententiam amplectatur qui uolet. Nos hunc locum intelligemus secundum eam nominis יהוה interpretationem, quam posuimus supra capite tertio. Ac primum obseruandum est, q̄ Deus apud Patriarchas frequentiori appellatione uocatus sit publice אֱלֹהֵי שַׁדַּי El Sadai. Gen. xvij. apparuit Dominus Abraamo & dixit ad eum: Ego sum אֱלֹהֵי שַׁדַּי El sadai. Gen. xxvij. dixit Isaac ad Iacob: אֱלֹהֵי שַׁדַּי El Sadai benedicat tibi, & faciat te crescere. Gene. xxxv. dixit Deus ad Iacob: Ego sum אֱלֹהֵי שַׁדַּי El Sadai, crescere & multiplicare. Et Gen. xlvij. dixit Iacob ad Ioseph: אֱלֹהֵי שַׁדַּי El Sadai apparuit mihi in Luz &c. Ex quibus locis manifestum est publicum Dei nomen fuisse inter patriarchas. Significat autem שַׁדַּי, sibi sufficiens, se contentum, & nullius indigens, quod Græci dicunt ἀντάρκτος. Et qui sic interpretantur, deducunt a ש, id est, q̄, & י sufficit uel satis est. Alij exponunt per וְיִתְקַדַּת הַרְוֵהָ, id est, fortis & potens. Græcus interpretatur Iob. v. πάντων ἐδέτωρ, hoc est, omnipotens. Et tunc deriuatur a שַׁדַּי, quod significat deuastare. Deinde obseruandum est, quod hoc nomen יהוה nondum fuerit tempore Patriarcharum institutum. Ostendimus enim supra cap. tertio, quod hoc nomen institutum sit diuinitus in monte Oreb, occasione sumpta ex hac promissione: ERO QUIERO. Accedit huc, q̄ quidam Hebræorum scribunt: Cabalam fuisse in Israel a patribus acceptam, q̄ liberator Israelis ex Aegypto reuelaturus sit nouum nomen Dei, antea nunq̄ auditum. Quod etsi nimis Iudaice sonare uidetur, indicat tamen antiquiores Hebræos in ea fuisse sententia, q̄ nomen יהוה nondum fuerit inter Patriarchas, ante Mosen usitatum, & quod Mose clarius explicaturus sit uerbum Dei, q̄ apud Patriarchas explicatum sit. Quod autem hoc nomen יהוה sepe numero inuenitur scriptum in Genesi, ac præsertim cap. xxij. ubi Abraam uocauit montem אֱלֹהֵי שַׁדַּי id est, Dominus prouidebit, non satis firmum est, ut comprobet, hoc nomen יהוה fuisse apud Patriarchas in usu. Mose enim fuit scriptor libri Geneleos. Scriptores autem rerum gestarum solent ad describendas res superiorum temporum, uti uocabulis suorum temporum. Quare cum Mose, cuius tempore nomen tetragrammaton iã institutum erat, describeret reuelationes Dei Patriarchis factas,

El Sadai, nomen Dei.

Sadai qui significet.

& alias res superioribus temporibus gestas, usus est uocabulo יהוה, non quia usitatum fuerit inter Patriarchas, sed quia iam suo tempore institutum & uulgatum erat. His ita obseruatis facile nunc erit iudicare de sententia huius loci. Ego apparui Abraam, Isaac & Iacob בראשית in Deo omnipotente & in nomine meo יהוה non sum cognitus eis. Deus enim concionatur hoc loco Mosi, quemadmodum etiam mox perspicue sequitur, quod apparuerit quidem patribus per omnipotentiam suam, ac promiserit ipsis magna & stupenda, uidelicet, quod uelit semen Abraam augere uehementissime, quod uelit ipsum ponere in gentem clarissimam, ita ut Reges ex ipso egressuri sint, quod quemadmodum sit Deus longe omnium potentissimus, ita uelit semini Abrahæ esse Deus clementissimus, ac dare ipsi omnem terram Canaan in possessionem æternam. Sed tempore Patriarcharum nondum opere ipso compleuerit has ingentes promissiones. Nunc autem aduenerit tempus, quo re ipsa & maximis miraculis impleturus sit promissiones suas, ut liberet Israelitas ex Aegypto, & traducat eos in terram Canaan, longe ante Patriarchis promissam. Est igitur sententia: Ego apparui Abraam, Isaac & Iacob in Deo omnipotente &c. hoc est, reuelauit me patribus per omnipotentiam meam, per creationem meam (unde & Abraam aliàs dicit: Leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum, possessorem coeli & terræ) per seueritatem meam, qua deuastauit orbem terrarum diluuiio, & Zodomæ regionem incendio. Reuelauit item me per magnificas promissiones. Dedi Abraam circumcisionem, & promisi me, deuastatis Cananensis, daturæ semini suo terram Canaan. Sed non reuelauit me patribus per publicum aliquod (publicum dico, nam priuatæ diuinæ clementiæ exempla patribus multa contigerunt) misericordiæ meæ exemplum, nec reuelauit me ipsis per impletionem earum promissionum quas dixi ad Abraam. Nunc autem notificabo me nomine יהוה, reuelabo me publico & generali exemplo misericordiæ meæ, reuelabo me presenti & manifesta impletionem promissionum mearum, reuelabo me iuxta significationem nominis mei יהוה. Sicut enim antea promisi, ita nunc ERIT, & implebitur, & confirmabo nomen meum, quod sum Deus uerax & seruans promissi. Educam enim uos de terra Aegypti, & introducam in terram Canaan. Et quemadmodum antea uocatus sum Deus omnipotens, Deus altissimus, qui creauit coelum & terram, ita nunc uocabor, Dominus Deus, qui eduxi uos de terra Aegypti. Hunc titulum, hoc epitheton, hoc cognomen parabo mihi nunc impletionem promissionum mearum, quas dedi Patriarchis. Hæc uidetur esse simplicissima sententia huius loci: Ego apparui patribus in Deo omnipotente &c. quam sententiam confirmant ea quæ hoc loco sequuntur.

Pepigi foedus cum eis ut darem illis terram Canaan &c. quæ si accipi-
 as tanquam explicationem horum uerborum: Ego Dominus qui ap-
 parui Abraam &c. non remanebit ulla sensus obscuritas aut difficul-
 tas. Quod si quis omnino contendat nomen יהוה fuisse etiam patri-
 bus ante Mosen, cognitum & usitatum, nihilominus tamen erit hu-
 ius loci sententia, quod Deus promiserit quidem patribus terram Ca-
 naan, non tamen impleuerit hanc promissionem temporibus patræ.
 Nunc autem re ipsa impleturus sit, ut cõfirmetur ueritas nominis sui,
 quo dicitur יהוה, hoc est, consistens, constans, firmus & uerax in pro-
 missionibus suis. Cæteræ in hac concione, quam Deus habet ad Mo-
 sen in principio huius capituli, nihil audis nouarum rerum Mosi præ-
 dicari, sed tantum inculcari, & paulo clarius explicari, quæ antea sæ-
 pe ad Mosen & Israelitas dicta sunt. Dominus ait: Pepigi foedus cum
 patribus, ut darem eis terram Canaan &c. Hoc & supra ad Mosen di-
 ctum est: Ego sum Deus Abraam, Deus Isaac, & Deus Jacob, & edu-
 cam Israelitas de terra illa, in terram bonam & spatiosam. Item in hac
 concione Dominus ait: Audiui gemitum filiorum Israel, sed & hoc
 supra dictum est: Vidi afflictionem populi mei in Ægypto. Adhæc
 dicit Dominus: Assumam uos mihi in populū. Hoc et supra dicitur:
 Filius meus primogenitus Israel. Breuiter, hæc concio, quæ in princi-
 pio huius capituli scribitur, nihil aliud est quæ superiorum concionum
 & promissionum repetitio. Quid ergo: num Deus consolaturus Mo-
 sen, & in obedientia fidei conseruaturus, non habebat nisi uetera illa
 promissa, iam dudum decantata: Non potest Deus afflictos consolari,
 & infirmis conscientijs mederi, nisi ueterem suam cantilenam occi-
 nat: Respondeo. Possent quidem Deus longe plura noua producere,
 quam mens humana capiat. Profunditas enim diuitiarum et sapientiæ
 Dei imperscrutabilis est, & uia eius sunt imperuestigabiles, sed ma-
 uult in consolandis afflictis, & in medendis infirmis conscientijs ue-
 tera inculcare. Primum, ut doceat, quantus sit thesaurus uerbi Dei. *Verbi Dei
 thesaurus*
 Vnica enim, eaque parua promissio Dei, plus continet in se maiesta-
 tis, utilitatis & consolationis, quam omnes omnium hominum am-
 pullæ & sesquipedalia uerba. Nam quemadmodum herba odorife-
 ra, si immobiles steterint, non multum odoris spirant, at si commoue-
 ris eas, tanto fragrantius spirant, quāto magis eas commoueris, et ma-
 nibus tractaueris, ita & uerbum diuinæ promissionum, uidetur sua
 specie abiectum & inutile, at si explicueris & in consciētia uersaueris,
 non iam uerba tantum, sed res ipsas, adeoque optimarum rerum thesaurum
 senties. Quare qui indiget uel consolatione uel exhortatione, ad uer-
 bum Dei, tanquæ ad asyllum, & ad nostræ foelicitatis promptuarium cõ-
 fugiat. Deinde repetit Deus in consolando Mose ueteres promissio-

nes, ut auocet nos a curiositate, ne nouas subinde reuelationes de cœlo postulemus, sed ut assuefiamus contenti esse uerbo Dei semel reuelato, & suis miraculis confirmato. Sic Mose, cum semel proposuisset Israelitis suis hanc legis suę summam: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & confirmasset eam certissimis miraculis, subinde ita repetit & inculcat, ut iubeat etiam hæc uerba suspendere pro signo in manibus, & suspendere inter oculos. Sic & Christus, cum Euangelion suum (uidelicet quod ipse sit expiator peccatorum, & reconciliet hominibus patrem) adnunciasset discipulis, & confirmasset cœlestibus testimonijs, ita sollicitè illud repetit, ut etiam post resurrectionem suam subinde iteret. Hæc, inquit, sunt uerba quæ locutus sum ad uos, cum adhuc essem uobiscum, quod necesse foret impleri omnia. Ac mox: Sic oportebat Christum pati & resurgere a mortuis tertio die, & prædicari nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum. Et cum promitteret spiritum sanctum, non dixit ipsum noua docturum, sed suggeret, inquit, uobis omnia. Quæ; num noua; Minime, sed quæcunq; dixit uobis.

NARRAVIT ERGO MOSE OMNIA FILIIS ISRAEL.)

*Obedientiæ
exemplum.*

Exemplum obedientiæ. Etsi enim Mose detrectauerat prius obedientiam, cum uideret Pharaonem ad petitionem suam Israelitas grauius affligere, uerbo tamen Dei nunc iterum animatus & confirmatus, obsequitur Deo, & repetit Israelitis promissiones Dei, ut credant & sequantur uocationem eius. Discamus igitur ex hoc loco, quod spiritus sanctus operetur in nobis uirtutem obedientiæ, per uerbum Dei, & frequentem tractationem eius, et admoneamur, ut ad conseruandam in nobis obedientiam Dei, ponamus nobis semper ob oculos uerbum Dei, & meditemur in eo die ac nocte, quemadmodum Psalmus ait.

QVI NON ACQUIEVERUNT EI.)

Vt in Mose habes exemplum obedientiæ, ita in Israelitis habes exemplum inobedientiæ & incredulitatis. Non acquieuerunt ei (inquit) propter angustiam spiritus, & opus durissimum. Caro enim peccato intantum uiciata est, ut nunquam possit regia uia incidere. In prospero rerum successu, uiuit securissime, nullo plane timore Dei. In afflictionibus autem ita desperat, ut nullam prorsus consolationem uerbi Dei admittat, sed quia diuersum iuxta externam rerum speciem sentit, iudicat uerbum Dei mendacissimum esse figmentum. Reijciunt igitur Israelitæ Mosen una cum concionibus suis, propterea quod recenti dolore, qui solet esse contumacior, quam ut medicam manum admittat, ita conturbati erant, ut pro eo non potuerint uerbo Dei aures accommodare. Sed hæc est impia incredulitas. Ne igitur peccemus una cum Israelitis, uel nimium ad dextram uel nimium ad sinistram, danda est nobis opera, ut in prospero rerum successu meminerimus

meminerimus futurorū malorum, & conseruemus per fidem promissio-
nes Dei, quo ijs in tēpore necessitatis uti queamus. In aduersis autē,
meminerimus bonorū, & reuocemus nobis in memoriam promissio-
nes Dei, de liberatione & salute nostra. Nam quemadmodū bonus
paterfamilias, tēpore uilitatis rerū, parcat superfluis, & reponit ea, ut
possit ipsa tempore caritatis in usum familię suę promere: & contra,
uir prodigus, tempore uilitatis rerū, oīa helluatur, tempore uero cari-
tatis esurit, & omnino de uictu desperat, ita cum impij in foelicitate se-
curissimi, in infœlicitate desperatissimi fiant, pñ tamen in die bono-
rum memores sunt malorū, et in die malorum memores sunt bonorū,
per fidem, quam ex promissionibus Dei concipiunt.

INGREDERE ET LOQVERE AD PHARAONEM.)

Cum Israelitę non crederent, iussit Deus Mosen Pharaoni concio-
nari priorem illam concionem, uidelicet, ut dimittat filios Israel de
terra sua. Quid ergo adhęc agit Mose? Hic mihi uide humanam im-
becillitatem. Paulo ante obediť Mose uocationi Dei, & narrauit fili-
is Israel promissiones diuinas. Nūc autem cum paruo quodam infor-
tunio afficeret, et a suis Israelitis reijceretur, detrectat iterum obedien-
tiam. Ecce, inquiens, filij Israel non audiūt me, quomodo audiet Pha-
rao? Et postea: En incircūcisus labijs sum, quō audiet me Pharao? Dis-
camus igitur hic primum in Mose, nihil esse imbecillius hoibus, etiā *Hominum est*
pijs, qui tam paruo momento ab obedientia Dei deiiciuntur. Quare *an piorū im-*
neceffe est, ut maxima sollicitudine ponamus nobis ob oculos uerbū *becillitas.*
Dei, quo spiritus sanctus conseruet nos in obedientia Dei. Deinde
discamus hoc loco in Mose, quam uiciata et putrida sit humana iusti-
tia. Mose nunc obedit Deo utcunq, mox detrectat obedientiam. Ta-
lis est fere omnium hominum, etiam piorum iustitia. Quid ergo de
ea gloriaremur: aut quid propter eam speraremus remissionem pecca-
torum, & uitam eternam? Postremo habes etiam hoc loco, quo meri-
to Israelitę ex Aegypto liberati sunt. Nā Israelitę peccant incredulita-
te. Mose autē peccat inobedientia. Liberauit igitur Dñs Israelitas ex
Aegypto, non propter iustitiam uel Israelitarum uel Mosi, sed tan-
tum mera sua gratia & clementia. Quo exemplo confidere debemus
in omnibus afflictionibus, qđ etsi nulla habemus merita, si tamen cō-
fidimus diuina promissione, respiciat Deus ueritatem suam & affli-
ctionem nostram, ac seruet nos in omnibus aduersis.

ISTA SVNT CAPITA DOMVS PATRVM.)

Hoc loco recensetur genealogia & familia Mosi & Aheronis, ē
qua tribu descendant, & quos liberos habuerit Aheron. Primum au-
tem recensetur genealogia Ruben & Simeon, nulla alia causa, qđ ut
scriptura his ueluti gradibus cōmode ad describendam genealogiam

IN CAPVT VI. EXODI

*Tribuum di-
stinctio inter
Israelitas ne-
cessaria.*

Leui, descendat, e quo Mose & Aheron genus suum ducunt. Ruben enim & Simeon fuerunt maiores natu quam Leui, quemadmodum Gen. xxix. scriptum est. Deinde commemoratur genus Leui, e quo Mose & Aheron descendunt. Necessarium autem fuit inter Israelitas distinctionem tribuum & familiarum conseruare, principio propter hanc causam, quod terra Canaan inter singulas tribus distribuenda erat. Deinde, quod sacerdotium & administratio diuinorum cultuum, soli tribui Leui commendanda erant. Adhæc, propter benedictiones Iacob, quarum aliæ alijs tribubus promissæ erant. Postremo, ad conseruandam certitudinem promissionis de Messia, hoc est, Iesu Christo, quem Iacob uaticinatus est uenturum de tribu Iuda. Nos autem quia Christus iam aduenit, & non habemus Rempub. ad formam Mosaicæ legis institutam, non indigemus exacta enumeratione nostrarum familiarum, sed hoc tantum nobis ad salutem necessarium est, ut sciamus nos genus nostrum spirituale ducere a Christo Iesu per fidem, qui cum fecerit omnes in ipsum credentes, reges & sacerdotes, non quidem coram mundo, sed coram Domino Deo nostro, dâda nobis est summa opera, ne tantam nobilitatem & dignitatem peccatis nostris amittamus, sed gratitudine & obedientia conseruemus.

ET FUIT IN DIE ILLA QVA LOCVTVS EST DOMINVS AD MOSEN.)

Repetit scriptura mandatum, quod Dñs dedit Mose, & inobedientiam Mose, ut quo magis inculcet inobedientiam Mose, eo plus commendet clementiam Dei in liberando Mose & Israelitis ex Aegypto.

CAPVT VII.

DIXITQVE DOMINVS AD MOSEN: ECCE CONSTITVI TE DEVM PHARAONIS.)

Ostendimus antea, quod non Israelitæ tantum reiecerint uerbum Dei, sed quod Mose etiam detrectauerit obedientiam: Ecce, inquit, filij Israel non audiunt me, quomodo audiet Pharaos: adhuc sum incircumcisus labijs: Videamus ergo nunc, quomodo sese gerat Dominus erga tantam Mose inconstantiam & inobedientiam. Ac supra quidem Deus restituit aliquoties Mosen obedientiæ, per prædicationem, repetitionem, & inculcationem uerbi sui. Quid autem nunc agit? Num quia Mose toties lapsus est, derelinquit etiam collapsum, & sin-

*Clementie
Dei exemplū*

*Ire diuine
uic, Pharao.*

nit ipsum perire. Hoc fuisset meritum Mose, sed Dñs Deus noster tantæ est clementiæ erga sanctos suos, ut etiam si ex imbecillitate peccauerint, non tamen extinguat linum fumigans, nec conterat calamum conuassatum. Et sicut Pharaos fuit uas iræ Dei, quo Deus potentiam et se-

uetitatem

ueritatem suam toti orbi terrarum nota faceret, ita Mose fuit uas seu organon misericordie Dei, quo Deus diuitias glorie & clementie suae publice illustraret. Quare Deus non finit Mosen in inobedientia sua perire, sed statim restituit ipsum tantę obedientię, ut deinceps uocationem Dei sine omni tergiversatiōe sectetur. Sed quibus, inquires, modis, quibus rationibus restituit ipsum obedientię: num reuelat ipsi nouum aliquod uerbum, aut noua quedam miracula: Nihil minus. Sed iterum repetit, inculcat & explicat priores promissiones, priora uaticinia, & priora miracula. Ecce (inquit) constitui te Deum Pharaonis, & Aheron frater tuus erit propheta tuus. Hoc idem supra ca. iij. Mose si dictum & promissum erat. Item, hoc loco addit: Ego indurabo cor eius, ut multiplicem signa & ostenta mea in terra Aegypti &c. Hoc idem supra cap. tertio & quarto prophetatum erat. Præterea hoc loco dicit Dominus: Cum dixerit uobis Pharaon, ostēdite uestra prodigia, hoc est, non credo uerbis uestris, nisi miraculis & prodigijs confirmaueritis ea, dices ad Aheronem: Tolle uirgam tuam & proijce eam coram Pharaone, ut uertatur in colubrum. Hoc idem supra etiam dictum est capite quarto, ubi ita legitur: Virgam hanc sume in manu tua, qua facturus es signa. Et mox: Vide ut cum in Aegyptum reuersus fueris, omnia ostenta que posui in manu tua facias coram Pharaone. Nihil igitur noui Dominus hoc loco Mosei concionatur, sed uetera tantum, prius prædicata & confirmata urget, ut per ea Mosen ad obedientiam reducat. Ex quibus principio obseruandum est, quod etsi inobedientia diuine uocationis est peccatum, quo quis mereatur eternam damnationem, tamen quamdiu uerbum Dei prædicatur, & inobedientes ad poenitentiam uocat, tamdiu patet etiam ianua poenitentię & salutis, & quanquam Deus irascitur inobedientię, fauet tamen poenitentię, ad quam uerbo suo peccatorem reuocat, & poenitenti peccata remittit. Sic Mosei aperuit Dominus ianuam poenitentię, cum repetit ipsi et inculcat uerbum suum. Sic in Mose, publice declarat, quod uocet inobedientes per uerbum suum ad poenitentiam, & poenitentibus ignoscit. Vnde in Ieremia dicitur: Si gens ista poenitentiam egerit &c. Deinde iterum adnotandum est, quod post peccata, & in afflictionibus nostris non debeamus querere nouas reuelationes angelicas, & noua miracula cœlestia, sed properandum nobis est ad uetus uerbum Dei, & ad uetus Euangelion, quod iam ante tam a prophetis, quæ ab ipso Christo & Apostolis eius non solum prædicatum, sed etiam miraculis confirmatum est. Ex hoc enim ueteri Euangelio, & non ex alio consequemur remissionem peccatorum, consolationem & salutem.

FECIT ITAQUE MOSE ET AHERON, Sicut præceperat eis Dominus.)

Misericordie
die Dei uas,
Mose.

Obedientia
uerbi Dei,
quomodo fiat

Ieremie 18.

IN CAPVT VII. EXODI

Et mox: Ingressi Mose & Aheron ad Pharaonem, fecerunt sicut preceperat eis Dominus &c. Vide quanta sit energia uerbi Dei subinde repetiti & inculcati. Nulla humana potentia potuisset Mosen & Aheronem eo impellere, ut in tantis periculis, & in tanta etiam ingratitude & impietate Israelitarum, iterum ad Pharaonem pro Israelitis intrassent, sed uerbum Dei ducit ipsos ad obedientiam, & ad Pharaonem. Nisi, inquires, spiritus Dei traxisset corda eorum, uerbum externe in auribus sonans nihil effecisset. Bene. Sed ordinarium & legitimum organon Dei, quo spiritus sanctus cordi illabitur, & in corde operatur, externum uerbum Dei est, quemadmodum Paulus ait: Fides est ex auditu. Proinde qui cupit dona spiritus sancti, hoc est, uel fidem, uel spem, uel charitatem, uel consolationem in aduersis, uel uirtutem obediendi uocationi Dei, is ad uerbum Dei audiendum sustinet.

Verbi Dei potentia.

Verbum Dei ordinarium organon spiritus sancti.

ERAT AVTEM MOSE OCTOGINTA ANNORE.)

Sicut supra descripta est genealogia Mosis & Aheronis, ita nunc describitur tempus etatis eorum, quo ex uocatione Dei tractarunt causam Israelitarum coram Pharaone, & liberarunt Israelitas ex Aegypto. Quod etsi cognitu non admodum necessarium est, tamen iucundum est nosse quo etatis suae tempore duo illi heroes Mose & Aheron, negotium longe omnium clarissimum tractauerint: Et utile quoque est hoc cognoscere, ut huius adminiculo possimus computare certitudinem eius numeri qui scribitur Exodi. xij. & ad Gala. iij. Habitatio filiorum Israel, qui manserunt in Aegypto, fuit quadringentorum triginta annorum. Et lex coepit post annos quadringentos & triginta. De qua re dicemus in duodecimo capite huius libri. Commendat etiam hic locus auctoritatem Mosis & Aheronis a ueneranda canitie senectutis, ne si iuuenes fuissent, patuissent propter iuuentutem, in tanto negotio, multorum hominum ludibrio.

PROIECITQUE AHERON VIRGAM SVAM CORAM PHARAONE.)

Virga ab Aherone proiecta uertitur in colubrum. Quo miraculo confirmatur coram Pharaone uocatio Mosis & Aheronis. Sed idem etiam faciunt Philosophi Aegyptiorum, quos Pharaon in hoc uocauerat, ut resisterent Mosis & Aheroni, & declararent ipsos esse hereticos, atque ut perspicue demonstraretur, miracula Mosis et Aheronis esse uera & diuina, miracula autem Philosophorum Aegyptiorum esse ludibria Satanæ, deuorauit uirga Aheronis iam in colubrum uersa, uirgas seu colubros Philosophorum Aegyptiorum. Pharaon autem excæcatus miraculis suorum philosophorum, non obseruat diuinam potentiam miraculorum Mosis. Quare confirmatur in sua perinatia. Ex his obserua, primum, quod ubicunque prædicatur uerbum Dei, & confirmatur miracu-

Virga in colubrum uersa

tur miraculis, ibi Satan excitat aduersarios uerbi Dei, qui & ipsi gloriantur de ueritate, & iactant miracula. Vnde & Paulus meminit huius loci in Timoth. iij. et nominat etiam expresse aduersarios Mosi, dicens: Quemadmodum Iamnes & Mambres resistebant Mosi, ita & hi resistunt ueritati, homines mente corrupti, reprobi circa fidem. Christus etiam dicit ad Apostolos: Ecce ego mitto uos sicut oues in medio luporum. Et si patrem familias uocauerunt Belzebub, quanto magis domesticos illius. Testatur & aduersarios ueritatis miracula edere posse. Surgent, inquit, pseudochristi & pseudoprophete, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri possit, etiam electi. Hoc autem, preter alias causas, etiam ob hanc animaduertendum est, ut non differamus ueram religionem sectari, sicut impij quidam se facere confitentur, donec docti inter se de religione conueniant, aut in Concilio constituant, que sit uera religio. Nam ut Mose suos aduersarios, prophetę item suos, & Christus ac Apostoli suos habuerunt, ita semper habebunt aduersarios hi, qui syncere uerbum Dei predicant. Nec unquam in hoc seculo publica inter doctos concordia est de religione, nisi forte Satan in religione dominetur. Vbi enim is in religione dominatur (hoc est, ubi falsa religio publice docetur) ibi omnem mouet lapidem, ut externam concordiam seruet. At ubi uera religio publice docetur, ibi Satan omnia conturbat, & multos aduersarios excitat, ut doctrinam uere religionis extinguat. Quid autem de Concilijs dicam? Concilium, quod congregarunt Apostoli Hierosolymis de abrogatione legis, constituit quidem ex uerbo Domini, quid sentiendum esset de lege quemadmodum testantur Acta Apostolica, sed tamen abest, ut statim publica et perfecta concordia in Ecclesia de religione consecuta sit, ut pseudoapostoli maiori deinceps supercilio legem et merita eius inculcauerint, quemadmodum apparet ex epistolis Pauli, presertim ex ea que scripta est ad Galatas. Nicenum quoque concilium, quod post Apostolicum, precipue autoritatis est, etsi recte condemnauit errorem Arrianorum, tamen Arriani postea heresim suam multo latius sparserunt, quam ante concilium, tantum abfuit, ut concilium publicam religionis concordiam in orbem inuexerit. Et de Concilio Nazianzenus ad Procopium ita scribit: *εχω μὲν οὕτως, εἰ δ' εἴ τ' ἀληθὲς γέγραφε, ὥστε πάντα σύλλογον φεύγειν ἐπισκόπων, ὅτι μηδ' εὐμίας συνόδου τέλος εἶδ' ὄν χριστὸν, μηδὲ λύσιν κακῶν μᾶλλον ἰσχυρίας, ἢ προσθήκην.* Hoc est: Ego, siquidem scribendum est quod res est, omnes synodos episcoporum decreui fugere. Nullius enim Synodi exitum comperi bonum esse, aut qui non magis afferret incrementa malorum, quam finem. Hactenus Nazianzenus. Quod si talis fuit fortuna eorum conciliorum, quae fuerunt in Ecclesia recens condita, quid nobis boni pollicemur de his Concilijs, in quibus nihil

*vbi uerbum
dei, ibi aduer
sarij eius.*

*Satanae reli
gio tranqui
litas.*

*Conciliarum
utilitas.*

Religio ue
rus, uera
miraculis
firmata.

ex autoritate diuinæ scripturæ, sed omnia ex humanis affectibus, & paucorum, aut etiam multorum tyrannide administrantur? Sed de hac re pluribus differendi non est nunc locus. Hæc tantum dicere uolui, ut admonerem eos, qui expectant publicam in religione concordiam, ne seiplos seducant, & salutem suam negligant, sed in tempore eam religionem capeffant, quæ iam ante per Prophetas adnunciata, & per Christum ac Apostolis uulgata & confirmata est, quam docent nos sacræ literæ, uidelicet, quod solus Iesus Christus sit expiatio peccatorum, redemptio & sanctificatio nostra. Deinde obseruabis in Pharaone, quod impietas ante iudicium Domini semper suam habeat excusationem et effugium, ut impij uideantur recte agere, q̄ non credant uerbo Domini, & non obsequantur uocationi diuinæ. Pharaon, quia uidet miracula philosophorum suorum, iudicat se probe facere, quod reñciat uerbum & miracula Mosi, nimirum existimabat miracula suorum philosophorum uera, Mosi autem adulterina esse. Sic Pharisei in Euangelio excusationem impietatis suæ fingunt, & dicunt, Christum eicere dæmonia præsidio Belzebub. Sed tempus ueritatem reuelat. Et quia omnes hæreticorum doctrinæ, ac impiorum miracula euanuerunt una cum autoribus suis, solum autem Euangelion de Iesu Christo, & miracula ipsius & Apostolorum, conititerunt, non deficiamus ab eis, etiam si angelus de cælo aliud prædicauerit.

DIXIT AVTEM DOMINVS AD MOSEN: INGRAUATVM EST COR PHARAONIS, ET NON VULT DIMITTERE POPOLVM.)

Hactenus sepenumero promisit Deus se liberaturum Israel ex Aegypto manu ualida, mirabilibus magnis, stupendis signis, terribilibus ostentis, brachio excelso, & iuditijs horrendis. Hoc igitur loco incipiunt publica illa & admiranda supplicia, quibus Dominus totum regnum Aegyptiorum ita affligit, ut Pharaon cogatur tandem uel inuitus populum Dei dimittere. Numerantur autem ex ordine decem publica Aegyptiaci Regni supplicia, quæ מכות, hoc est, plage seu percussure uocantur. Ceterum, cum tota Israelitarum historia, tum maxime omnium horrenda illa supplicia, quibus Israel ex Aegypto liberatus est, scripta sunt, non propter illos tantum Israelitas & Aegyptios, qui harum rerum gestarum ἀυτόπται fuerunt, sed præcipue propter posteros, adeoque propter omnes omnium seculorum homines. Paulo post dicit Dominus cap. x. Ego indurauit cor Pharaonis & seruatorum illius, ut faciam signa mea hæc in eo, & narres in auribus filij tui, & nepotum tuorum. In Psalmo etiam septuagesimo & Psal. cxliij. ac Psal. cxxxij. & cxxxv. & in multis locis scripturæ inculcantur horren-

horrenda illa supplicia, quibus Aegyptus afflicta est, ut significetur ea nec facta nec scripta esse propter eos tantum, qui his rebus presentes interfuerunt, sed maxime omnium propter posteros, ut essent omnibus seculis publica in toto orbe terrarum spectacula et exempla. Priusquam igitur singula explicemus supplicia, uideamus quid Dominus Deus noster his supplicijs toti orbi significare & cōcionari uoluerit. Primum, in hoc loco dicit Dominus ad Pharaonem: In hoc scies, quod sum Dominus. Ecce percutiam uirga quæ in manu mea est aquam fluminis, & uertetur in sanguinem. Et supra cap. vi. dixit Deus: Redimam uos in brachio excello, & iudicijs magnis. Et scietis quod ego sum Deus uester, qui eduxerim uos de ergastulo Aegyptiorum. Ac iterum, in hoc septimo capite: Mittam manum meam super Aegyptum, & scient Aegyptij, quia ego sum Dominus qui extenderim manum meam super Aegyptum. Et rursus cap. x. Ego induraui cor Pharaonis, ut narres in auribus filij tui & nepotum tuorum, quid egerim in Aegypto, & signa mea posui inter eos, ut sciatis quia ego sum Dominus. Et Deu. iij. Iuxta omnia quæ fecit pro nobis Dominus Deus noster in Aegypto uidentibus oculis tuis, ut scires, quoniam Dominus ipse est Deus, & non est alius præter unum. Ex his omnibus manifestum est, quod tam admiranda & stupenda supplicia immissa sint a Deo in Aegyptum, ut publice omnibus omnium seculorum ætatibus declararetur & comprobaretur, quod is Deus, qui apparuit patriarchis, & quem patriarche coluerunt, sit unus, solus, & uerus Deus, nec sit ullus alius deus. Iam, si confirmatum est, hunc Deum, esse uerum deum, statim confirmata est etiam autoritas Domini nostri Iesu Christi. De hoc enim Iesu Christo tam Patriarche, quam Mose & alij Prophete, è spiritu Dei uaticinati sunt, & iusserunt hunc audire, propterea quod positurus sit uerus deus uerba sua in os eius. Is autem Iesus Christus predicauit se ueri Dei filium, & eiusdem cum Deo patre suo naturæ ac maiestatis esse. Testificatus etiam est spiritum sanctum eiusdem maiestatis una cum ipso et Deo patre suo esse, dicens: Baptisantes eos in nomine patris & filij et spiritus sancti. Quare sicut Aegyptiaca miracula probant & confirmant, quod solus Deus Patriarcharum uerus Deus sit, dii autem aliarum gentium, ut Aegyptiorum, Babyloniorum, Persarum, Græcorum, & Romanorum sint dæmonia, ita probant etiam Christum filium Dei, & spiritum sanctum, unum solum uerum, adorandum, & in secula laudandum Deum esse. Deinde dicit postea Dominus cap. ix. de Pharaone. Ideo excitauit te, ut ostendam in te fortitudinem meam, et narretur nomen tuum in omni terra. Quo dicto Deus ipse testatur se ædidisse miracula in Aegypto, & immisisse stupenda supplicia, ut illustret in toto orbe terrarum nomen, hoc est, famam, gloriam, & maiestatem

Plagarum Aegyptiacarum usum.

suam, ac reportet publice ex tantis miraculis celeberrima nomina, clarissima epitheta, & titulos longe omnium amplissimos. Videamus igitur, quæ sit illa maiestas Dei, quæ hisce miraculis illustratur, & quæ epitheta ex his consequatur. Principio illustrat maiestas VERITATIS diuinarum promissionum, et consequitur Deus hoc epitheton, quod uocetur Deus VERAX. Nam cum tota rerum natura longe aliud portenderet, quæ ut Israelitæ, quibus terra Canaan diuinitus promissa erat, ex Aegypto liberari, & in terram Canaan introduci possent, maluit tamen Dominus Deus noster ipsam rerum naturam inuertere (quemadmodum sequentibus miraculis uides) ac Israelitas iuxta promissionem suam in libertatem uindicare, quam in promissionibus suis mendax esse. Quis igitur tam ueraci Deo non crederet? Deinde illustratur maiestas clementiæ Dei, & reportat hunc titulum, quod uocetur Deus CLEMENS seu MISERICORS. Etsi enim Israelitæ æque impij fuerunt, atque Aegyptij, & meriti sunt propter impietatem suam, extremam internitionem, respexit tamē Deus miseriam et afflictionem eorum, & magis uoluit totum regnum stupendis supplicijs affligere & perdere, quam miserum populum suum derelinquere, ut palam faceret se in altis quidem habitare, respicere autem populum suum humilem, afflictum & abiectum. Quis igitur in afflictionibus de tam clementi Deo desperaret? Adhæc illustratur hisce miraculis maiestas seueritatis Dei, erga impcenitentes, & reportat Deus hoc epitheton, quod uocetur Deus SEVERVS, & quod non sit respector personarum. Nam regnum Aegyptiacum erat eo tempore tam sapientia quam potentia longe omnium clarissimum in toto orbe terrarum, nihilominus tamen cum Israelitas iniuste affligerent, nec uerbo Dei obedirent, nec resipiscerent, tanta seueritate afflixit ipsos Deus, ut facti sint omnium seculorum ætatibus, publicum diuine ueritatis spectaculum. Quis igitur tam seuerum, tam terribilem Deum non timeret? Deinde illustratur gloria potentiæ Dei, & reportat Deus ex his miraculis nomen OMNIPOTENTIS. Nam cum Deus in Aegypto naturam rerum miraculis suis tam potenter inuertisset, ut mutauerit aquam in sanguinem, & alia multa stupenda fecerit, quæ mox sequuntur, palam declarauit, se non esse talem Deum, qui tantum ea possit, quæ natura possibilis sunt, sed etiã talē qui possit naturam ipsam inuertere. Et quancumque Pharaon fuerit Rex longe omnium potentissimus, multo tamen potentior fuit Deus, qui Pharaonem, inuitum etiam, coegerit populum suum dimittere, ac ipsum quidem aquis submerferit, populum autem suum liberauerit. Quis igitur tam potentem Deum non uereretur? & quis tam potenti Deo sese non tuto crederet? Postremo illustratur etiam nomen patientiæ & longanimitatis Dei, ac reportat Deus

*Dei epitheta
illustrantur.
Verax, epitheton
Dei.*

*Clemens, epitheton
Dei.*

*Seuerus, epitheton
Dei.*

*Omnipotens,
epitheton dei.*

hunc titulum, q̄ sit PATIENS ET LONGANIMIS. Potuisset enim Deus uno momento omnes Aegyptios una cum rege suo perdere, & Israelitas, uel per ipsum aerem, ad terram Canaan transferre, sed maluit prius reuelare uerbum suum in Aegypto, & Aegyptios ad poenitentiam, primum quidem per uerbum uocare, deinde etiam per uaria supplicia erudire, ut uel tandem resipiscerent, ac Israelitas dimitterent, hoc est, ut uerbo Dei obsequerentur. Quis igitur longanimitate tam patiētis Dei abuteretur, ac non statim a peccatis resipisceret? Hæc sunt præcipua nomina & epitheta, quæ Deus ex Aegyptiacis miraculis reportat. Ex quibus nobis concipienda sunt, fides, timor Dei, patientia in afflictionibus, & obedientia Dei in omnibus mandatis eius. Cæterum, obseruandum est q̄ Deus non extirpauerit statim radicibus inobedientes Aegyptios, sed uocauerit eos primum omnium ad poenitentiam uerbo suo sine supplicijs, quemadmodum hæcenus uidimus. Nūc autem quia uerbo non obediunt, addit etiam supplicia. Ostendimus uero supra, hæc in publicam nostri doctrinam & admonitiōem scripta esse. Obseruemus igitur quod Deus hoc loco significauerit nobis solēnem suum morem, quo peccatores in hoc seculo tractat, uidelicet, quod ante nouissimum diem, non statim in momento perdat peccatores in ipso actu peccati, sed expectet longanimitate sua resipiscētiā, ad quam inuitat eos primum quidem uerbo & beneficijs, deinde etiam supplicijs, non perpetuis & spiritualibus, sed temporarijs & corporalibus. Hoc modo Israelitę uocati sunt ad poenitentiam, ante deuastationem Aſyriacam. Similiter Hierosolymitani ante deuastationem Babylonicam. Et Iudæi ante deuastationem Romanam. Quare si horremus supplicia, obediāmus uerbo. Adhęc cū Deus uocat Aegyptios, ad poenitentiam decem publicis supplicijs, quæ sequuntur, adnotandum est, q̄ non immiserit ea in Aegyptum, propter Aegyptios tantum, sed q̄ ordinauerit & consecrauerit ea, ut hæc aut his similia supplicia sint deinceps publica & ordinaria instrumenta, quibus uelit urbes, principatus & regna, propter publica ipsorum scelera affligere, in agnitionem peccatorū ducere, & ad resipiscētiā inuitare. Quāq̄ enim Augustinus ex anthitēsi opponat singulas plagas, singulis præceptis Decalogi, q̄d non displicet, obseruandum tñ est, unamquāq̄ publicam plagam, uel illarū decem, uel aliarum similitium, esse exhortationem ad cognoscendum non unum peccatum tantum, sed ad agnoscenda omnia peccata nostra, ut ab ipsis resipiscamus. Sic enim Mose docet Deus. xxviiij. Si audire (inquiens) nolueris uocem Domini Dei tui, percutiet te Dominus ulcere Aegypti. Et mox: Conuertet in te omnes afflictiones Aegypti, quas timuisti. Et Paulus ait: Hoc scitis, q̄ oīs scortator aut immundus aut auarus, qui

Aegyptiacæ
plagæ, spectacula
& rudimenta orbis
terræ.

est simulacrorum cultor, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Propter hæc enim uenire solet ira Dei in filios inobedientes. Cum igitur uideamus regionem aut urbem, uno aut altero horum decem suppliciorum, aut similibus affligi, statim meminerimus, nos ad agnitionem peccatorum & resipiscẽtiam uocari, & nisi resipiscamus, imminere nobis propediem extremam internicionem. Hæc de decem Aegyptiacis supplicijs in genere diximus: Nunc singulas etiam suo ordine explicabimus.

ELEVANS VIRGAM PERCVSSIT AQVAM FLV-
MINIS CORAM PHARAONE.)

*Aque in san-
guinem con-
uersio.*

Hoc primum est supplicium, quo Deus punit inobedientiam Pharaonis & Aegyptiorum, & uocat ipsos ad obedientiam. Percussu enim uirgæ, omnes aquæ in Aegypto tam fluuiales quam fontales, tam in ualis ligneis quam lapideis, ita conuertuntur in sanguinẽ, ut nulli u sui aptæ sint, & ita computrescunt, ut etiam pisces in ipsis moriantur. Et quantũ Philosophi Aegyptiaci idem uideantur incantationibus suis facere ex aqua uel effossa, uel aliunde allata, uanitas tamen ipsorum non constat, miraculum autem per Mosen & Aheronem diuina potentia æditum septem diebus ita constat, ut Aegyptij necesse habeant aliam aquam fodere, quam biberent. Horrendum non tam miraculum quam spectaculum. Quid autem in genere sibi uelit Deus hoc miraculo, paulo ante exposuimus. Voluit enim testificari se unũ uerum esse Deum, uoluit & nomen suum gloriosum reddere in toto orbe terrarum. Sed quod ad ipsam supplicij speciem attinet, significat eam maledictionem, de qua Mose in Leuitico & Deuteronomio loquitur, dicens: Si nolueris audire uocem Domini Dei tui, maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro, maledictum horreum tuum, & maledictę reliquię tuę. Et mox: Sit cœlum quod supra te est gneum, & terra quam calcas ferrea. Det Dominus imbrem terrę tuę puluerem &c. Vbi enim aqua aut nulla est, aut corrupta est, quid, obsecro, benedictionis relinquitur? Pindarus dixit: ἀγιστον ὕδωρ, & quidam senserunt aquam esse rerum omnium principium. Itaq; si deficit aqua, aut corrumpitur, necesse habent omnes res, præsertim terrene, deficere, aut corrumpi. Cum igitur agri, aut nimia humiditate corrumpuntur, aut nimia siccitate exuruntur, meminerimus huius Aegyptiaci supplicij, quo aquę conuersæ sunt in sanguinem, & agnoscamus ex hac maledictione peccata nostra, ut resipiscentes, non una cū Pharaone in mari pereamus, sed cū Israelitis oĩa imminentiã supplicia salui euadamus. Iam si cui libet etiã allegorijs ludere, petat allegoriã huius miraculi ex Origene, Augustino, & alijs ecclesiasticis scriptorib.

*Aqua, rerum
principium.*

ET INDVRATVM EST COR PHARAONIS.)

Hic mi-

Hic mihi uide euentum diuinorum suppliciorum in impijs & incredulis. Dominus enim immittit supplicia, non ut perdat, sed ut sanet. Et sicut parens castigat filium uirga sua, non ut penitus opprimat, sed ut erudiat ipsum, ita Deus punit peccatores inobedientes uirga suppliciorum suorum, non ut prorsus eos conculcet, sed ut ad poenitentiam reuocet. Vnde et Dominus iubet Moſen hæc miracula per uirgam ædere, ut significaret, ista supplicia, uirgam esse parentis erudientis, non gladium carnificis trucidantis. In Pharaone autem uide mus impios tanto peiores fieri, quanto magis supplicia multiplicantur. Et quo altius Deus uocat ipsos per uirgam suppliciorum, ad poenitentiam eo longius recedunt ipsi a poenitentia. Id quod & Esaias conqueritur dicens: Populus non est reuersus ad percutientem se. Quare, ne una cū impijs in uirga Dei, a deo recedamus, summa nobis danda est opera, ut per fidē capessamus uerbū Dei, quo significat Deus, se meminisse misericordiæ suæ in uirga suppliciorum suorum, & prmit tit resipiscentibus liberationem ex oibus supplicijs & afflictionibus.

*Virga non
gladius, sup
plicium à deo
immissum.*

CAPVT VIII.

ECCE EGO PERCVTIO OMNES TERMI
NOS TVOS RANIS.)

Secundum supplicium, Ranæ, quas flumina & stagna Aegypti ad extensionem manus Aheronis, tanta multitudine ebullierunt, ut tota *Ranarū mul
tudo.* tam Aegyptum operuerint, & infecerint. Hoc miraculo Deus uocauit iterum Aegyptios ad resipiscentiam, deinde illustrauit nomen suum in toto orbe terrarum, quemadmodum supra explicuimus. Postremo consecrauit etiam hoc miraculo, ranas, aut id genus similia, qualia sunt, mures, talpæ, & alia, in publicum supplicium peccatorum, & admonitionem ad resipiscentiam. Hæc supplicia, etsi adhuc in nostris regionibus ignota sunt, debemus tamen ex ipsis timorem Domini discere. Quid enim? Etiam si hæctenus non uexati simus multitudine ranarum aut murium aut talparum, ergo ne existimabimus manum Domini abbreviatam esse, ut non queat inemendabilibus nostris peccatis, noua & his regionibus ignota supplicia immittere? Fuerunt ante hæc nostra tempora pustulæ Gallicæ, quas uocamus, in Germania ignotæ, fuit & Anglicus sudor ignotus, nihilominus tamen inuasert *Pustula Gal
licæ.
Anglicus sudor.* Germaniam. Quomodo igitur non posset Deus impoenitentibus, etiam multitudinem ranarum, bufonum, murium, talparum, & id genus alias maledictiones immittere? Varro (teste Plinio) scribit, a ranis ciuitatem in Gallia pulsam, oppidum in Theſſalia a talpis suffossum,

ex Gyaro Cycladam insula incolas a muribus fugatas. Iustinus quoque affirmat Abderitas, propter ranarum muriumque multitudinem, coactos patrium solum relinquere, & nouas sedes quaerere. Testatur & sacra scriptura, i. Regum. v. Philistinos, a muribus grauissime afflictos. Quod his urbibus & populis diuinitus accidit, non putas idem quoque posse Germaniae accidere: Resipiscamus igitur, & obediamus uocationi Dei, ne tam turpibus supplicijs affligamur.

FECERVNT AVTEM ET MALEFICI PER INCANTATIONES SVAS.)

Quos scriptura maleficos uocat, hi fuerunt Aegyptiorum philosophi, sacerdotes, & quos uocant, spirituales: Quod igitur imitantur miracula Mosi & Aheronis, significat, aduersarios ueritatis hoc unum conari, ut in eisdem armis ueritatem oppugnent, quibus ueri doctores eam propugnant. Si obuertas sacram scripturam, obuertunt & ipsi. Si praefatus fueris: haec dicit Dominus Zebaoth, praefantur et ipsi magna autoritate: Haec dicit Dominus Zebaoth. Si edideris miracula, edunt & ipsi talia miracula, ut etiam electi, si fieri posset, in errorem inducantur. Cur ergo permittit ista Deus? Non permittit, quod approbet miracula impiorum, sed ut tentet suos, num uelint firmi in fide constare, & ut impij habeant, quo accelerent ad suum interitum, siquidem omnino perire uolunt. Si surrexerit, inquit Mose, in medio tui prophetae, & praedixerit signum atque portentum, & euenerit quod locutus est, & dixerit tibi: Eamus & sequamur Deos alienos, quos ignoras, non audies uerba prophetae illius aut somniatoris, quia tentat uos Dominus Deus uester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non, in toto corde & in tota anima uestra. Et Paulus ait: Oportet haereses esse, quo qui probati sunt, manifesti fiant.

Maleficorum
miracula per
mittuntur a
Deo.

VOCAVIT AVTEM PHARAO MOSEN ET AHERON, ET DIXIT EIS ORATE.)

Philosophi Aegyptiaci, potuerunt quidem excitare ranas imaginas, sed non potuerunt ranarum multitudinem a Mose & Aherone excitata tollere. Rex igitur tam horribili supplicio coactus, iubet Mosen & Aheronem pro Aegyptijs intercedere apud Dominum ut tollantur ranae, & pollicetur se Israellem dimissurum. Sed postquam intercessione Mosi ranae ablatae fuerunt, reuocauit Rex sententiam suam, & non dimisit Israellem. Principio habes hic exemplum simulate poenitentiae. Pharaon enim imago est omnium rore, qui in impietate sua obdurati sunt. Hi praesenti suppliciorum sensu solent esse religiosissimi, et pro se ferunt maximam pietatem. Hoc autem non faciunt ex fide, sed tantum ex dolore supplicij. Liberati enim a supplicijs, non tantum redeunt ad ingenium, sed peiores etiam fiunt, ut & hinc prouerbum

Poenitentiae
simulate ex
emplum.

Germa

Germanicum natū sit: Infirmos, recuperata sanitate peiores esse. Sed que est huius poenitentię utilitas? Liberat quidem aliquoties ab externis supplicijs, sed non liberat ab extremo & perpetuo supplicio. Quare uera poenitentia capessenda est, ea nimirum, que constat uera agnitione peccatorum, uera fide, adeoque ueris fructibus fidei. Deinde obserua hic ingentem clementiam Dei. Et si enim Deus sciebat poenitentiam Pharaonis fictam esse, aufert tamen ad preces Mose, supplicium. Ac duo precipue respicit, propter que placatur Pharaoni, ut auferat ranas. Alterę est promissio, ex cuius fide a Mose inuocabatur. Supra enim dixit ad Mosen: Ecce constitui te Deum Pharaonis. Quo dicto significauit Deus Mose, qđ Pharaon ad uerbum ipsius affligendus sit, & ad preces ipsius iterę ab afflictione liberandus. Exaudit igitur Dominus preces Mose, & moriuntur ranę, ut nomen Domini in Aegypto glorificetur. Quo exemplo confirmatur etiam autoritas earę preces, quas interdum pij pro impijs in hoc seculo fundunt. Tales enim preces, etsi non seruant obduratos impios ab eterno supplicio, liberant tñ ipsos interdum a corporali supplicio. Sic seruauit Loth Zoaritas. Sic iubentur Iudęi orare pro pace Babylonis, Iere. xxix. &c. Alterę quod respicit Dñs, est poenitentia Pharaonis, quę etsi fuit simulata, tamen fuit externa quedam honestas, & externa quedam gloria Dei. Dominus autem Deus noster in tantum fauet honestati, & commendationi nominis sui, ut etiam si proficiantur ex ficto & simulato corde hominis, non tñ suis premijs defraudet eam. Nō largitur quidem propter ipsam eterna premia, largitur tamen bona corporalia & premia huius seculi. Exemplum habes hoc loco in Pharaone. Habes & exemplum in Rege Ahab, iij. Reg. xxi. Et Christus ait: Hypocritę prestant eleemosynā, ut glorificentur ab hoibus. Amen dico uobis, habent mercedem suam &c. Quare etsi pij ueram poenitentiam agūt, ut perpetuum supplicium effugiant, admonētur tamen hoc loco indurati impij, ut si omnino non credant futuram scelicitatem, aut non uelint propter eam agere poenitentiam, agant saltem uel fictam poenitentiam, ut consequantur premia huius seculi, que sola ipsi sectantur.

Poenitentia
simulate utili
litas.

CONSTITVE MIHI QUANDO DEPRECER.)

Pro (constitue mihi) apud Hebręos est *אני יתפלל*, quod interpretes uarie exponunt. Chaldeus reponit pro eo: Postula tibi confidenter seu potenter. Alij: Gloriari potes, quod me orante, moriturę sint ranę. Alij: Gloriare contra me, hoc est, habeas tu illam gloriam, ut eligas tibi tempus. Offert autem Mose Pharaoni potestatem decernendi tempus precandi, ut nomen Domini eo gloriosius illustretur. Sic enim dicit Mose: Iuxta uerbum tuum faciam, ut scias, quoniam non est, sicut Dominus Deus noster.

CONGREGAVERVNT EAS IN IMMENSOS AGGREGES, ET FOETVIT TERRA, uidelicet, a putrefactione ranarum. Hoc diserte additur, ut eo magis commendetur miraculum; & ut significetur, has ranas supnaturaliter productas, non fuisse imaginarias, sed ueras ranas.

PERCVTE PVLVEREM TERRAE, ET SINT PEDICVLI.)

Pediculi, supplicium Aegyptiacum. Tertium supplicium, Pediculi. Pro pediculis apud Hebraeos est **בזבז**, pro quo Graecus reposuit *σκνίπεις*. Sunt autem *σκνίπεις* uermiculi innascentes materijs, qui eroso ligno subinde locum mutant. Vnde prouerbiū dictum est: *σκνίπεις ἐκ χόρας*, hoc est, Scnips e regione demigrat. Origenes scribit, hoc animal pennis quidem suspendi per aera uolitans, sed ita subtile esse & minutum, ut oculi uisum, nisi acute cernentis effugiat. Corpus tamen cum infederit, acerbissimo terebrare stimulo, ita ut quem uolitantem uidere quis non ualeat, sentiat stimulantem. Hoc igitur tertio supplicio idem sibi uult Deus, quod superioribus supplicijs, uidelicet, ut rex Aegyptius, ad poenitentiam uocetur, ut nomen Dei illustretur, & hoc miraculo multitudo pediculorum, aut culicum, aut pulicum, aut cimicum, aut teredinum, aut aliorum id genus uermiculorum consecratur in publicum supplicium urbium ac regionum.

FECERVNTQUE SIMILITER MALEFICI.)

Satanae impotens potentia Philosophi Aegyptiaci non possunt ex puluere educere pediculos. Duo hic obseruanda ueniunt. Alterum, Satanam, cuius operatione malefici priora miracula aediderunt, potentem quidem spiritum esse, si conuiueat Dominus, at si Dominus potentiae eius restiterit, nihil est ipso impotentius. Vide enim, quod hoc loco, ne potestatem quidem habeat in pediculum, bestiolam minutissimam. Et in Euangelio, ne potestatem quidem habet in pilum capitis. Time igitur Dominum, & nunquam timebis Satanam. Alterum: Etsi impij interdum aedunt miracula, Dominus tamen semper solet euentum facere, ut electi, si animaduernerint, imposturam Satanae perspicue intelligere queant. Supra, malefici Pharaonis mutauerunt uirgas suas in serpentes, quemadmodum Mose, sed uirga Mosi deuorauit uirgas maleficorum. Hoc autem loco, conantur quidem educere pediculos e puluere, sed non possunt. Haec ideo a Domino ordinata fuerunt, ut prius Israelitae potuerint discernere inter uera & inter falsa miracula, quo per uera miracula in fide uerbi Dei conseruarentur.

ET DIXERVNT MALEFICI AD PHARAONEM, DIGITVS DEI HIC EST.)

De sententia huius loci, grammatici certant. Alij interpretantur, maleficos

maleficos his uerbis deprauare & calumniari miraculum Mosi in pediculis editum, ut sit sensus. Hęc plaga non accidit in Aegypto propter Israelitas, ut dimittantur, sed accidit potentia Deorū, ex constellatione quadam cœli. Hęc sententia, si uera est, indicat induratos impios semper querere excusationes, ne credant uerbo Dei, & hoc esse impiorum ingenium, ut manifesta miracula Dei calumnientur, quo habeant honestum incredulitatis suæ pretextum. Vnde & in Euangelio Pharisei dicunt Christum eijcere demonia in Beelzebub. Alij interpretantur, hęc uerba: Digitus Dei hic est, ingenuam esse confessionē maleficorū, q̄ miracula Mosi sint uera & diuina miracula. Hęc sententia probabilior est priori, & significat maiestatem diuinæ potentie, q̄ extorqueat ueritatis testimonium etiam ab aduersarijs & inuitis. Idē exemplum habes in Balaam, Nume. xxiiij. Quid ergo ad hęc Pharaonum quia sacerdotes eius perhibent testimonium ueritati miraculorū Mosi, respiscit, & Israelem dimittit? Nihil minus, Mox enim addit: Induratum est cor Pharaonis, et non audiuit eos, sicut locutus erat Dominus. Quam ergo nunc habet Pharaon excusationem suę incredulitatis, cum audiat etiam suos sacerdotes, quos antea Mosi obiecerat, uerbo Dei per Mosen predicato honorem deferre? Quam, rogas? an nō potes eam coniectura adsequi, de moribus horū impiorū, qui his nostris temporibus Euangelio resistunt? Hi enim cum admonentur de fide Euangelio adhibenda, statim respondent. Quid, cui credam? uideo eos, qui iactant Euangelion, de scriptura gloriari, sed idem faciūt & nostri ueteres sacrificuli. Video etiam eos, qui dicunt se Euangelion predicare inter seipsos dissentire. Alius hanc, alius aliā sententiam de sacramēto cœnę Dominicę tuetur. Nunc autē cum hi, qui hactenus de sacramēto cœnę Dñicę dissenserunt, ad cōcordiam aspirent, quid faciunt impij? En, inquit, uniuersi simul nebulones sunt, & ut ueteres sacrificuli, ita & noui illi nos seducunt. Quod si Dominus etiam hoc beneficium ecclesię conferret, ut publicum Concilium cum Euangelio de uera fidei iustificatione cōsentiret, indurati tamen impij semper inuenirent, quod incredulitati suę pretererent. Sic etiā habent se res Pharaonis. Hic primum obuertebat impietati suę miracula suorum sacerdotum. Nunc autem cum sacerdotes ipsius perhibent testimonium ueritati, quid aliud pretererent, quam quod omnes solent impij, uidelicet, tam Mosē, quam suos sacerdotes, tam ueteres quam nouos sacrificulos, omnes in uniuersum esse nebulones? Nō igitur hoc queramus, ut satisfaciamus induratis impijs, quibus nec Christus ipse unquam satisfecit, sed ut confirmemus nos in fide, & ambulemus in uocatione Dei, relictis obduratis impijs eius iudicio, qui iudicatus est orbem terrarum in iustitia & æquitate.

Veritatem etiam aduersarij confitentur.

Impiorum pretextus.

Impij indurati iudicio Dei relinquendi.

ECCE EGO MITTAM IN TE ET IN SER-
VOS TVOS, ET IN POPVLVM TVVM ET
IN DOMOS TVAS AROB.)

Arob quidē Quartum supplicium est ארוב Arob. Significat autē ארוב commil-
cere. Vnde Hebræi interpretes sentiunt ארוב hoc loco significare mi-
xturam ex uarijs noxijs & uenenatis bestijs, ut sunt leones, lupi, urfi,

Cynomyia. pardi, serpentes, & scorpiones. Grecus interpretatus est *κυνόμυια*, qd
ad uerbum significat caninam muscam, non q̄ hoc nomine unum ali-
quod insecti genus intelligat, sed q̄ hoc uocabulo exprimat impudē-
tiam & furorem, quo hæc noxiarum bestiarum colluuiēs Aegyptios
infestauit. Canis enim impudens est. Musca uero, audax & temeraria.
Hinc nomen deducitur *κυνόμυια*, significans talium bestiarum collu-
uiem, quæ cæco ferantur impetu ad quæuis obuia deuaſtanda & per-
denda. Hoc autem supplicio Dominus plane idem sibi uult, quod su-
prioribus supplicijs. Primū enim, Pharaō & Aegyptij inuitantur ite-
rum ad resipiscentiam & obedientiam uerbi Dei, ut dimittant Israe-
lem, Deinde consecratur hoc miraculo noxia & uenenata animalia in
publicum supplicium urbium & regionum, & in organon Dei, quo
peccatores ducantur ad agnitionem peccatorum & resipiscant. Postre-
mo in hoc miraculo singulare quiddam commemoratur, uidelicet, q̄
Arob, hoc est, multitudo noxiarum et uenenatorum animalium inua-
serit quidem & corruperit totam Aegyptum, sed reliquerit intactā,
eam Aegypti partem, in qua Israelitę habitabant, quæ dicta est terra
Gosen. Quo magno & stupendo miraculo reuelatur et confirmatur,
quis sit uerus Deus, & quod sit uerum uerbum Dei. In hoc enim oēs
gentes conueniunt, q̄ sit Deus. De ipsis hominibus, inquit Cicero,

*Cice. de legi.
lib. 1. & in li.
1. Tusculana
rum quæst.*

*Deum cogno-
uerunt etiam
gentes.*

nulla gens est neq̄ tam immanſueta, neq̄ tam fera, quæ non, etiamſi
ignoret, qualem habere Deum deceat, tamen habendum ſciat. Et ali-
q̄s: Nemo omnium (inquit) tam immanis est, cuius mentem non im-
buerit deorum opinio. Paulus etiam ad Romanos ſcribens, de genti-
bus ait: Quod de Deo cognoſci poteſt, manifeſtum eſt in illis. Deus
enim patefecit illis. Et quomodo patefecerit, addit: Quæ ſunt inuiſibi-
lia illius ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur, peruiden-
tur, ipſaq̄ æterna eius potentia ac diuinitas &c. Quanq̄ autē hoc huma-
næ rationi naturaliter inſitum & cognitum ſit, q̄ ſit Deus, hoc tamen
opus, hic labor eſt cognoſcere, quis ſit uerus Deus. Et ex hac ignoran-
tia ortæ ſunt tot & tam diuerſę religiones, ut alios deos coluerint Æ-
gyptij, alios Greci, alios Romani, qui etſi praua de Deo ſenſerunt, &
mutauerunt gloriam immortalis Dei per imaginem, ut Paulus dicit,
non ſolum ad mortalis hominis ſimilitudinem effictam, ſed etiam uo-
latilium & quadrupedum & reptilium, ſignificauerunt tamen diui-
nis culti-

nis cultibus suis, naturali lege cognitum esse, quod sit Deus, humane autem rationi ignotum, quis sit Deus uerus. Miraculo igitur Cynomyiarum, quo manifestissimum discrimen factum est, inter Israelitas & Aegyptios, publice declaratum est, non Deos Aegyptiorum, sed Deum patriarcharum Abraam, Isaac & Iacob, eum uidelicet Deum, quem Moyses predicat, esse solum uerum Deum. Et hunc istius miraculi usum, etiam ipse Moyses perspicue explicat, cum ait: Faciam mirabile in die illa, in terra Gosen, in qua populus meus est, ut non sit ibi Arob, ut scias, quoniam ego Dominus in medio terre, ponamque redemptionem inter populum meum & populum tuum. Sed cur, inquires, Deus non apparuit manifeste in coelesti sua maiestate, ut impijs nullum patuisset effugium, quin necesse habuissent credere, adeoque ipsis oculis uidere & manibus palpare, Deum patriarcharum esse solum uerum Deum? Respondedo. Hec manifesta & uisibilis diuinae maiestatis reuelatio pertinet ad nouissimum huius seculi diem. Non est autem, nec Deo uisum, nec huic mundo commodum, ut nouissimus dies ueniat ante legitimum suum tempus. Quare non reuelat sese uerus Deus aperta maiestate in hoc seculo ante nouissimum diem, sed reuelat sese interea temporis, quantum ad salutem satis est, miraculis, quibus uerbum de ipso predicatum confirmat. Nam, ut mundus in iudicio Dei (coram hominibus enim impietas satis loquax suae ipsius excusatrix est) plane inexcusabilis sit, reuelauit sese uerus Deus publicis semper miraculis, in precipuis ac potentissimis huius terrae monarchiis. Quod autem in precipuis & supereminis huius terrae principatibus reuelatum erat, hoc facile diuulgatum est ad alia minora regna, & obscuriores gentes, ut non necesse haberet Deus unicuique oppidulo aut pago noua miracula ostentare. Quo tempore Moyses uixit, regnum Aegypti fuit in toto orbe terrarum longe omnium clarissimum & potentissimum. In hoc igitur regno reuelauit sese uerus Deus his stupendis miraculis, quae hic in Exodo commemorantur, Excitauit (inquit de Pharaone) te, ut ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra. Et postea: Glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius, & in curribus et equitibus illius. Et scient Aegyptii, quia ego sum Dominus. Post hoc regnum exortae sunt Monarchiae, quas propheta Daniel commemorat. Et in unaquaque harum uerus Deus tantis miraculis sese reuelauit, ut qui uoluerunt esse pii, satis occasionum habuerint ad cognoscendum uerum Deum, & ad consequendam ueram salutem, impij autem plane sint inexcusabiles. Sed ostendemus paucis, quomodo Deus reuelauerit sese in his monarchiis. Post regnum igitur Aegyptiacum, prima monarchia fuit Babylonica. In hac Deus maximum addidit miraculum, quod tres adolescentes Iudaeos, qui nolebant statuam Regis adorare, conseruauit in

Dies nouissimus deputatus ad manifestam reuelationem diuinae maiestatis.

Aegyptiorum regnum olim potentissimum.

Monarchiae in quibus reuelata est praedicatio uerbi Dei.

Babylonica Monarchia.

igne illesos, & ostenderit cum ipsis in igne quarto similem filio Dei. Quo miraculo rex Nebucadnezar ita motus est, ut & publice confessus sit Deum horum adolescentum, esse uerum Deum, & publico edicto uetuerit in toto regno suo, ne quis hunc Deum blasphemia afficiat, et publicis literis miracula eius predicauerit, quemadmodum in Daniele cap. iij. scriptum est. Sed et idem Deus coniecit Nebucadnezarem regem Babyloniorum in insaniam, septem annis, et postea restituit ipsum sanitati, iuxta interpretationem Danielis. Hoc miraculo Deus ita sese reuelauit, ut rex ipse maiestatem eius publice predicauerit. De qua re

Persica Monarchia.

extat totum quartum cap. in Daniele. Secunda Monarchia est Persica: In hac Deus miraculo reuelatus est regi Cyro, qui et hoc ipsum publicis literis confessus est. Sic enim apud Esdras cap. i. scribitur: Suscitauit Dominus spiritum Cyri regis Persarum, & traduxit uocem in OMNI REGNO suo, etiam per scripturam dicens: Hec dicit Cyrus rex Persarum, Omnia regna terre dedit mihi Dominus Deus caeli, & ipse precepit mihi, ut edificarem ei domum in Hierusalem &c. Est & miraculum in Daniele editum, qui cum proiceretur in lacum leonum, saluus euasit. Quo miraculo maiestas ueri Dei ita reuelata est, ut rex Persarum, Darius, publico edicto hunc Deum colendum mandauerit. Sic enim in Daniele ca. vi. scriptum est: Darius rex scripsit uniuersis populis, tribubus & linguis habitantibus in uniuersa terra. Pax uobis multiplicetur. A me constitutum est decretum, ut in uniuerso imperio et regno meo contremiscant & paueant Deum Danielis. Ipse est enim Deus uiuens, & aeternus in secula. &c. Tertia monarchia est Alexandri Magni. Hic cum hostili animo ad deuastandam Hierusalem festinaret, & obuium haberet summum pontificem sacerdotalibus uestibus ornatum, ita repente animum suum mutauit, ut & pontificem honoraret, & confiteretur

Alexandri Magni monarchia.

Iose. li. ii. ca. s. de antiquitatibus. Romana monarchia.

Deum caeli apparuisse sibi tali uestitu ornatum, ac uictoriam promississe, & religionem illius ueri Dei publice confirmaret, quemadmodum scribit Iosephus. Quarta Monarchia est Graecorum & Romanorum. In hac Apostoli post Christum, maiestatem ueri Dei, & filij eius Iesu Christi, miraculis ita illustrarunt, ut nullus pene angulus fuerit in toto orbe terrarum, ad quem nomen eius non peruenerit. Cum igitur uerus Deus, creator caeli & terrae qui apparuit Patriarchis, qui eduxit filios Israel ex Aegypto, & qui misit filium suum Iesum Christum in hunc mundum, redemptionem nostram, tot semper miraculis nomen suum in orbe terrarum reuelauerit & confirmauerit, manifestum est, impios quorumcunque seculorum, in iudicio Dei prorsus inexcusabiles esse, pios autem tanto firmiter debere in hunc uerum Deum credere, & tanto diligentius uocationem eius sequi, quanto certius nomen eius in toto orbe terrarum, quouis semper seculo reuelatum & confirmatum est.

VOCauitque

VOCAVITQUE PHARAO MOSEN ET AHERONEM AIT ILLIS, ITE ET SACRIFICATE.)

Pharao magnitudine supplicij coactus, permittit quidem Israelitis, ut sacrificent, sed addit: In terra uidelicet Aegypti, non in deserto. Hoc autem non est uerbo Dei obedire, sed uerbum Dei pro sua libidine mutare, quod ab inobedientia nihil differt. Et est Pharao imago eorum magistratuum, qui hoc tempore, timore seditionum aut aliorum malorum permittunt quidem, ut Euangelion de Iesu Christo praedicetur, sed ita, ut aut nihil mutetur in caerimonijs ecclesiasticis, quantumuis impijs, aut uerba Euangelij explicentur tantum iuxta doctores scholasticos & monasticos. Quid ergo? num Mose hanc Pharaonis permissionem agnoscit? Minime omnium. Non potest, inquit, ita fieri. Et addit duas causas. Prior est. Immolabimus Domino Deo nostro abominationes Aegyptiorum, hoc est, immolabimus ea, quae si uiderint Aegyptij a nobis mactari, ita nos abominabuntur, ut etiam lapidibus nos obruant. Aegyptus enim fuit semper superstitionisissima, & coluit uaria animalia pro dijs. Ac uniuersi quidem Aegyptij, ut autor est Strabo, coluerunt ex terrestribus, bouem, canem, felim, ex uolatilibus accipitrem atq; ibim, ex aquatilibus, lepidotum piscem, & oxyrinchum. Priuatim autem, alius coluit ouem, alius lupum, alius Cynocephalum, alius aquilam, alius leonem, alius capram & hircum, alius murem, alius aliud. Si ergo (inquit Mose) mactaremus coram Aegyptijs bouem, ouem aut hircum, quos ipsi pro dijs colunt, lapidibus nos obruerent, tantum abest, ut aequo animo nostra sacrificia ferrent. Posterior causa est: Sacrificabimus Domino Deo nostro, sicut locutus est nobis. Praecepit nobis Deus, ut sacrificemus ipsi in deserto, non in Aegypto. Necessse autem habemus uerbo Domini obedire. Non licet nobis quicquam uerbo Domini addere, nec auferre, nec mutare. Non est nobis a uerbo Domini declinandum, neq; ad dextram neq; ad sinistram. Proinde, nisi concesseris nobis abitum ad desertum, non auferetur Arob. Exemplum est, quo ministri uerbi Dei admonentur, qd etsi debent ferre infirmitates hominum, in uita, non tamen debent ferre mutationem uerbi Dei, in doctrina. Vita hominum multis peccatis obnoxia est, nec potest in hoc seculo tam sancta esse, quam lex Dei requirit. Doctrina autem uerbi Dei debet esse sanctissima & purissima, ut impuritas uitae semper firmum exemplar habeat, ad quod se referat, & ex quo synceram puritatem petat.

DIXITQUE PHARAO: EGO DIMITTAM VOS.)

Cum magnitudo supplicij Arob subinde grauius inamineret, affirmat tandem Pharao se concessurum abitum in desertum, si modo auferatur Arob. Quid adhuc Mose? num quia aliquoties delusus fuit a

*Aegyptiorum
superstitiosis-
sima impie-
tas.*

*Ecclesie mi-
nistri exter-
na confessione
sunt contenti.*

Pharaone, recusat pro ipso orare? Nequaquam. Etsi enim ex multis argumentis suspicabatur regem ficta loqui, & mox reuocaturum sententiam, sicut antea fecerat, nihilominus tamen patitur sibi satisfieri externa confessione Regis, & offert officium suum regi. Primum quidem pollicetur se oraturum pro salute Regis & Aegyptiorum, id quod etiam statim re ipsa praestat. Deinde admonet Regem, ut uere ex animo resipiscat. Noli, inquit, ultra fallere, ut non dimittas populum sacrificare Domino, q. d. Ego quidem tanquam minister Dei contentus sum externa tua confessione. Non enim meum est de occultis cordium iudicare, sed uide tu, ut quod uerbis affirmas, serio sentias, & opere ipso compleas. Si enim aliud corde caelaueris, quam ore confitearis, non me, sed Dominum Deum nostrum decipies, qui tanta potentia praeditus est, ut etiamsi nunc ad tuam confessionem & meam deprecationem auferat supplicium, tamen, si non ex animo resipueris, immittere possit uobis longe maiora et grauiora supplicia. Primum igitur, hac Mosi paranesi, admonentur omnes peccatores, ut si non uelint subinde grauioribus supplicijs obijci, uere & ex animo resipiscant. Etsi enim effugiunt externum supplicium uel publicum, uel priuatum, & imponunt ministris ecclesiae ficta sua confessione, non tamen imponent Deo, nec effugient iudicium Dei. Deinde hoc Mosi exemplo admonentur etiam ministri Ecclesie, ut peccatores affirmantes se poenitentiam acturos, non temere a sacramentis arceant, etiamsi optime sciant ipsos saepenumero in peccata relapsos, & ex multis coniecturis suspicari queant, non acturos ueram poenitentiam. Minister enim ecclesiae, non est *καρδιορρύσνης*, nec est iudex alienae & occultae conscientiae, sed ut externa ipse administrat, ita etiam externa hominum confessione contentus esse debet. Etsi enim ministro molestissimum est, sacramenta porrigere huic, qui saepenumero fictam poenitentiam professus est, minister tamen non est melior Christo Domino suo, qui nec Iudam, apparentem adhuc coram Apostolis iustum, & excusantem sese una cum Apostolis de prodicione, a sacramento coenae suae reiecit, nec melior est Deo patre nostro coelesti, qui sinit solem suum oriri super bonos & malos. Loquor autem de his non temere arceendis a sacramentis, qui profitentur se poenitentiam acturos, etiamsi hoc ficte profiteantur, hoc enim nihil ad ministrum ecclesiae, quantum quidem ad hoc negotium attinet. Non loquor de his qui in peccatis suis ita manent, ut nec etiam profiteantur se poenitentiam acturos. De his enim Paulus dicit: Cum eiusmodi ne cibum quidem capiat. Et Christus: Ne detis (inquit) quod sanctum est canibus, ne proieceritis margaritas uestras ante porcos.

CAPVT IX.

ECCE MANVS DOMINI ERIT SVPER AGROS TVOS.)

Pharao sæpe quidem hactenus promisit se dimissurum Israel, sed idem etiam sæpe nunc fefellit. Quid igitur Mose? Alius quispiam concitasset fortassis populum suum ad trucidandum regem toties perfidum, aut publicis saltem maledictis tam uarium & mutabilem regem proscidisset. Mose autem uir longe omnium pijsimus, etsi sæpe numero delusus est a Pharaone, non tamen mouet seditionem populi sui aduersus Regem, non proscindit ipsum conuictis, nec immittit ei supplicia suo arbitrio, sed relinquit ultionem Domino Deo suo, & expectat uocationem Dei. Memorabile exemplum, quo docemur, quid nobis agendum sit erga eos qui fidem nobis datam uiolant, & promissa non seruant. Vulgaris enim hominum morbus est, quod fidem uiolantibus, etiam ipsi fidem uiolent, ac existiment sibi licere aduersus peccantes peccare. Sed Deus uocat nos non ad exempla peccantium, ut peccata ipsorum imitemur, sed ad uerbum suum, & iubet bona pro malis rependere, ac solam Dei uocationem expectare & sectari.

FECIT ERGO DñS VERBUM HOC ALTERA DIE.)

Quintum supplicium, pestis iumentorum in agris. Cõsecratur autem hoc loco, sicuti supplicia, quæ supra commemorata sunt, pestis iumentorum in publicum supplicium publicorum scelerum, quæ in urbibus & regionibus designari solent. Et confirmatur postea uerbis legis. In Deut. enim dicitur: Si non audieris uocem Domini Dei tui, maledicta erunt armenta bouum tuorum, & greges ouium tuarum. Est & hoc supplicium in nostris regionibus, ac nostris etiam temporibus uulgare. Quid ergo: num agnoscimus ex ipso peccata nostra et resipiscimus? Minime omnium, sed solemus transferre causam in pascua, & iactamus ea esse uel ab incantatricibus, uel a fortuito quodam rore infecta. Ac fieri quidem potest, ut iumenta pereant ex infectis pascuis, sed hoc pauci perpendunt, quam ob causam Deus permittat, ut pascua inficiantur, & iumenta pereant. Nam si recte iudicauerimus, peccata, peccata, inquam, nostra sunt, quibus & pascua inficiuntur, & iumenta pereunt. Quare, si hoc supplicium nobis ob oculos ponatur, non inuehamur diris deuocionibus in incantatrices, sed potius in peccata nostra, ut ipsa agnoscentes resipiscamus. Incantatrices autem magistratui iuxta suas leges puniendas commendemus.

*iumentorum
pestis, publicum
supplicium.*

DE ANIMALIBVS VERO FILIORVM ISRAEL NI
HIL OMNINO PERIIT.)*Pij à suppli-
cijs liberi.*

Iterum facit Deus admirabile discrimen inter Israelitas & Aegyptios, ut publico miraculo testetur, Primum, quod is sit uerus Deus, quem maiores Israelitarum coluerunt, & cuius uerbum Mose Israelitis praedicat. Deinde, quod populus Dei liber sit a supplicibus impiorum. Quid ergo est, quod etiam ista supplicia grassentur alias in populum Dei? & si cursum huius seculi obseruemus, foeliciores, & ab istis supplicibus liberiores sunt impij in hoc seculo, quam pii. Quid adhuc dicemus? Manifestum est, filios huius seculi, ut prudentiores, ita & foeliciores esse filijs lucis. Sed publica Dei ordinatio ita constituta est, ut soli pii debeant esse foelices, & a supplicibus liberi, impij autem infoelices & supplicibus obnoxij. Quare si haec diuina ordinatio inuertitur, in hoc seculo, uel inuertitur propterea, quod etiam hi, qui uocantur populus Dei, sectentur impietatem, uel inuertitur, ut pii contineantur in officio Dei per infoelicitatem huius seculi, et admoneantur de futuro seculo, in quo haec ordinatio Dei ita firmabitur, ut pii perpetuo foelices, impij autem perpetuo infoelices sint.

ET MISIT PHARAO AD VIDENDVM.)

*Verbi Dei
contemptus.*

Pharao, nec manifesto supplicio, nec manifesto miraculo, quo discrimen factum est inter Aegyptios & Israelitas, uerum Deum agnoscit, & ad poenitentiam inuitatur. Quam ergo dicemus tanti stuporis & indurationis causam? Num Dominum Deum nostrum? Absit. Deus enim non est autor peccati. Num sacrificulos & philosophos Aegyptiorum? Hi quidem non nihil adiuuerunt stuporem Regis, attamen si ipsi praecipui fuissent autores indurationis, certe impulissent antea regem ad poenitentiam, cum ingenue fatebantur, miraculum pediculorum esse digitum Dei. Relinquitur ergo ipsum solum regem praecipuam fuisse culpam suae indurationis. Ad hanc autem tam stupidam & pertinacem indurationem maxime omnium peruenit, ex contemptu uerbi Dei, quod per Mosen praedicabatur. Contemptus enim uerbi Dei, tantum malum est, ut non solum secum afferat omnia scelerum genera, uerum etiam hominem ita excecet, ut nec supplicibus, nec miraculis conuertatur ad resipiscentiam. Vnde apud Esaiam ad contemptores uerbi Dei dicitur: Audite audientes & nolite intelligere, & uidete uisionem & nolite cognoscere. Exceca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne forte uideant oculis suis. Et Ioannes de Phariseis contemnentibus Euangelion Christi ait: Cum Iesus tam multa signa fecisset coram eis, non credebant in eum. Maxima igitur cura nobis adhibenda est, ne contemnamus uerbum Dei, ne & una cum Pharaone & omnibus impijs, tam horribiliter induremur.

TOLLite

TOLLITE PLENAS MANVS CINERIS.)

Sextum supplicium. Ulcera & apostemata in hominibus et iumentis. Est & hoc supplicium consecratum hoc loco, in publicum publicorum scelerum supplicium. Et confirmat illud Mose in Deuteronomio dicens: Si nolueris audire uocem Domini Dei tui, percutiet te Dominus ulcere Aegypti, & infirmitate ani, scabie & prurigine, ita ut sanari non possis. Huic supplicio simile est scabies illa Gallica, quæ superioribus annis Germaniam inuasit. Item pestes, quæ sæpenumero apud nos grassantur. Quæ supplicia in hoc immittuntur nobis, non ut his expiemus peccata, sed ut admoneamur ad agnoscenda peccata, & ad resipiscentiam a peccatis, per fidem in Christum.

ALIOQVI HAC VICE MITTAM OMNES PLAGAS MEAS.)

Haftenus afflixit Dominus Pharaonem & Aegyptum sex supplicijs, & addet adhuc quatuor supplicia, priusq; Pharaon cum exercitu suo totus pereat. Dices igitur. Quid opus erat tot minoribus supplicijs, ad admonendum Pharaonem, ut dimitteret Israelitas? cur non statim ab initio horribili quodam supplicio ita oppressus, ac una cum populo suo deletus est, ut patuerit Israelitis liber egressus ex Aegypto, quando Dominus optime nouerat Pharaonem non acturum penitentiam, & non dimissurum sua sponte Israelitas? Ad hanc cogitationem seu obiectionem respondet nunc Dominus, & ostendit manifestam causam, propter quam impios aliquandiu toleret, ac non statim omnino perdat. Dicit enim: Dimitte populum meum, & seruiat mihi, alioquin hac uice mittam omnes plagas meas &c. hoc est, Nisi dimittas populum meum, non cessabo alterum post alterum supplicium tibi immittere, donec tu & tota Aegyptus pereant. Ac possem quidem hoc ipso momento extendere manum meam, & tam saeuam penitentiam in te ac populum tuum immittere, ut statim omnes de terra periret, sed ideo העמרתך excitauit, conseruauit, constitui incolumem te haftenus, ut ostendam in te fortitudinem meam, & multiplicem signa & ostenta mea in terra Aegypti, & narretur nomen meum in omni terra. Habes hic perspicuam causam, propter quam Deus tam diu tolerauerit impium & obduratum Pharaonem, uidelicet, ut, quia Pharaon omnino impius esse uoluerit, Dominus Deus noster, illustret in ipso nomen suum, nimirum, quod sit Deus potens, qui uno uerbo possit totam regionem affligere, quod sit Deus industrius, qui sciat resistere tam potenti rege, & uiribus eius adhuc firmis permanentibus, populum suum liberare, quod sit Deus seuerus, qui ne Regi quidem, & clarissimis populis peccantibus parcat, quod sit etiam Deus misericors, qui populum tam clementer defendat, ut propter ipsum, potentissimos

Ulcera & apostemata, publicum supplicium.

Impios tolerat Deus, quare?

monarchas affligat. De qua re supra quoque diximus. Ex his uides etiam causam, propter quam Deus toleret alios quoque impios, ut non solum per se impie agant, sed etiam pios opprimant. Tolerat enim eos, ut comparet sibi in ipsis nomen potentiae & industrie. Posset enim Deus uno uerbulo omnes impios perdere, ne uel pilum quidem capitis piorum lederent, sed maioris est potentiae & industrie, seruare salutem piorum, in media ipsa impiorum persecutione, & in media etiam morte, qua impij afficiunt pios, quam ad unum omnes impios e medio tollere, & precauere ne prius persecutionem & mortem patiantur. Ac erit quidem tempus, quo Deus abolebit omnem persecutionem et mortem, sed in hoc maxima declarat industria Dei, quod permittat impios foeliciter in populum Dei grassari, interim tamen seruet populum suum ad perpetuam salutem incolumem. Nam si maior gloria fuit Alexandro Magno, dominari uicto quidem, sed tamen adhuc regnanti Dario, quam ipsum & regnum eius penitus delere. Et si Iulius Caesar, in maiori maiestate esse deputauit, Catone aduersario, uiuo potiri, quam suo ipsum gladio iugulatum habere, multo certe amplior maiestas est Domino Deo nostro, quod non impijs tantum incolumibus, sed ipsi etiam Satanae adhuc furenti dominetur, & pios suos seruet. Commemorat & Paulus aliam causam, propter quam Deus impios toleret. An diuitias (inquit) bonitatis Dei & lenitatis eius contemnis, ignorans quod bonitas Dei, inuitet te ad poenitentiam? Tolerantur igitur impij, ut habeant spacium poenitentiae. In Euangelio quoque Matthaei alia recensetur causa. Dicit enim Christus: Non eradicetis zizania, ne dum colligitis zizania, eradicetis simul cum illis & triticum. Quare sinite pariter utraque crescere usque ad messem &c. hoc est, tolerantur impij, ne una cum ipsis etiam prius affligantur & pereant. Ex hoc igitur loco, primum docet nos Paulus ad Romanos capite ix: Vt agnoscamus salutem nostram non esse neque uolentis neque currentis hominis, sed miserentis Dei. Dicit enim (inquit Paulus) scriptura Pharaoni: In hoc excitauit te, ut ostendam in te potentiam meam, & ut annuncietur nomen meum in tota terra. Itaque cui uult miseretur, quem autem uult indurat. Ergo ne pereunt impij, nullo suo merito, sed tantum ita uolente Deo? Nihil minus. Impij pereunt magno suo merito, propterea quod sint in peccatis concepti & nati, ac designarunt postea atrocissima quaeque scelera aduersus uerbum Dei. Prius autem nullo suo merito, sed tantum mera clementia Dei seruantur. Cur ergo non conuertuntur & seruantur etiam impij eadem clementia Dei? Hic cum Paulo exclamandum est: O profunditatem diuitiarum & sapientiae & cognitionis Dei, quam inscrutabilia sunt iudicia Dei, & imperuestigabiles uiae eius. Et in Euangelio dicit Dominus mercenarijs: Amice, non facio tibi iniuriam. Tolle quod tuum est, & abi. An non li-

Impij suo merito pereunt.

non licet mihi facere quod uolo in rebus meis? An oculus tuus malus est, quod ego bonus sim? Timeamus igitur Dominum Deum nostrum, & non gloriemur de nostris uirtutibus, nec exostulemus cum Deo, cur non impios etiam conuertat & seruet, sed potius agamus ipsi gratias, quod nobis reuelauerit Iesum Christum filium suum, propter quem solum habemus salutem & uitam eternam. Deinde discamus ex hoc loco patientiam in tolerandis impijs & sceleratis hominibus. Ac necesse quidem habet unusquisque in puniendis malis suam uocationem sectari, ut magistratus in castigandis sceleratis, gladio, ecclesiastes, in arguendis impijs, uerbo Domini, paterfamilias, in castiganda familia, correptione & uirga, & si que sunt alie huiuscemodi uocationes, quibus legitime demandatum est officium castigandi scelera, sed si quis sua uocatione diligenter defungatur, & impij tamen non corrigantur, quid faciat? num insaniat? num seipsum ex arbore suspendat? num alienam uocationem impudenter et illegitime inuadat? Minime omnium. Sed commendet istud quicquid est negotij Domino Deo nostro, & agat interim quod est sui officij. Oret pro malis, Benefaciat inimicis. Toleret impios. Nemo enim melior & prudentior est Domino deo nostro, & is tamen sinit solem suum oriri, super malos ac bonos, & pluiam mittit super iustos & iniustos. Si autem Dominus fauet impijs, non solem tantum, sed etiam uitam ipsam & felicitatem huius seculi, quis ego sum, qui coner hæc ab impijs illegitime auferre? Deus habet multa genera suppliciorum. Quare si impij non possunt legitime corrigi, relinquendi sunt iudicio Dei, qui habet causas suas, propter quas toleret eos, & habet definita sua tempora, quibus ipsos horrendis supplicijs affecturus est.

*Patientiam
tolerandis malis
discenda.*

ADHVC RETINES POPVLVM MEVM.)

Septimum supplicium, Grando. De quo supplicio idem sentientium est, quod de superioribus diximus, uidelicet, quod hoc supplicio manifestet gloria nominis Dei, & quod Aegyptij admoneantur ad poenitentiam, & quod grando consecretur in publicum supplicium regionum, ut inuitet peccatores ad resipiscentiam. Grando enim non est extremum Dei supplicium, ueluti gladius carnificis, sed est tantum uirga paterna, qua inobedientes ad poenitentiam uocantur. Sic enim dicit Dominus in Aggaeo cap. ij. Percussi uos uento urente, & aurugine & grandine, omnia opera manuum uestarum, & non fuit in uobis, qui reuerteretur ad me. Quibus uerbis perspicue significatur, grandinem esse organon, quo Deus uocat peccatores ad poenitentiam. Vnde & scriptura sæpe hoc supplicium inculcat, Psal. lxxv. & ciiij. Quamquam enim grandines generentur naturalibus causis, tamen quia & hæc causarum Deus creator & administrator est, quem

*Grando, publicum
supplicium.*

admodum habet Psalm. cxlvij. grandines pro supplicijs Dei agnoscentes sunt. Cum igitur uideamus grandinem in regione nostra, reuocemus nobis in memoriam, ea peccata, propter quæ Aegyptus grandine afflicta est, & sentiamus, quia idem supplicium patimur, eadem etiam peccata inter nos grassari. Est autem Aegyptus afflicta grandine, præcipue propter contemptum uerbi Dei per Mosen prædicati, & propter inobedientiam. Agnoscamus ergo ex grandine nostram inobedientiam, ut resipiscamus. Cæterum in hoc supplicio maxime omnium obseruandum est, quod Deus iterum distinguit inter Aegyptios & Israelitas. Etsi enim grando tantæ fuit magnitudinis, quanta antea nunquam apparuit in Aegypto, & percussit in tota terra Aegypti cuncta quæ fuerunt in agris, ab homine usque ad iumentum, cunctamque herbam agri, in terra tamen Gosen, ubi filij Israel habitabant, nulla prorsus fuit grando. Quo manifeste declaratur, non Israelem natura sua iustiores esse Aegyptijs, omnes enim peccauerunt siue Aegyptij, siue Israelitæ, quemadmodum supra indicauimus, sed declaratur eum Deum, quem Israelitarum patriarchæ coluerunt, quem Mose prædicabat, & qui Israelitas ex Aegypto per uerbum Mosi uocabat, solum uerum & uiuum Deum, in secula benedictum esse, Feci, inquit Dominus apud Ezechielem, propter nomen meum, ut non uolaretur coram gentibus, in quarum medio erant, & inter quas apparui eis, ut educerem eos de terra Aegypti. Sed interim, nec Pharaonis confessio surda aure transeunda est. Dicit enim Pharaos: Peccaui etiam nunc, Dominus iustus, & ego & populus meus impij. Orate Dominum ut desinant tonitrua Dei & grando, & dimittam uos, ut nequaquam hic ultra maneat. Quid hac confessione magis pium uideatur? quis hanc confessionem iuxta sonum uerborum non egregie diuinam iudicaret? Sed si rerum exitum uideas, hæc confessio mera fuit hypocrisis, & profecta est non ex fide, sed ex grauitate supplicij. Quare cessante supplicio, cessat & confessio. Additur enim: Pharaos uidens quod cessasset grando & tonitrua, auxit peccatum, & ingratum est cor eius, & seruorum eius. Obseruabis igitur, non quamuis confessionem oris, uere piam esse, sed duplicem esse confessionem. Alteram ex fide, & hæc constat, etiam si accedant aut abeant supplicia, seu aduersitates. Alteram ex magnitudine doloris. Et hæc abit, abeuntibus aduersitatibus. Quid ergo? num quia afflictorum confessio potest esse hypocritica & mendax, minister Ecclesiæ non agnoscat eam? Imo agnoscat, idque exemplo Mosi, qui etsi sciebat Pharaonem fallere. Dixit enim: Noui quod & tu & serui tui, necdum timeatis Dominum Deum, nihilominus tamen agnoscit confessionem Pharaonis, & orat Dominum, ut desinant tonitrua & grando.

Confessio simulata Pharaonis.

CAPVT X.

INGREDERE AD PHARAONEM, EGO ENIM
INDURAVI COR EIVS.)

In principio huius capituli, explicatur industria Dei, qua Deus pef- *industriæ di-*
sima Pharaonis impietate, optime ad illustrandam gloriam nominis *uinæ exem-*
sui usus sit. Dicitur autem Deus, quemadmodum etiam supra ostendi *plum.*
mus, cor Pharaonis indurasse, non quod Deus coegerit Pharaonem pec- *Induratio*
care, nec quod culpa indurationis transferenda sit in Deum, qui nec uult *Pharaonis*
nec operatur iniquitatem, sed quod Deus obtulerit Pharaoni uerbum & *quomodo fit.*
prodigia sua, per Moysen & Aheronem, ex quibus Pharaon natura impi- *ita sunt.*
us, et spiritu sancto destitutus, subinde magis ac magis in corde suo in-
duratus est. Tantæ igitur industriæ Deus est, ut hac impia induratio-
ne, ad illustrandum nomen suum utatur. Hac enim occasione multa e-
dit miracula in terra Aegypti. In quæ usum? Ut narres, inquit, in au-
ribus filij tui & nepotum tuorum, quid egerim in Aegypto, & signa
mea quæ posui inter eos, ut sciatis quia ego sum Dominus. Eadem ha-
bes in Psalmo lxxvij. Quanta (inquit) mandauit patribus nostris no-
ta facere ea filiis suis, ut cognoscat generatio altera. Filij qui nascuntur
& exurgent, & narrabunt filiis, ut ponant in Deo spem suam, & non
obliuiscantur operum Dei, & mandata eius exquirant: Habes ergo hoc
loco, primum, exemplum industriæ diuinæ, quo admonemur ad fidem,
& constantiam eius in omnibus aduersis. Et si enim aduersa tam peri-
culosa sunt, ut uideantur nobis totam adeoque certam internitionem mi-
nari, Deus tamen tam industrius est, ut possit certum exitium uertere
in nostram foelicitatem. Si enim, ut Paulus ait, ibi magis exuberat gra-
tia Dei, ubi exuberat peccatum, quanto plus exuberabit ibi industria
Dei, ubi exuberat afflictio. Deinde habes hoc loco uerum et legitimum
usum omnium miraculorum & prodigiorum Dei, quæ in scriptura siue *Miraculorum*
ueteris siue noui testamenti commemorantur. Hæc enim omnia ædita *uerus usus.*
sunt, non ut commendetur humana iustitia, potentia, sanctitas, aut sa-
pientia, sed ut reueletur uerus Deus, ut commendetur nomen & glo-
ria ueri Dei, ut confirmetur uerbum Dei. Ad hæc non sunt ædita, ut
faciamus ex ipsis carmina & cerimonias, propter quas mereamur ex
opere operato remissionem peccatorum & uitam eternam, sed ædita &
scripta sunt, ut ipsa audiamus, legamus, explicemus, decantemus, ac
posteris nostris narremus, quo commemoratione ipsorum discamus
uerum Deum cognoscere, uerbo Dei credere, Deum timere, et uerbo
eius obedire. Ut ponant, inquit Psalmus, in Deo spem suam, & non
obliuiscantur operum Dei, & mandata eius exquirant.

DIXERVNT AVTEM SERVI PHARAONIS, VE-
QVE QVO PATIEMVR.)

*Impoenitētia
indurata na-
tura.*

Non Mose tantum minis suis, uerum etiam serui, hoc est senatores & consiliarij Pharaonis suadent, hortantur, & urgent Pharaonem, ut dimittat Israel. Quid autem impetrant a Pharaone? Impetrant quidem ut Pharaon affirmet se dimissurum uiros, sed cum Mose responderet, Deum uelle, ut non tantum uiri, sed etiam paruuli, seniores, oves & armenta dimitterentur, protinus comminiscitur excusationem, qua uideatur Israel iuste retinere. Cui, inquit, dubium est, qd pessime cogitatis? Hic uide, in conuertenda et emollienda indurata impietate Pharaonis operam & oleū, quod dicitur, perdita esse. Non mouetur ad resipiscentiam & ueram obedientiā Dei, nec uerbo Dei, nec minis Dei, nec supplicijs Dei, nec consilio & admonitione suorū seruorum, aut consiliariorū. Hoc ergo exemplo primum admoneamur, qd oīa officia & ministeria nostra per sese, sine cooperatione spiritus sancti, & incremento Dei, prorsus inutilia & inefficacia sint, ad conuertendum uel unum impium, aut ad qualecunq; bonum perficiendum. Quare si aliquid boni per nostra officia & ministeria fiat, non est nostrę industrię aut labori, sed diuine clementię adscribendum. Deinde admoneamur etiam, ut etsi euentus non respondet nostro labori & ministerio, non tamen cessemus ab officio nostro. Induretur sane Pharaon subinde magis ac magis, & sordescat adhuc, num ideo & nos sorderemus, & uocationem Dei derelinqueremus?

DIXIT AVTEM DOMINVS AD MOSEN, EXTEN-
DE MANVM TVAM.)

*Locusta pu-
blicum suppli-
cium.*

Octauum supplicium, אַרְבֵּה, quod interpretantur Locustam, & deducunt à אר quod est multum, propterea quod maximus sit earum prouentus. Dicamus & de hoc supplicio, quod de superioribus, uide licet, quod Deus non solum manifestauerit & illustrauerit hoc locustarum supplicio nomen suum in terra Aegypti, sed etiam consecrauerit locustas in publicum & generale supplicium regionum, quo deus reuelat iram suam, & inobedientiam hominum, ut a peccatis resipiscant. Vnde & in Deuteronomio xxviij. dicitur: Si nolueris audire uocem Domini Dei tui, sementem multam iacies in terram, & modicum congregabis, quia locustę deuorabunt omnia. Hęc pestis tantum exitium infert regionibus, si multiplicetur, ut & ab Ethnicis dicatur, DEORVM IRA. Sunt qui scribant locustarum infestatione, oppida derelicta. In Cyrenaica regione, autore Plinio, lex est teranno debellandi eas, primo oua obterendo, deinde foetum, postremo adultas. Desertoris poena, in eum qui cessauerit. Et in Lemno insula certa mensura prefinita est, quam singuli effecatarum ad magistratus referant.

*Plinius libro
22. cap. 29.*

referant. Necari & in Syria militari imperio coguntur. Anno dñi 844. tempore Imperatoris Lotharij tanta multitudo locustarum uenit in Galliam, ut contexerint terram, ueluti nix, ac deuastauerint omnes fruges ac herbas. Idem factum est Anno domini 1347. in Italia. Narrat etiam superiori anno 1542. maximam multitudinem locustarum uenisse à Polonia in uicinas regiões. Quod autē alijs regionibus sunt locustę, hoc nobis solēt esse bruci, eruce, & id genus alię herbę et frugū pestes. Proinde, cum singulis fere annis hoc malum in agris nostris uagetur, agnoscamus peccata nostra, & resipiscamus &c.

SINT TENEBRÆ SVPER TERRAM AEGYPTI.)

Nonū supplicium, Tenebrę, quę tribus diebus in Ægypto tā den- Tenebrę pū-
blicum sup-
plicium.
se, tāq; horribiles fuerunt, ut nullus Ægyptiorū potuerit his diebus alterum uidere, aut cum altero negotiari. Et ut superiora, ita & hoc supplicium immissum est Ægyptijs, ut uerum Deū agnoscerent, uerbo eius Dei obedirent, resipiscerent, ac Israelitas dimitterent. Quamquam autem nusquam extet, quod postea externę tenebrę tanto tempore & tam horribiles in terra fuerint, hæ tamen tenebrę Ægyptiacę adumbrant hoc cęcitatıs supplicium, quod Mose minatur impijs & uerbo Dei inobedientibus, Deuteronomij capite uigesimo octauo. Percutiet, inquit, te Dominus amentia & cęcitate ac furore mentis, ut palpes in meridie, sicut palpare solet cęcus in tenebris, & non dirigas uias tuas. Hoc supplicio punitę fuerunt gentes Idololatrę, quę non homines tantum, sed etiam ligna & lapides pro dijs coluerunt. Quid est mentis cęcitas, si hæc cęcitas non est? Hoc supplicio puniuntur hypocritę inter Christianos, qui indumento cuculle & abstinentia carniū, pollicentur sibi expiationem peccatorū, & uitam æternam. Hoc supplicio puniuntur nunc etiam ludęi, qui cum regnum Messię tanto iam tempore in orbe terrarum prædicatum sit, adhuc tamen Messiam expectant, & interim fictitijs suis fabulis scelicitates nescio quas, sibi promittunt.

VBICVNQVE AVTEM HABITABANT FILII ISRAEL, LVX ERAT.)

Vt supra nec *ovines*, nec pestis, nec grando quicquam nocumentū intulerunt Israelitis, inter Ægyptios habitantibus, ita nunc carent tenebris, ac fruunt interim luce, dum Ægyptij maxis tenebris obscurantur. Ingens & stupendum miraculum, quo iterū manifeste comprobatur, qđ is sit uerus Deus, qui a Mose & Aherone inter Israelitas prædicatus est, & qđ hoc sit uerum uerū dei uerbum, qđ per Mosen Israelitę reuelatū est. Et significatur hoc loco uerā ibi lucem esse, ubi uerū uerbum dei predicatur, ibi autē meras & palpabiles esse tenebras, ubi uerbum dei contemnitur ac reijciunt. Lucerna pedibus meis, inqt Psalmus,

Verbū Dei
mera lux.

uerbum tuum. Et Petrus: Habemus, inquit, firmiorem sermonem propheticum, cui dum attenditis, ceu lucernæ apparenti in obscuro loco, recte facitis. Qui ergo uoluerit ambulare in luce, sectetur uerbū Domini, quod est potentia Dei ad salutem omni credenti.

Quid ergo supplicio tenebrarum inter Aegyptios, & miraculo lucis inter Israelitas, effectum est: num Pharaō & Aegypti resipuerunt? Horror tam stupendi spectaculi adegit quidem eos ad timorem, & extorsit ex ipsis speciem quandam externā resipiscentiæ. Vocauit enim Pharaō Mosen & Aheronem, & dixit eis: Ite & sacrificate Domino. Sed hæc non est uera nec perfecta resipiscentia, quæ ex fide proficiscatur. Addit enim: Oues tantum uestræ & armenta remaneant. Quare Mose non agnoscit hanc resipiscentiam. Nō remanebit, inquiens, ex eis, ne ungula quidem. Exemplum est, quo admonemur, non esse claudicandum in utranque partem, sed toto corde ad Dominum resipiscendum. Cum quæsieris, inquit, Dominum Deum tuum, inuenies eum, si tamen toto corde quæsieris.

Deute. 4.

RECEDE A ME, ET CAVE NE VLTRA VI
DEAS FACIEM.)

Reiicit Pharaō Mosen, & minatur ipsi mortem, si redeat. Quæret quispiam, qui factum sit, quod Pharaō tam diu hæctenus tolerauerit Mosen in Aegypto, & aut non expulerit eum ex Aegypto, aut non grassatus sit in ipsum ferro, præsertim cum habuerit ipsum pro seditioso, & uiderit ministerio eius tot mala Aegyptiis accidisse. Ad hoc respondet scriptura in capite sequenti, dicens: Fuit Mose uir magnus ualde in terra Aegypti coram seruis Pharaonis & omni populo. Nam Mose ambulauit in uocatione Dei diligenter & fideliter. Vocatus enim erat diuinitus, ut æderet miracula in Aegypto, & educeret Israelitas ex Aegypto. Qui autem ambulat in uocatione Dei, eum facit Deus aduersarijs & hostibus suis tam terribilem, ut uix contra mutire audeant. Sic terror Dei inuasit oēs per circuitum ciuitates, quando Iacob profectus est in Luzan, quia ambulabat in uocatione Dei, Gene. xxxv. Sic immisit Dominus terrorem & formidinem in populos qui habitabant sub omni coelo, quando Israelite proficiscebantur ad terram Canaan, quia ambulabant in uocatione Dei, Deute. ij. Sic Deus terribilem faciebat Ioannem Herodi, quia Ioannes ambulabat in uocatione Dei, Matth. xiiij. Sic terribilis erat Christus Phariseis & Pontificibus, ut non ausi fuerint manus in ipsum ante legitimum suum tempus iniicere, ambulabat enim in uocatione Dei. Nonne (inquiens) duodecim sunt horæ diei: Si quis ambulauerit in die, non offendit, quia lucē huius mūdi uidet. Cum igitur Mose ambulauerit in uocatione dei in Aegypto, etsi habebat Pharaonē infensissimū hostē,

Mose auctoritas in Aegypto.

Vocatio Dei securitatem affert.

tam ter

tam terribilis tamen factus est Pharaoni, a Domino Deo nostro, ut nequaquam ausus fuerit ferro in ipsum grassari, ne uidelicet trucidando Mosen, concitaret seditionem inter seruos & populum suum, coram quibus Mose maxima autoritate praeditus erat. Itaque si & tu uolueris aduersarijs tuis terribilis fieri, ambula in uocatione Dei, diligenter & fideliter. Sic enim ne capillus quidem capitis ante legitimum suum tempus, ab aduersarijs tuis moueri poterit.

RESPONDIT MOSE, ITA FIET UT LOCUTVS ES: NON VIDEBO AMPLIVS.)

Reijcitur Mose a Pharaone, & recedit Mose. Quid autem post se relinquit Pharaoni? Vide mihi quid Pharaon reijciat, & quid Pharaoni paulo post acciderit, & tum perspicies, quantum malorum Mose post se Pharaoni reliquerit. Nam supra dictum est, quod Dominus constituerit Mosen in Deum Pharaonis. Et Mose praedicauit Pharaoni uerbum Dei. Quare cum Pharaon reiecerit Mosen, quid aliud reiecit, quam Deum suum, & uerbum Dei? Vbi autem reijcitur Deus & uerbum eius, ibi succedit Satan & omnia infelicitatis genera. Mose igitur reiectus a Pharaone, relinquit post se Pharaoni Satanam & omnes maledictiones. Et haec reliquiae statim sese ostendant. Nam Pharaoni mox primogenitus filius ab angelo exterminatore occiditur, & ipse una cum exercitu suo aquis in mari rubro obruitur, ut necesse nunc habeat perpetuam ferre damnationem. Haec sunt reliquiae, quae post reiectum Mosen Pharaoni remanserunt. De huiusmodi reliquijs, quas ministri Dei abiecti, post se contemptoribus uerbi Dei relinquunt, concionatur etiam Christus dicens: Quicumque non exceperit uos, neque audierit sermones uestros, exeuntes ex edibus aut ciuitate illa, excutite puluerem pedum uestrorum. Amen dico uobis, tolerabilius erit terrae Sodomorum aut Gomorrhorum in die iudicij, quam ciuitati illi.

CAPVT XI.

ET DIXIT DOMINVS AD MOSEN ADHVC VNA PLAGA TANGAM PHARAONEM.)

In hoc capite describitur comminatio decimi supplicij, quod est, occiso primogenitorum. Et cum in fine superioris capitis describitur paucissimis disidium Pharaonis ac Mosi, & discessus Mosi a Pharaone, nunc in hoc undecimo capite pluribus per figuram ^{ἕστου πρότερον} explicatur, quid inter Pharaonem & Mosen actum sit, priusquam Mose a Pharaone recederet. Ac primum, reuelat Deus Mosi supplicium occisionis primogenitorum, & pollicetur se hoc supplicio adacturum Pharaonem, ut non solum dimittat Israellem uerum etiam

compellat exire ex Aegypto. Repetit etiam hanc promissionem, quæ supra capite tertio dicta est, uidelicet, quod Israelite exituri sint ex Aegypto, non pauperes, sed diuites, id est spolijs Aegyptiacis. Ex his discamus & timorem Dei & fidem in Deum. Cum enim Pharaos hactenus nullo nec uerbo nec supplicio moueri potuerit, ut sua sponte uoluntati diuine obsequeretur, nunc tandem horribili supplicio cogitur etiamnum, ut necesse habeat, uel nolens Israellem dimittere, adeoque ad exeundum compellere. Post hæc (inquit) dimittet uos, dimissione absoluta, expellendo expellet uos. Sic enim habent Hebræa. Admoneamur igitur hoc exemplo, ut uoluntati Dei per uerbum Dei reuelatæ, prompto animo obsequamur, & salutem habeamus, ne si resistamus diuinæ uoluntati, cogamur nihilominus uel tandem obsequi, sed maximo nostro exitio. Dominus enim Zebaoth, inquit Esaias, decreuit, & quis poterit infirmare? Et manus eius extenta, & quis auertet eam? Et in Iob: Quis restitit ei & pacem habuit? Decretum Dei erat, ut Ioseph exaltaretur supra fratres suos. Huic decreto resistebant fratres, & uendebant Iosephum, sed quod non uolebant permittere uolentes, hoc coacti sunt permittere nolentes. Voluntas Dei erat, ut Dauid regnaret post Saulem in Israel. Huic uoluntati diuine resistebat Saul quomodo poterat. Sed cum noluerit obsequi uoluntati Dei uolens, & cum sua ipsius salute, coactus est obsequi nolens, & cum maxia sua ipsius internitione. Voluntas Dei erat, ut Iesus filius Mariæ esset Messias, ac haberet maiestatem Messiae. Huic diuinæ uoluntati Pharisei & pontifices ita resistebant, ut etiam Iesum in crucem adigerent: Nihilominus tamen uoluntas Dei promouit, & Iesus exaltatus est in maiestatem Messiae, quem cum pontifices noluerint uolentes in suam ipsorum salutem agnoscere, necesse habent nunc ipsum agnoscere nolentes in suam ipsorum perniciem. Quare cum uoluntas Dei, per uerbum Dei, reuelata fuerit, hoc unum age, ut obsequaris uolens, & habebis salutem, ne si restiteris, cogaris uel tandem nolens, in tuum ipsius exitium obsequi. Quod autem Deus promittit se educturum Israelitas ex Aegypto, diuites spolijs Aegyptiorum, exemplum est, quo confirmatur fides in aduersis. Sicut enim Aegyptij necesse habent Israelitas, quos oppresserant, ditare, ita Deus sanctificat omnia aduersa, his qui credunt in ipsum, ut adiumento sint in bonum, & sint potius benedictiones quam maledictiones. Deinde, quod reuelatum est Mosi de occisione primogenitorum, hoc Mose magna seueritate coram rege Pharaone concionatur. Hæc dicit (inquiens) Dominus: Media nocte ingrediar in Aegyptum, & morietur omne primogenitum &c. Et addit scriptura in fine: Exiit a Pharaone iratus nimis. Hæc uerba si conferas ad ea, quæ supra dixit Pharaos: Recede a me, & tace ne ultra uideas faciem meam,

meam, satis perspicue indicant, magnam contentionem inter Mosen & Pharaonem, priusq̃ a se inuicem digrederentur, fuisse. Mose em̃ toties a Pharaone delusus, non amplius supplicem agit, sed seueritate legato Dei aduersus obstinatos impios dignissimam coram Rege expedit. Descendent, inquit, omnes serui tui isti ad me, et adorabunt me dicentes: Egredere tu, & omnis populus qui subiectus est tibi, post hæc egrediemur, hoc est, Quia uideo te Regem in impietate tua prorsus obstinatum esse, ac omnino nolle diuine uoluntati obsequi, ideo adnuncio iam tibi, quod Deus ipse, uelis, nolis, te coacturus sit, ut iuxta uoluntatem eius Israellem dimittas. Imo, serui tui rogabunt me supplices, ut educam Israellem, & egrediemur honorati, liberi, et diuites, etiam si rumparis. Tam humiles & desperatos reddet uos Aegyptios Dominus Deus noster. Atq̃ hæc quidem Mose aduersus regem. Cōtra autem Rex minabatur etiam Mosi crudelissimū mortis genus. Dixit enim: Recede a me, & caue ne ultra uideas faciem meam. Quocumque enim die apparueris mihi, morieris. Quid tu fugitiue nebulosus audes ne tu tanto Regi in faciem resistere, & supplicia, nescio quæ, tam impudenter et præfracte minari? Apage te hinc cum tua insana temeritate. Nam ubicumq̃ te deprehendero, nullo non suppliciorum genere te excruciatum necidabo. Atq̃ hæc quidem Pharaon. Dixerit autem aliquis: Qui fit, q̃ Rex ad tam impotentem iracundiam per Mosen cōcitus, non mox trucidauerit, non ipsum Mosen tantum, sed etiam totum populum Israel? De hac re in precedenti capite diximus, & scriptura in hoc capite perspicue explicat dicēs: Dedit Dominus gratiam populo coram Aegyptijs. Et fuit etiam Mose uir magnus ualde in terra Aegypti coram seruis Pharaonis & omni populo. Hæc uerba uidentur quidem præcipue significare causam, propter quam Aegyptij faciles fuerint ad accommodanda Israelitis uasa argentea & aurea, uidelicet, quod Dominus dederit gratiam Israelitis coram Aegyptijs, tum propter admiranda miracula, quibus Israelitæ ab Aegyptijs discernebantur, tum propter ipsum Mosen, per quem tanta miracula ædebantur, attamen explicant etiam haud obscure causam, propter quam Pharaon non fuerit ausus ferrum distringere uel in Israelitas uel in Mosen. Cum enim & Mose & Israelitæ gratiosissimi essent apud oēs Aegyptios, timuit Pharaon, ne si quicq̃ mali inferret Mosi & Israelitis, concitaret inter Aegyptios seditionem, exponeret se ipsum extremo periculo. En, tam terribiles facit Deus illos, qui ambulat in diuina uocatione, de qua re supra diximus. Sed iterum dixerit quispiam, unde factum est, quod Mose potuerit in tanta regis pertinacia, & toties a Rege delusus, liberationem Israelis sperare, & in urgenda dimissione perseverare? Ad hoc respondet etiam ipsa

scriptura in fine huius capituli, qui est epilogus omnium eorum, que de supplicijs supra commemorata sunt. Sic enim scribitur: Dixerat autem Dominus ad Moysen: Non audiet uos Pharaon, ut multa signa fiant in terra Aegypti &c. hoc est, Moyses constitit in uocatione Dei, ex promissione eius. Prædictum enim erat diuinitus, quod Pharaon non dimissurus esset Israelitas, nisi horribili supplicio coactus. In hoc igitur uerbum Dei Moyses intuens, non solum certo sperauit liberationem Israelis, uerum etiam restitit Pharaoni in faciem. Sic & omnibus qui pie uolunt in Christo uiuere, prædictæ sunt afflictiones, idque propter hanc causam, ne afflictiones auocent a sectanda pietate, sed potius admoneant ipsos, ut in uocatione Dei perseuerent. Sic enim re ipsa experiuntur uaticinium de afflictionibus uerum esse, comperient etiam, si perseuerauerint, id uerum esse, quod prædictum est, de perpetua salute, & uentura felicitate,

CAPVT XII.

MENSIS ISTE VOBIS PRINCIPIVM MENSIVM PRIMVS ERIT.)

*Libertatis
Israelitarum
initium.*

*Exodicap. 13
Mensis Ni
san.*

*Annicompu
tatio apud
Hebraeos.*

Quod felix faustumque sit, in hoc duodecimo capite, Israelite, antea Aegyptiorum serui, in libertatem uindicantur, & publicis legibus, in proprium reip. corpus redigi, ac formari incipiunt. Nam cum hactenus multis annis in Aegypto uixerint, & Aegyptijs seruierint, necesse habuerunt etiam publicis Aegyptiorum legibus parere, & alienis ordinationibus obedire. Nunc autem, cum libertas in propinquo est, incipit Dominus Rempub. Israelis per Moysen publicis legibus & ordinationibus constituere, ut in hoc populo non solum publica pax, honestas & tranquillitas, uerum etiam legitimus dei cultus, uera Dei religio, & promissiones patribus de benedicto semine Abrahæ seu de Messia dictæ, conseruarentur. Ac primum omnium describitur annus in menses, & mensium primus ordinatur is, in quo Israelite ex Aegypto egressi sunt. Vocatur autem in mensis ניסן, quem scriptura uocat Abib, & cadit circa uernum æquinoctium, ac respondet partim nostro Martio partim Aprili. Sic et ueteres Latini inceperunt annum suum a Martio. Hinc sunt nomina illa, September, October, Nouember, December, quod sint septimus, octauus, nonus & decimus mensis a Martio. Sed est hic obseruandum, quod Hebræi duplicem anni computationem habeant. Alteram a principio mensis ניסן qui est circa æquinoctium autumnale, & respondet plerumque nostro Septembri. Sed & scriptura hunc mensem, Septimum uocat, uidelicet a mense Ni

mense Nisan. Et ab hoc mense incipiunt Hebrei numerare annos Sab-
 bati & Iubilæi, ac omnium cōtractuum, qui se ad hos annos referunt.
 Iussit enim Dominus per Mosen, Leuiti. xxv. annum Iubilæi a mense
 septimo numerare. Clanges (inquiens) buccina, mense septimo deci-
 ma die mensis propitiationis tempore, in uniuersa terra tua. Sanctifi-
 cabiscq; annum quinquagesimum &c. Alteram computationem an-
 ni habent a principio mensis נִסָּן Nisan, qui aliqua ex parte Martio
 nostro respondet. Hunc primum anni mensem constituit Mose, pro-
 pterea quod in ipso liberati sunt Israelitæ ex Aegypto. Et ab hoc men-
 se numerantur festa anni, & reliqua quæ ad festorum rationem perti-
 nent. Habent & alias annorum computationes, sed quæ ad hunc locū
 nihil pertinent. Est autem ordinatio mensium anni in Rep. necessa-
 ria. Nam cum Respub. non possit esse in religione, sine certis festis,
 in politeia sine certis contractibus, in agricultura, sine certa tempore
 obseruatione, necessarium est, ut annus in certa tempora describatur,
 quo homines cognoscant, quid quouis tempore agendum sit. Præte-
 rea cum scriptura approbet computatiōem annorum, et distribuatur an-
 nos in menses, qui conficiuntur ex motu solis & lunæ, manifeste eti-
 am approbat eam scientiam, qua traduntur motus corporum cœlesti-
 um. Deinde instituitur festum Paschæ. Et quia in constituenda Rep.
 Israelis, primum omnium institutum est diuinitus festum Paschæ, qd
 ad religionem pertinet, perspicue significatur, in ordinanda Repub.
 maximam omnium rationem ueræ religionis habendam esse. Pascha
 autem, quo nomine hoc festum uocatur, Hebræum uocabulum est, &
 significat saltum seu transcendum. פָּסַח enim significat transilire, aut
 transcendere. Ac scriptura ipsa paulopost explicat, quare istud festum
 hoc nomine uocetur. Nam percutiam (inquit) omne primogenitum
 in terra Aegypti ab homine usq; ad iumentum, & erit sanguis ille uo-
 bis in signum, in domibus, in quibus nos fueritis, & uidens sangui-
 nem illum פָּסַחְתִּי, hoc est, præteribo seu transiliam uos, nec erit in
 uobis plaga interitus. Et mox: Transibit Dominus, ut percutiat Aegy-
 ptios, & ubi uiderit sanguinem in superliminari atq; in duobus posti-
 bus פָּסַח, hoc est, transiliet Dominus ultra ianuam illam, & non per-
 mittet disperditorem uenire ad domos uestras. Et iterum: Cum dixe-
 rint ad uos filij uestri, quis est hic cultus uester? dicetis: Est oblatio
 Domini, qui פָּסַח, hoc est, transcendit domos filiorum Israel in
 Aegypto, cum percuteret Aegyptios &c. Habes rationem nois Pa-
 scha. Videamus nunc cultū & cærimonias huius festi. Decima die, in-
 quit, mēsis huius tollat unusquisq; agnū per familiā & domū suā &c.

Quid in Pascha accipiendum?

אֶזְרָא uel אֶזְרָא, hoc est, agnus, uel hœdus.

IN CAPVT XII. EXODI

Quot agni accipiendi?

Vnusquisque paterfamilias accipiat sibi agnū pro sua familia. Quod si minor fuerit familia domus, ut sufficiat ad esum agni, assumat vicinum suum, qui propinquior est, & quantum satis est ad esum agni.

Vnde agnus accipiendus?

De grege ouium & caprarum. Nam ubi uulgata translatio habet: Iuxta quem ritum tolletis & hœdum, ibi tam Hebræus quam Græcus habet. Accipietis eum de agnis & capris.

Quo tempore accipiendus, & quanto tempore seruandus?

Decima die primi mensis, qui uocatur Nisan, & seruandus usque ad decimum quartum diem eiusdem mensis.

Qualis agnus esse debet?

Absque macula, masculus, anniculus.

Quid agendum cum agno?

Maclandus est ad uesperam decimi quarti diei, ab unoquoque paterfamilias suus agnus,

Quid faciendum cum sanguine agni?

Excipiendus est sanguis in peluim, & falciculo hyssopi spargendus est in utroque postem, & in superliminare ianue domus in qua quisque paterfamilias suo agno uescitur.

Quid cum carne & reliquis agni partibus agendum?

Caro, caput, pedes & intestina agni, comedenda sunt, non autem semicruda, aut aquis elixa, sed assa igni. Nec quicquam remanendum usque mane. Si quid residuum fuerit, igni comburendum.

Quid de reliquijs ossium agendum.

Ossa agni non confrangantur, sed comburantur igni.

Quid cum agno edendum?

Panes azymi, & lactuce agrestes, seu herbe amare.

Qui de agno edere debent,

Vnusquisque paterfamilias Israelita debet, agnum edere cum sua familia, uidelicet, coniuge, liberis, seruis emptitijs circumcisis, aduenis, & peregrinis, si modo circumcisi fuerint. Nullus autem incircumcissus uescatur ex agno.

Vbi edere debent:

In una domo comedatur, non quod omnes agni in una tantum domo edendi sint, sed quod unusquisque paterfamilias edat agnū suū integrè in domo sua, nec diuidat unus agnus in duas domos. Nec efferat quicquam de carnibus agni foras, nec egrediat quisquam ostiū domus sue usque ad mane.

Quo ritu, quo habitu edere debent?

Renes uestros accingetis, & calciamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinanter.

Quot an

Quot annis festum Paschæ celebrandum?

Singulis annis, quamdiu constiterit Respub. Israelis. Habebitis, inquit, hunc diem in monumentum, & celebrabitis eum pro festo Domini, in generationibus uestris cultu sempiterno.

Quanto tempore celebrandum?

Septem diebus.

Quo temporis discrimine celebrandum?

Dies prima erit sancta, similiter & septima, nihil operis facietis in eis, exceptis his, quæ ad uescendum pertinent &c.

Quales panes his septem diebus edendi?

Panes azymi. Primo (inquit) mense, quartadecima die mensis ad uesperam, comedetis azyma usque ad diem uicesimam primam eiusdem mensis ad uesperam, ut septem diebus fermentatum non inueniatur in domibus uestris &c.

Hæc oia, etsi uidentur contemptoribus Dei partim uana, partim ridicula, tamen quia Dominus Deus noster longe oim sapientissimus, instituit ista in Rep. Israelitica, & mandauit uerbo suo, ac comprobauit ea maximo miraculo, quo occisis primogenitis Aegyptiorum, percipit Israelitis, magna animi religioe suspicienda & ueneranda sunt. Ac primū de Mose dicendum est, quem merito oēs admirari debent. Is em, etsi audiuerat Pharaonem seueriter affirmasse, quod ipsum sit trucidaturus, quocumque die redierit, & non sit dimissurus Israelem, ac nondum uiderat quicquam externi argumenti, quo conijceret liberationem Israelitarum ex Aegypto in propinquo esse, magna tamen animi constantia & alacritate festum Paschæ & asperisionem sanguinis agni ita instituit perinde ac si iam extrinsecus ob oculos haberet propositam occisionem primogenitorum Aegyptiacorum, & liberationem Israelitarum. Quid ergo illud est, quod Mosen tam alacrem, tam constantem in instituendo festo Paschæ reddidit? De hac re ad Hebræos ita scribitur: Per fidem Mose fecit Pascha, & effusionem sanguinis, ne is qui perimebat primogenita tangeret ipsos. PER FIDEM, inquit. Quam fidem? eam nimirum, quam habebat in promissionem Dei. Dixit enim Deus: Erit sanguis uobis in signum in edibus in quibus eritis, & uidebo sanguinem ac transiliam uos, nec erit in uobis plaga disperdens, quando percussero terram Aegypti. Et iterum: Eadem ipsa die ducam exercitum uestrum de terra Aegypti &c. Has promissiones Dei, Mose per fidem accepit. Quæ fides tanta certitudine firmauit animum eius, ut Pasha & effusionem sanguinis agni non aliter institueret, quam si eo ipso tempore eademque hora liberatus, cum Israelitis ex Aegypto egrederetur.

Deinde singula in ritibus & ceremonijs Paschæ, suam habent rationem & significationem. Perstringemus autem nunc ea tantum, quæ

sunt precipua in ceremonijs Pasche, que & ipsa scriptura explicat. Na que sunt minutiora, ea reliquis adiecta sunt, *et ratiō gratia*, quorū etiā rationem & significationem unusquisq; pro dono sui spiritus facile intelligere potest. Assumitur ergo ad Pasha agnus seu hœdus sine macula, masculus & anniculus. Hęc singula habent suam tam ceremonig, q̄ sacramenti rationem. Quod enim ad externam ceremoniam at tinet, sacrificio & esui conueniebat talis agnus, qualem scriptura proponit. Sacramentum autem est, q̄ agnus adumbravit Christum, qui ut est totus sine macula, quia peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, ita iuxta carnem uisus est tenerrimus, q̄ fuerit omnibus afflictionibus obnoxius. Sic em̄ interpretatur agnū Ioannes Baptista: Ecce, inquit, agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Et Paulus: Pascha nostrum immolatus est Christus. Sed & ipse Christus significauit se per agnum paschalem adumbratum, dum tempore huius festi pro nobis occidi, & sanguinem suum offerri uoluit.

Agnus paschalis Christi adumbrat.

Quod autem agnus de grege, ex propinquo accipitur, suam habet cærimoniam rationem, uidelicet, ut Israelitæ admoneantur, ne existiment sibi ad seruiendum Deo peregrinis mercibus opus esse. Habet & sacramentalem rationem, quia Christus per agnum adumbratus, assumpsit naturam, non de ordine angelorum, sed de ordine hominum, inter quos uixit, Heb. ij. Non angelos assumpsit, sed semen Abraæ. Vnde debuit per omnia fratribus similis reddi.

Christus hominē non angelum assumpsit.

Porro seruetur agnus à decima die, usque ad decimam quartam diem, ut interea temporis probaretur, num aptus esset sacrificio. Significat autem Christum non statim post natiuitatem cruci affigendum, sed aliquanto tempore publicam Euangelij functionem administraturum, id quod & re ipsa impletum est. Immolatur agnus ad uesperam, quia noctu egrediendum erat ex Aegypto. Et Christus uenit in uespera, hoc est, in plenitudine temporis, & in nouissimis diebus: i. Corinth. x. & Galat. iij.

Sanguis aspersus postibus Israelitarum.

Si minor numerus unius familiæ fuit, q̄ ut sufficiat ad esum agni, uocatur uicinus, quia unus agnus non debuit diuidi in duas domos, nec quicquam de agno usq; ad mane reseruandum erat. Et hæc est cærimonie ratio. Sacramenti autem ratio est, q̄ Christus etsi non diuiditur in diuersas religiones, congregat tamen Iudæos & gentes, circumcisos & incircumcisos in unam sanctam ecclesiam.

Sanguis autem agni aspergebatur postibus & superliminari, ut Israelitæ a percussore primogenitorū tuti essent. Transibit (inquit Mo se) Dominus, percutiens Aegyptios. Cumq; uiderit sanguinem in superliminari, & in utroq; poste, transibit ostium domos, & non sinet percussorem ingredi domos uestras, & lædere. Quid autē, inquit, hoc?

hoc tantæ uirtutis est sanguis agni, ut possit percussorem à domo auertere. Hic mihi duo cōsideres. Alterum, sanguinem agni. Alter, uerbū & ordinationem Dei. Ac si sanguinem quidem per se cōsideres, nulla est tanta uirtus in agni sanguine, quæ possit uel bonum spiritum inuitare, uel malum abstergere. Si autem consideres uerbum & ordinationem Dei, qua Deus iussit sanguinem postibus aspergere, & ordinauit ut percussor sanguine a domibus Israelitarum arceretur, tunc demum tanta uirtus erit sanguinis, quanta est uerbi Dei sanguinem comprehendentis. Nam si uerbū Dei efficax est sine organo corporali, quō non etiam efficax esset cum organo corporali. Plura huic similia miracula scriptura aliās commemorat. Aeneus serpens uerbo Domini in deserto exaltatus sanat aspicientes, non quia serpens tantum, sed quia ad serpentem accessit uerbum & ordinatio Dei. Christus restituit cæco uisum, per lutum factum ex sputo, nō quod malagma ex luto factum tantæ fuerit uirtutis per se, sed quia Christus addidit uerbum suum, & ordinauit lutum ad restituendum uisum cæco. Sunt & id genus multa alia miracula, quæ nunc non est recensendi locus. Habes rationem cærimoniam sanguinis agni. Nunc audiamus etiam significationem eius. Sanguis enim agni, adumbrat sanguinem Christi pro peccatis nostris effusum. Nam quemadmodum sanguis agni aspersus postibus Israelitarum abegit percussorem, & conseruauit primogenita Israelitarum, ita sanguis Christi aspersus in cordibus hominum arcet ab ipsis Satanam, purificat consciētiam, pacificat consciētiam cum Deo, expurgat peccata, & affert perpetuam salutē, Aspergitur autē in corda hyssopo, hoc est, Euangelio, per fidem. Qui em̄ (inquit) crediderit in me, habebit uitam eternam. Et qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, hoc est, qui in me credit, quod tradiderim corpus meum, & effuderim sanguinem meum ad expianda peccata sua, habet uitam eternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die.

Serpens aeneus sanat aspicientes.

Sanguis agni, sanguis Christi.

Porro caro agni editur nec semicruda nec aqua cocta, sed assa igni, cum panibus & azymis & herbis amaris. Et hæc quidem conueniunt conuiujs, a quibus cito peregrinandum est. Significat autem credendum esse in Christum, non semicrudum aut aqua coctum, sed assumptum igni, hoc est, non est sentiendum de Christo, quod passus sit tantum pro peccato originali, & meritis tantum sit primam gratiam, hoc em̄ est Christum semicrudum esse, similiter non est sentiendum de Christo quod uenerit in hunc mundum, ut institueret regnum carnale, hoc enim est Christum aqua coctum seu mollitum esse, aut ut hoīes relinqueret in uetustate carnis, quemadmodum Paulus ait, & ut tū externe honestos faceret, sed quod uenerit, ut assaretur igni afflictionis, ut pateretur pro peccatis nostris, ut institueret tale regnū, in quō per crucem ingre-

deremur. Huc faciunt etiam herbae amarę. Significant enim esum agni, hoc est, fidem in Christum constare in hoc seculo non externa delectatione, sed cruce & afflictionibus. Per multas enim tribulationes oportet nos ingredi in regnum Dei. Quod autem nihil reseruandum sit usque ad mane, hoc est, alterum diem, admonet Israelitas ea nocte ex Aegypto egressuros. Significat autem in tempore credendum in Christum & resipiscendum in hoc seculo. Nec differendam esse fidem aut resipiscentiam, usque ad iudicium Dei, & in alterum seculum.

Sed quid sunt panes azymi? Nihil fere in obseruatione festi Pasche tam seueriter precipitur, quam illud de panibus azymis. Septem, inquit, diebus azyma comedetis, ut die primo cesset fermentum in domibus uestris. Et additur: Quicumque comederit fermentatum, a primo die usque in diem septimum, peribit anima illa de Israel. Et mox: Primo mense, quartadecima die mensis ad uesperam comedetis azyma usque ad diem uicesimum primum eiusdem mensis ad uesperam. Et iterum additur: Qui comederit fermentatum, peribit anima eius de coetu Israel, tam de aduenis quam de indigenis terrę: Idem postea sepe repetitur & inculcatur. Quid ergo est, quod Dominus tanta seueritate exigit esum panis azymi in festo Pasche? Panis ne fermentatus per se immundus est? at sic nec alijs diebus hoc uesci licuisset. Nonne quod in os ingreditur, non coinquinat hominem? De hoc igitur negotio ita sentiendum est, quod quantum quidem ad ipsos panes per se, siue fermentatos siue infermentatos attinet, nullus nec sanctificat nec coinquinat uescentem coram Deo. Sed si ad panem fermentatum accesserit uerbum Dei, prohibens eius panis esum, tunc propter uerbum Dei, peccatum erit uesci pane fermentato. Ac Deus, non magnopere quidem requirit per se esum huius uel alterius panis, sed requirit magnopere obseruationem uerbi sui. Quare cum uerbum Dei prohibuerit maxima seueritate esum panis fermentati in festo Pasche apud Israelitas, non minori cura obseruandum fuit publice in Rep. Israelitica, quam preceptum de homicidio aut furto. An non & esus pomi per se indifferens est? sed cum Deus uetuisset Adamo esum pomi, & is mandatum Dei uiolaret, intantum peccauit, ut una secum totum humanum genus in peccatum & perniciem coniecerit. Nam Deus, non magni quidem reputat, pomum, sed magni reputat, uerbum suum, quod esum pomi uetuit. Iam hoc preceptum, de panibus azymis, habet etiam suam rationem & significationem. Nam quantum quidem ad rationem externę ceremonię attinet, uoluit Dominus hac obseruatione posteris inculcari beneficium, quod Israelitis in Aegypto contigit. Cum enim Pharaon nullis prorsus nec minis nec supplicijs potuerit moueri, ut Israelitas liberos dimitteret, tandem tamen potenti manu Dei eo necessitatis adactus est, ut non solum dimiserit Israelitas, sed etiam coegerit eos exire Aegyptum.

Panis azymus cur mandatus, & quid significet.

Pomi esus letalis.

Aegyptum. Sic enim scriptura dicit. Urgebāt Aegyptij populum de terra exire uelociter. Et mox: Coxerunt pastam, quam de Aegypto tulerant, & fecerunt subcinericios panes azymos. Neq; eīm poterat fermentari, cogentibus exire Aegyptijs, nullāq; facere sinentibus morā. Hoc miraculum & beneficium Dei uoluit spiritus sanctus abstinentia panis fermētati Israelitis inculcare, quasi diceret. Liberauī uos ex Aegypto mirabiliter, & quanq̄ Pharaο tam durus fuerit, ut nullo pacto, nullis precibus, nullis comminationibus, nullis supplicijs persuaderi potuerit, quo uos dimitteret. Ego tamen hoīs pertinaciam tanta potentia confregi, ut non solum permiserit uos abire, sed etiā tam festināter abire coegerit, ut uobis non suffecerit tempus ad fermentandum panem, sed necesse habueritis cum pasta azyma discedere. In huius igitur rei monumentum uolo & precipio, ut septem diebus festi Pasche, non alios panes, q̄ azymos comedatis. Ac in conspectu quidem meo, per se parum alioqui refert, panes uel fermentatos uel azymos edere, sed multum refert beneficia mea probe tenere, & uerbum meū obseruare. Quare, qui his diebus ederit panem fermentatum, peribit anima eius de populo. Huc etiā respicit illud, quod Deu. xvi. scribitur. Septem diebus comedes absq; fermento panem afflictionis, quoniam in festinatione egressus es ex Aegypto &c. Habes rationem externe ceremonie in politeia Israelitica, audiamus nūc spiritualem eius significationem. Nam fermentum significat, primum, falsam et hypocriticam doctrinam impiorum doctorum. Sic enim interpretat Christus fermentū apud Matth. cap. xvi. Cauete, inquit, a fermento Phariseorū & Sadduceorū. Et addit mox Euangelista: Tunc intellexerunt, q̄ non iussisset cauere a fermento panis, sed a doctrina Phariseorum & Sadduceorum. Deinde fermentum significat impios & malos mores, quibus totus homo, imo tota hominum congregatio offenditur & inficitur. Cum igitur nunc reuelato Christo, uero agno paschali, perpetuum Pascha celebremus, eius azymorum panum admonet nos ut semper abstineamus a fermēto impię doctrine, & impure uite. Unde & Paulus ait: Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus. Itaq; festum celebremus, non in fermēto malitię & uersutię, sed in panibus fermento carentibus, hoc est, sinceritate & ueritate. Nec hoc otiosum est, q̄ Pascha septem diebus celebratur, uidelicet, ut tanto dierum spatio beneficia Dei probe inculcarentur. Septem autem dies significant totum huius seculi tempus, quo credendum est in Christum. Nam post hoc seculum abolebuntur prophetie, et cessabunt linguę, quemadmodum Paulus i. Cor. xiiij. ait. Iam quod dicitur, renes uestros accingetis &c. habitus peregrinantium est, & eorū qui urgent ad profectionem. Significat aut nos ita debere in Christum credere,

Fermentum
quid signifi
cet.

non ut sentiamus regnum Christi esse de hoc mundo, sed ut sentiamus nos non habere hic manentem ciuitatem, & semper parati expectemus aduentum Domini. Lu. xij. Sint lumbi uestri præcin&ti &c.

Ceterum, hoc festum Paschæ, mandatur Israelitis obseruandum, non solum ijs, qui ex Aegypto liberantur, uer& etiam oibus posteris ipsorum. Habebitis, inquit, hunc diem in monumentum, et celebrabitis eum pro festo Domini in generationibus uestris cultu sempiterno. Et postea: Cum introieritis terram quam Dominus Deus daturus est uobis, ut pollicitus est, obseruabitis hunc ritum. Et cum dixerint uobis filij uestri. Quis est iste ritus uester? Dicetis: Sacrificium passah Domini est &c. Quid igitur cause est, propter quam Deus hoc festum instituit: num, q̄ hic dies alijs sanctior sit? Sed oēs dies eadem sanctitate a Deo creati sunt, & Deus oibus diebus mirabilia agit, num q̄ ex ope, ut uocant, operato obscuracionis huius festi expientur pctā: at sic hypocrite abutuntur ordinationibus Dei. Institutum igitur est festum pasche, quem modum ipsa scriptura interpretatur, *לזכרון* *ἰν μνημόσυνον*, hoc est, in memoriale & monumentum eius beneficij qd contigit Israelitis in Aegypto, Sed quid ad hanc rem, inq̄es, opus erat festo, quando in præfatione Decalogi hoc beneficium satis inculcaba: Ego sum Dñs Deus tuus, qui te &c. Recte, sed quia hoies sunt natura ad res diuinas cognoscendas torpidiores, & ignauiores, ideo Dñs non uoluit beneficium suum, quod in Aegypto prestiterit Israelitis, uerbis tm̄ inculcare, sed insigniuit etiam illud certo festo, & certis cerimoniajs, ut tanto firmiter memorię imprimeretur, quanto illustrius proponeret. Voluit aut̄ hoc beneficium alta mente repositum esse, ut ex ipso tā ueritas & potentia, q̄ misericordia & clemētia eius agnosceretur ac sub inde renouaretur, quo hoies discerent ueram fidem in Deum, et timorem Dei. Respexit etiam spiritus sanctus in institutione Pasche, ad Iesum Christum, per quem e peccatis liberati sumus, uidelicet, ut cærimonia pasche sit qualiscunq; predicatio de Christo, q̄ ipse esset sanguinem suum pro liberatiōe nostri effusus. Recitamus & nos Christiani in symbolo, quod Apostolicum uocamus, præcipua capita de Iesu Christo Domino nostro, de natiuitate eius, de passione eius, de resurrectione, de ascensu eius in cælum, & de alijs, que et si semper nobis ob oculos posita esse debent, tamen quia natura segniores sumus ad curāda ea que sunt salutis nostre, bene consuluerūt maiores nostri non iuuentuti solum, sed etiam toti Ecclesie, quod certa festa ordinauerint in Ecclesia, quibus præcipui religionis nostre articuli illustrarētur, ut quanto maiori ueneratione capita Christianæ doctrinæ nobis inculcantur, tanto maiorem & certiore fidem concipiamus, & tanto diligentius in uocatione Dei ambulemus. Addiderunt quidem hypocri-

*Paschæ festum,
quare institutum.*

Festorum ratio in Christianismo.

hypocritæ his festis multas superstitiones, sed quid ad nos superstitiones? abijciamus eas, & retineamus id quod synceræ doctrinæ Christianæ utile, ac etiam ob uulgi imperitiâ & ruditatē, necessarium est. Sic enim iuuentus in doctrina Christianismi commodius adolescet, & seniores in doctrina Christianismi facilius conseruabuntur. Nam quod Paulus dicit: Dies obseruatis & menses, non damnat usum festorum, sed superstitionem, & impiam operis operati opinionem. Sentiebant enim pseudeapostoli obseruationem festorum Mosaicorum, necessarium esse ad iustificationem. Quæ impia sententia merito damnanda est.

INCVRVATVSQVE POPVLVS ADORAVIT, ET
EGRESSI FILII ISRAEL FECERVNT.)

Exemplum obedientiæ. Sed quid illud est, quo Israelitæ persuasi sunt, ut priusquam liberati essent ex Aegypto, & primogenita Aegyptiorum occisa essent, fecerint Pasha, & asperferint sanguinem igni postibus? Profecto non est aliud, quæ fides uerbi Dei. Nam cum hæcenus uocatio Mosi confirmata esset multis miraculis, crediderunt Israelitæ uerbum Mosi de Pasha, & occisione primogenitorum Aegyptiorum, ac liberatione ex Aegypto, esse uerbum Dei. Cum igitur adhiberent fidem promissioni Dei per Mosē prædicatæ, primum quidem reputati sunt coram Deo iusti per fidem, deinde ducti sunt per fidem ad obediendum uocationi Dei, quæ erat, facere Pasha, & aspergere postes sanguine igni. Hæc nobis præscribuntur, ut sciamus quare postea etiam nos iustificemur, & ad obedientiam uerbi Dei perueniamus, nimirum non alia ratione, quam si ante omnia concipiamus fidem in promissiones diuinas. Ex hac enim & iustitia coram Deo, & obedientia Deo debita oritur.

*Obedientia
erga Deum,
unde prouenit.*

FACTVM EST AVTEM IN NOCTIS MEDIO, PER
CVSSIT DOMINVS OMNE PRIMOGENITVM.)

Hic iam recensetur stupendum illud miraculum, de quo hæcenus Mosē concionatus est Aegyptiis & Israelitis, non uerbis tantum, uerum etiam cærimonijs Pashæ. In medio eius noctis, in qua Israelitæ celebrabant Pasha iuxta uerbum Dei, occiditur omne primogenitum Aegyptiorum, a primogenito Pharaonis usque ad primogenitum captiui, & iumentorum. Primogenita uero Israelitarum salua manent. Ortus est clamor magnus in Aegypto. Pharaon iam non solum dimittit Israelitas cum uniuersa substantia ipsorum, uerum etiam tanta formidine comprehenditur, ut cogat ipsos Aegyptum derelinquere, timens, ne si diutius in Aegypto maneant, tota Aegyptus pereat. Urgebant, inquit scriptura, Aegypti populum de terra exire uelociter, dicentes: Oēs moriemur. Adeoq; Israelitæ tam ueh-

menter urgebantur, ut non licuerit ipsis præ festinatione panem fermentatum pro uictu accipere, sed acceperint tantum conspersam farinam, ante quæ fermentaretur, & ligauerint in pallijs. Habes miraculū longe omnium maximum. Tametsi enim Manethon, autore Iosepho, contra Appionem, & alij quidam scribunt, quod Aegyptij tempore Moysi scabiem pruriginem & lepram passi fuerint, et expulerint metu contagionis ægros in exilium, quorum Mose dux factus, repetierit antiquam patriam suam Damascenam. Et addunt multa alia de Iudæis & eorum progenitoribus, quæ non conueniunt cum sacris literis, at tamen aduersus horum commenta munienda est conscientia autoritate sacre scripture, qua non solum magnis & multis miraculis, tam a Prophetis, quæ ab ipso Christo & Apostolis eius confirmata est, uerumetiam habet publicum temporis, quod ueritatem in lucem proferre solet, testimonium, quemadmodum supra copiose ostendimus. Quare faceffant Ethnicorum nugæ de historijs Israelitarum, nos autem ea sectemur, quæ sacra scriptura diuinitus & humanitus confirmata tradit. Et quia sæpe supra dictum est, quod Deus ediderit tot miracula in Aegypto, ut illustretur nomen eius, uideamus nunc, quæ nominum Dei genera ex hoc miraculo illustrentur. Ac primum quidem agnoscitur ex hoc miraculo omniscientia Dei. Nam cum primogenita tantum & hominum & iumentorum Aegyptiacorum, non item secundo aut tertio genita, occidantur, manifeste declaratur, proprietates & discrimina non humanarum tantum rerum, uerumetiam bestiarum, adeoque omnium creaturarum, Domino Deo nostro optime cognita esse. Quo admonemur, ut non contendamus impietate & dolis ad prærogatiuas, quæ debentur primogenitis, aut ad alias maiestates, quæ legitime debentur huic aut illi ordini hominum, sed maneamus in legitima rerum ordinatione, ac expectemus Dominum. Is enim nouit optime, num uel primogeniti, uel quintogeniti simus, & quid nobis iuste debeatur ac utile fuerit. Deinde reuelatur hoc miraculo omnipotentia Dei. In una nocte, uno uerbo, occidit tot primogenita in Aegypto. Quis ergo Deum tam potentem non timeret? Adhuc declaratur hoc miraculo seueritas Dei erga impoenitentes. Hacenus enim multis supplicijs affecit Deus Aegyptios, quod ad uerbum Dei, non dimitterent Israelitas. Cum autem nondum resipiscerent, occidit primogenita eorum, ut palam fiat, impoenitentes non liberari a supplicijs externis, nisi aut resipiscant, aut perpetuo pereant. Quis ergo ad tantam seueritatem Dei in supplicijs non resipisceret? Preterea reuelatur hoc miraculo clementia & misericordia Dei, non solum erga Israelitas, quorum primogenitis parcit, uerumetiam erga Aegyptios, quorum primogenita tantum occidit, cum tamen potuerit ad unum omnes Aegyptios perdere. Atque hoc illud est, quod

*Ethnicorum
nugæ de
deis.*

*Dei omnisci
entia.*

*Dei omni-
pōtia illustra
tur.*

Dei seueritas

Dei clemētia.

est, quod Propheta ait: Cum iratus fueris, misericordiae recordaberis: Postremo obseruatur etiam ex hoc miraculo ueritas uerbi Dei. Promisit Deus uerbo suo Israelitis liberationem tam a caede primogenitorum, quam a seruitute Aegyptiaca: Hanc autem promissionem Deus maiori admiratione implet, quam quisquam ratus erat. Quis ergo promissionibus diuinis non adhiberet fidem? Habes breuissimas utilitates huius miraculi, & cum gloria nominis Dei maxime ex ipso illustretur, dignum etiam est, ut maxime omnium obseruetur, de qua re etiam in sequenti capite dicitur.

Abac. 3.

Dei ueritas.

PETIERANT AB AEGYPTIIS VASA ARGENTEA ET AVREA.)

Hic iterum ueritas diuinarum promissionum, & clementia Dei obseruanda uenit. Nam Israelitis erat promissa diuinitus liberatio ex Aegypto, priusquam in Aegyptum uenerant. Et huic promissioni additum erat, quod egressuri essent Aegyptum multis diuitijs. Ad Abraam enim, Gene. xv. dictum est: Scito, quod peregrinum futurus sit semen tuum in terra non sua, & subiciant eos seruituti, & affligent quadringentis annis. Veruntamen gentem cui seruituri sunt, ego iudicabo, & post haec egredientur cum magna substantia. Hic uides promissionem non solum liberationis, sed etiam diuitiarum. Egredientur (inquit) cum magna substantia. Deinde idem promittitur Mosi, cum primum uocaretur a Domino, ad liberandum Israellem ex Aegypto. Supra enim cap. ij. ita scribitur: Extendam manum meam & percutiam Aegyptum cunctis mirabilibus meis, quae facturus sum in medio eorum. Post hac dimittet uos, daboque gratiam populo huic coram Aegyptijs. Et cum egrediemini, non exhibitis uacui &c. Repetitur & eadem promissio supra cap. xi. Quod ergo toties promissum erat, nunc magnis etiam miraculis impletur. Israelitae enim petierunt ab Aegyptijs uasa argentea & aurea, ac uestes. Dominus autem tantam dedit gratiam populo coram Aegyptijs, ut commodarent eis, quicquid peterent. Ita que spoliauerunt Aegyptios. Caeterum quam habeat rationem haec spoliatio Aegyptiorum, & quid nobis adumbret supra cap. ij. explicuimus. Nunc hoc loco animaduertenda est ueritas & clementia Dei, ut ad fidem, & spem, ac patientiam in aduersis & expectandis promissis Dei inuitemur. Videmus enim hoc exemplo, quod Deus etsi differt rem promissam in longinquum tempus, non tamen mentitur, & quod tanto admirabilius promissionem impleat, quanto diutius differt.

Promissionem

Dei ueritas.

PROFIECTIQUE SVNT FILII ISRAEL DE RAEMSES.)

Raemes locus est in Aegypto, quem Ioseph dedit Iacob patri & fratribus suis in possessionem, quemadmodum Gene. ca. xlvj. scribitur. Ex hoc ergo loco, proficiscuntur Israelitae primum omnia in Succoth:

Raemes.

Hæc sunt prima castra Israelitarum, postquam in libertatem ex Aegypto uindicantur. Quid autem castra seu mansiones proficiscentium ex Aegypto ad terram Canaan, quæ in hoc libro, & in Numeris cap. xxxiij. describuntur, per allegoriam significant, Scriptores Ecclesiastici copiose tractarunt, præsertim Hieronymus in libello de quadraginta duabus mansionibus. Quare non est necesse, ut ea hic explicemus. Nos ea tantum persequemur, quæ scriptura præ se fert genuino & legitimo suo sensu. Cum ergo hoc loco recensetur, quod de Raemes in Succoth profecti sint, sexcenta millia peditum uirorum, præter paruulos & mulieres, quibus etiam accessit uulgus promiscuum innumerable, et egressi sint cum magna substantia, multisque diuitijs, perspicue nobis scriptura significat, nihil esse firmitus, nihil certius, promissionibus diuinis. Abraæ enim promissa est multiplicatio seminis, et Deus dedit ipsi Isaacum, Isaac autem dedit Iacobum. Porro Iacob profectus est in Aegyptum, cum septuaginta tantum duabus animabus, quæ egressæ erant de femore eius. In Aegypto autem familia Iacob mirum in modum affligebatur & opprimebatur, ita ut infantes masculi propter Regis edictum in flumina proicerentur. Sed hic uide mihi tum ueritatem Dei firmissimam, tum clementiam Dei liberalissimam. Septuaginta duos homines, annis non ualde multis, ita benedicit in Aegypto, & sub crudelissimis persecutionibus, ut multiplicauerit eos in sexcenta millia peditum uirorum, præter mulieres & pueros, præter etiam uulgum alium ignobilem & innumerablem. Quis tanto diuinæ ueritatis & liberalitatis exemplo ad fidem non inuitaretur? quis ad perdurandum in uocatione Dei, & expectandam manum Domini non persuaderetur?

*Multiplicatio seminis
Abraæ.*

NEQUE ENIM POTERAT FERMENTARI, COGENTIBUS EXIRE AEGYPTIIS.)

Hoc de pasta azyma sæpe repetitur, primum, ut lex de comedendis panibus azymis, septem diebus pashæ, inculcetur, deinde ut commendetur miraculum, quo rex Pharaon, qui antea nuncque uoluit Israelitas dimittere, intantum territus est, ut etiamnum coegerit Israelitas ex Aegypto tam festinanter egredi, ut nullam moram habuerint fermentandi pastam. Postremo, ut commendaretur etiam miraculum Manne, quo postea Israelitæ in deserto pasti sunt. Addit enim scriptura hoc loco: Nec quicquam cibi parauerant. Quare si Israelitæ nullum cibum ex Aegypto, præter pastam azymam sumpserunt, & nihilominus tot annis in deserto incolumes conseruati sunt, manifestum est, Dominum Deum pauisse ipsos admirabili cibo &c.

HABITATIO AUTEM FILIORVM ISRAEL.)

Quod scriptura hoc loco dicit, idem testatur etiam Paulus ad Gal. scribens:

scribens: Testamentum, inquit, ante comprobatū à Deo erga Christi Galat. 3.
 stum, lex quæ post annos quadringentos & triginta cepit, non facit ir-
 ritum, ut abroget promissionem. Ex hoc etiam loco Pauli manifestum
 est, quod hi quadringenti triginta anni, non sunt numerandi ab eo tē-
 pore, quo Iacob cum familia sua profectus est in Aegyptum. Sic enim
 fuerunt tantum ducenti & decem anni. Sed numerandi sunt ab eo tem-
 pore, quo Abraæ dicta est promissio de multiplicatione et benedicti-
 one seminis sui, quo item Abraam propter famem profectus est in
 Aegyptum, & paulopost audiit a Deo, semen ipsius peregrinum fo-
 re in terra aliena, quemadmodum scriptum est in Genesi capite duo-
 decimo & decimo quinto. Ab hoc tempore usq; ad exitum ex Aegy-
 pto sunt anni quadringenti & triginta. Nam Abraam uenit in ter-
 ram Canaan, cum esset annorum septuaginta quinq;. Ab hoc tempo-
 re, sunt uiginti quinq; anni usq; ad natiuitatem Isaac. Natus enim est
 Isaac, cum Abraam esset centum annorum. Quare ab ingressu Abraæ Gene. 12. ̄
 in terram Canaan, usq; ad natiuitatem Isaac sunt anni uiginti quinq;. Gene. 25. ̄
 Isaac autem genuit Iacob, cum esset annorū sexaginta, ut scriptum est Gene. 41. ̄
 Genesi cap. xxv. Iacob autem genuit Ioseph, cum esset annorum nona 47.
 ginta. Ioseph uixit annis decem & centum. Post mortem Ioseph usq; Exodi 6.
 ad natiuitatem Mosi, fuerunt anni sexaginta quinq;, id quod ex Phi- Actorum 7.
 lonis ratione constat. Mose autem fuit annorum octoginta, quando
 eduxit Israelitas ex Aegypto. Ex his colligitur summa annorum qua-
 dringentorum triginta, cuius summæ mentio fit & hoc loco, & apud
 Paulum ad Galatas. Commemoratur autem potissimum ob has caus-
 as, primum ut commendetur ueritas diuinarum promissionum, &
 ut admoneamur ad expectationem fidei. Quod enim Deus promissit, Iustitia fides
 ante legem.
 etsi multis annis differtur impletio eius, fieri tamen nō potest, ut pro-
 missio Dei uana & irrita fiat. Deinde ut commendetur iustitia quæ
 est ex fide, & ut manifeste uideamus iustitiam non esse ex meritis bo-
 norum operum, quæ homines faciunt. Nam promissio de semine, in
 quo benedicuntur gentes, hoc est, de Christo, dicta est ad Abraam an-
 te quadringentos triginta annos. Et eo tempore iustificatus est Abra-
 am ex fide, priusquam lex, quæ bona opera precipit, data est, quemad-
 modum scriptum est: Credidit Abraam Deo, & reputatum est ei in
 iustitiam. Quare iustitia non est ex operibus legis, quæ homines faci-
 unt. Sed de hac re postea, cum lex in monte Sinai dabitur &c.

QVIBVS EXPLETIS, VNA DIE EGRESSVS EST
 OMNIS EXERCITVS DOMINI DE TERRA AEGY-
 PTI, IDEO NOX ISTA OBSERVABILIS:)

Hic iterum commendatur obseruatio liberationis ex Aegypto.
 Nam post creationem mundi & conseruationem Noë in diluui-

*Liberatio ex
Aegypto in
sulcatur.*

*festi Pasha
uilitas.*

extant duo precipua & longe omnium maxima diuine maiestatis opera in orbe terrarum. Alterum est liberatio Israelitarum ex Aegypto per Mosen. Alterum est liberatio hoim e peccatis & morte, per Iesum Christum. Cum igitur liberatio ex Aegypto, unum sit de maximis operibus Dei in terra gestis, id precipue agitur, ut quoquo modo conuenienter fieri possit, memoriae diligenter mandetur. Ac primum inculcatur commemoratione scripturae diuine. Historia enim huius liberationis, non paucis, sed multis admodum uerbis describitur, repetit & iteratur. Deinde consecratur memoriae praefatione in decalogu. Sic enim illic dicitur: Ego sum Dñs Deus tuus, qui te eduxi de terra Aegypti. Quo frequentius ergo decalogus commemorat, hoc saepius liberatio ex Aegypto memoriae commendatur. Adhuc consecrat annuo & solenni festo Pasha. Postremo certis quoque ceremonijs agni pashalis. Quid ergo, inquires, tanti est, meminisse liberationis ex Aegypto? Num ipsa commemoratio expiat peccata, & meret gratiam Dei ex opere, ut uocant, operato? Nihil minus. Sic hypocrite obseruarunt festu Pasha. Sed commendatur tanta diligentia, ut ex hac obseruatione cognoscamus excellentem maiestatem Dei, & concipiamus ac confirmemus fidem nostram in uerz Deum, ut in uocatione Dei ambulantes, ad sempiternam salutem perueniamus. Primum em liberatio ex Aegypto, manifestissime declarat, DEVM ESSE. Israelite enim ita oppressi erant a Pharaone, ut nulla humana potentia aut prudentia liberari potuerint. Cum igitur liberati sunt, perspicuu est Deum esse, qui ipsos alioqui prorsum oppressos liberauit. Deinde reuelat, eum Deum, uerum esse Deum, qui uerbo suo manifestatus est Patriarchis, & predicatus est inter Israelitas. Eos autem deos ficticios esse, quos colunt Aegyptij & alie gentes. Nam cum is Deus praedixerit ante multos annos liberationem ex Aegypto, & uaticinatus sit de miraculis in Aegypto edendis, priusquam Israelite egrediantur, & quod praedictum est, re ipsa perfectissime impletum sit, manifestum est, hunc solum uerz esse Deum dominantem in caelo & in terra. Vnde paulo ante dixit Dominus: In cunctis dijs Aegypti faciam iudicia, hoc est, liberatione Israelitarum ex Aegypto perspicue declarabo, me solum uerum esse Deum, omnes autem deos Aegyptiorum idola esse uanissima. Adhuc liberatio ex Aegypto ostendit hunc solum uerz Deum, non solum esse potentissimum, uerumetiam seuerissimum erga impoenitentes, & clementissimum ac ueracissimum in promissionibus suis erga eos, qui uerbum suum fide sequuntur, de qua re supra saepe diximus. Hoc tantum nunc iterum adiciemus, quod Dominus in hoc liberationis opere, exhibuerit maximum & clarissimum omnium exemplum clementiae & ueritatis suae. Liberauit enim Israelitas ex Aegypto, non merito iu

rito iustitiæ ipsorum. In Ezechiele enim cap. xx. dicit Dominus: Non luerunt me audire, unusquisque abominationes oculorum suorum non proiecit, nec idola Aegypti reliquerunt. Sed liberauit eos ex misericordia, propter promissiones suas patribus dictas, ut glorificaretur nomen clementiæ & ueritatis suæ in toto orbè terrarum. Vnde in Propheta additur: Et dixi, ut effunderem indignationem meam super eos, & implem iram meam in eis, in medio terre Aegypti: Et feci propter nomen meum, ne uiolaretur coram gentibus, in quarum medio erant, & inter quas apparui eis, ut educerem eos de terra Aegypti. Habes memoriam liberationis ex Aegypto commendari, ut illustretur maiestas nominis Dei. Vbi autè maiestas Dei illustratur, ibi excitatur cognitio Dei, fides, timor Dei, et obedientia erga Deum. Vbi autem Deus cognoscitur & in Deum creditur, ibi est salus & uita eterna. Quare memoria liberationis ex Aegypto profuit Israelitis, ad salutem & uitam eternam, non quidem ex opere, ut uocant, operato, sed quia ex eâ excitata est cognitio Dei & fides, atque obedientia fidei, per quæ ad ueram salutem peruenitur. Postquam autem Christus, uerus agnus paschalis, uenit, redemptione sua, liberationem ex Aegypto ita obscurauit, ut iam non dicatur, uiuit Dominus, qui eduxit filios Israel de Aegypto, Sed uiuit Dominus, qui misit filium suum unigenitum Iesum Christum, qui eduxit nos de peccatis in iustitiam, de morte in uitam, adeoque de inferno in cælum, & perpetuam fœlicitatem. De qua mutatione uaticinatus est Hierem. cap. decimosexto & trigésimoprimum. Quanto igitur illustrior & magis necessaria est liberatio per Christum facta, liberatiõe ex Aegypto, tanto maiori etiã diligentia obseruanda est, ut ex ea fidem concipiamus, & ex fide iustificemur ac saluemur.

HAEC EST RELIGIO PASSAH, NULLVS ALIENIGENAS)

Quæ supra in descriptione cærimoniarum agni paschalis ommissa sunt, in hoc loco nunc tractantur. Ac scribitur, qui sint idonei ad esum agni Paschalis. Admittuntur autè ad esum agni non oēs homines indifferenter, sed tantum circumcisi. Ac excluduntur quidem alienigenæ, aduenæ & mercenarij, sed postquam circumcisi fuerint, admittuntur indifferenter oēs serui & aduenæ. Et hæc quidem cærimonia necessaria fuit in Repub. Israeliticæ, ne commixtione circumcisorum & incircumcisorum status Reip. Israeliticæ dissiparetur, & semen Abraæ confunderetur. Significat autem quod ad Christum, uerum agnum paschalem hi soli pertineant, qui in Christum credunt, & per fidem circumcidentur in corde, ut purgentur a peccatis. Fide enim, inquit Petrus, purificantur corda. Vnde Esaias de ecclesia uaticinatur cap. liij. dicens: Non adiciat ultra ut pertranseat per te incircumcisus & immundus. Quod

Ad agni paschalis esum etiã serui admittuntur sed circumcisi

Ecclesia fide circumcise. autem & serui & aduenæ, si fuerint circumcisi, admittantur ad esum agni, significat illud, quod Paulus scribit: In Christo Iesu non est Iudæus neque Græcus, non est seruus neq; liber, non est masculus ac foemina, Omnes enim uos unus estis in Christo Iesu &c.

Christi ossa integra. Quod additur: In una domo comedatur, hoc est, unus agnus non diuidatur in duas partes, & comedatur in duabus domibus, sed in una tantum domo, unus integer agnus edatur, hoc significat, unam tantum sanctam Ecclesiam esse, extra quam non inueniatur Christus. Cū autem dicitur: Os illius non confringetis, uidelicet, ne quid reliquiarum agni in Aegypto remaneat, aut ne quid de agno dissipetur, et putrescat, Ioannes diserte de Christo interpretatur. Cum enim milites, qui crucifixerūt Christum, fregissent crura latronum pendentium iuxta Christum, non fregerunt crura Christi, sed unus militum lancea latus eius perforauit etc. Facta autem sunt hæc (inquit Ioannes) ut scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et quod in Christo corporaliter impletum est, hoc etiam suo modo impletur in omnibus ijs qui in Christum credunt. Hi em̄ etiam si occidantur, conterantur, dissipentur, imo & in puluerem redigantur, ossa tamen ipsorum coram Deo per Christum ita integra conseruantur, ut in die iudicij ad æternam felicitatem excitentur.

C A P V T X I I I .

S A N C T I F I C A M I H I O M N E P R I M O G E N I T U M .)

Primogenitorum sanctificatio. Diximus supra, obseruationem Pashæ primam omnium legem fuisse in noua Rep. Israelis. In hoc autem capite describitur secunda lex in nouo populo, quæ est de sanctificatione primogenitorum. Repetitur et interim, ac inculcatur esus azymorum, qui septem diebus Pashe obseruari debuit. Nam in liberatione ex Aegypto duo præcipua & maxima omnium miracula edita sunt. Alterum est, quod Dominus in media nocte pertransierit Aegyptum & occiderit omnia primogenita Aegyptiorum, pepercerit autem primogenitis Israelitarum, Alterum, q; Pharaon, rex crudelissimus, & quem nullus hominum aut Deorum permouere potuit, ut Israelitas ex Aegypto dimitteret, tãto terrore ex occisione primogenitorum percussus sit, ut nō solum dimiserit Israelitas, sed etiam coegerit ipsos Aegyptum tanta festinantia relinquare, ut non daretur ipsis uel tantillum spacij, quo conspersam farinam fermentarent. Hæc sunt duo stupēda et memorabilia miracula. Constituit igitur Dominus pro his duobus miraculis, duas grauissimas leges, ut miracula tanto diligentius memorię mandarentur, quanto maio-

to maiorem seueritatem leges præ se ferunt. Ac primum, propter miraculum in primogenitis editum, constituitur lex, ut omnia primogenita Israelitarum, tam de hominibus quàm de iumentis, Domino conferrentur. Atque id constitutum fuit his conditionibus, uidelicet, ut primogeniti filij hominum, redimerentur pecunia, & pro primogenitis aliarum tribuum, Leuitæ tabernaculo seruirent, ut etiam primogenita animalium immundorū redimerentur. Primogenita autem bouis & ovis & capræ non redimerentur, sed traderentur sacerdotibus &c. De his conditionibus habes in hoc capite, & xxij. Item Num. iij. viij. xvij. & in alijs locis Pentateuchi. Quod autem hæc lex constituta sit in memoriam eius miraculi, quod in primogenitis in Aegypto editum est, scriptura satis manifeste explicat dicens: Cum interrogauerit te filius tuus cras, dicens: Quid est hoc? Respondebis. Manu potenti eduxit Dominus nos de terra Aegypti, de domo seruitutis. Nam cum induratus esset Pharaos, & nollet nos dimittere, occidit Dominus omne primogenitum in terra Aegypti. Idcirco sacrificio Domino oē quod aperit uuluum masculini sexus &c. Et additur: Erit quasi signum in manu tua, & quasi monumentum ante oculos tuos, quod manu potenti eduxerit uos Dominus de Aegypto. Hoc non sic intelligendum est, quod debeat hæc lex scribi in membranulam, & ad caput ac manum ligari. Iudaica hæc est superstitio. Sed his uerbis commendat Dominus usum legis de primogenitis, nimirum, quod hæc lex de sanctificatione primogenitorum debeat sanctissime obseruari, ut obseruatio eius sit quasi signum in manu, et quasi monumentum inter oculos, hoc est, admoneat ipsos semper eius miraculi, quo Dominus eduxit eos manu potenti ex Aegypto. Dices autem: Quid memoria huius miraculi tanti momenti est, ut necesse habeat tanto sumptu inter Israelitas conseruari? Vide enim mihi quantam summam pecuniæ confecerint quotannis tot primogenitorum redemptiōes in tam numeroso populo, & quantas opes templo Dei attulerint, oblationes tot primogenitorum ex iumentis. An non potuit miraculi huius memoria uilius conseruari? Fa-teor, ingens fuit sumptus, & fortassis multi auari Iudæi de hoc ualde conuesti sunt. Sed interim uidendum mihi est, quantum commodum tam corporalium quàm spiritualium rerum hic sumptus attulerit. Primum enim uoluit Dominus miraculum in primogenitis editum, hac lege, & hoc sumptu inculcare, non quia sufficiat meminisse tantum rerum in Aegypto gestarum, sed potius ut per hæc rerum memoriam, agnosceretur nomen & maiestas Dei, uidelicet quod sit Deus, quod is sit uerus deus, qui patriarchis reuelatus est, quod is Deus sit omnipotens, quod sit seuerus erga impoenitentes, quod sit misericors erga credentes & afflictos, quod sit uerax in promissionibus suis; Hæc, inquam, uult Deus

*Primogenita
rum sanctifi-
catio, quæ ha-
buerit utilita-
tem.*

docere & inculcare, lege ac sumptu sanctificationis primogenitorum. Vbi autem hæc docentur & inculcantur, ibi docetur fides in Deum, timor Dei, obedientia erga Deum, spes & constantia in omni uocatione Dei & in omnibus aduersis. Vbi autem fides, spes, timor Dei, & obedientia in uocatione Dei habetur, ibi habetur summa salus & perpetua foelicitas. Quare cum Deus lege exigit sanctificationem primogenitorum, quid aliud agit, quam quod offerat & donet ueram salutem & foelicitatem quæ certe multo præciosior est omnibus huius seculi opibus, nedum tantillo primogenitorum sumptu. Adhæc, sicut primitiæ & decimæ exiguntur in lege, non quod deus indigeat humanis opibus, sed ut homines hoc cultu testentur & confiteantur omnia bona huius seculi diuina esse beneficia. Sic & primogenita exiguntur, ut Israelitæ publice diuinam clementiam confiteantur. Quemadmodum enim in contractu ciuili, dominus agrî repetit in aliquibus regionibus quotannis a colono suo aut obolum, aut pomum aut pyrum, non quod hic redditus quicquam augeat opes domini, sed ut colonus hoc reddito confiteatur & testetur, agrum non sui iuris, sed domini esse: ita Deus exigit primogenita, non quod Deus indigeat hoc cultu, sed ut homines hac oblatione testentur gratitudinem suam. Testari autem gratitudinem, opus est Deo acceptissimum, & inuitat Deum ad maiorem liberalitatem. Quare qui ex fide obtulerunt primogenita, consecuti sunt, paruo sumptu magna Dei beneficia. Deinde fuit & hæc utilitas legis de sanctificatione primogenitorum, ut sacerdotes haberent, unde uiuerent, & alij Israelitæ maiorem terræ partem possiderent. In diuisione enim terræ Canaan, debebatur etiam tribui Leui, e qua sacerdotes descendunt, portio terræ, sed hi seperati sunt in ministerium ecclesiasticum, ut offerrent oblationes pro populo, & docerent legem, & reliquis tribubus datæ sunt eo maiores terræ portiones, quo primogenita decimas & alia, ad conseruandam doctrinam religionis conferrent. Israelitæ igitur hanc acceperunt utilitatem ex lege primogenitorum, ut & ipsi maiores terræ partes possiderent, & doctrina religionis inter ipsos conseruaretur. Et hæc utilitas tanta est, ut longe maiori sumptu digna esset, quam sanctificatione primogenitorum. Adhæc promisit Deus in lege, quod qui audierit uocem Domini Dei sui, & custodiat mandata ac cærimonias eius, benedictus sit in ciuitate & in agro, benedictus sit fructus uentris, fructus terræ, fructus iumentorum, armentorum, ouium &c. Inter mandata autem Dei, non postremum locum obtinet lex de sanctificatione primogenitorum. Quare qui offerebat primogenita ex fide, is reddebatur, non pauperior, sed multo ditior, & consequebatur benedictionem omnium rerum suarum. Quid ergo putas ne hanc utilitatem indigniorem esse, quam ut tantillo

tantillo sumptu primogenitorum redimeretur. Postremo hac lege ad
 umbratur etiam Christus, qui est primogenitus omnium creaturarum, Rom. 8.
Colof. 1.
Hebr. 1. ut Paulus ait, & qui solus uere Deo ita sanctificatus est, ut & omnes
 sanctificet, ac primogenitos efficiat, quotquot in ipsum credunt. Cum
 igitur pius quispiam Israelita obtulit primogenita sua, admonitus fu-
 it, præter miraculum Aegyptiacum, etiam Christi Domini sui, &
 confirmauit fidem suam, quod habeat ex Christo in carne futuro be-
 nedictionem, iustitiam & uitam æternam. Hæc utilitas non potest sa-
 tis uerbis explicari. Quare sentiendum est hanc legem de sanctificati-
 one primogenitorum fuisse inter Israelitas, ut prudentissimam, ita eti-
 am tum ad corporalia tum ad spiritualia bona utilissimam. Deinde
 propter alterum miraculum, quo Pharaon Israelitas tam festinanter ex
 Aegypto expulit, ut non habuerint tempus fermentandi conspersam
 farinam, instituta fuit altera lex de uescendis azymis, septem diebus
 Pashg. Hæc lex etiam in præcedenti capite non solum posita, sed & sæ- Fermentatib
panes lege ue
liti. pe repetita est, ac nunc in hoc capite iterum inculcatur. Et cum antea
 addita sit pœna seuerissima. Qui comederit, inquit, fermentatum, pe-
 ribit anima eius de cœtu Israel. Nunc mandatur etiam, ut posteris in-
 culcetur: Narrabis, inquit, filio tuo in die illo, dicens: Hoc est quod
 fecit mihi Dominus quando egressus sum de Aegypto. Quod autem
 hæc lex de uescendis azymis instituta sit in memoriam eius miraculi,
 quod antea in Pharaone editum recensuimus, testatur ipsa scriptura
 dicens: Erit quasi signum in manu tua, & quasi monumentum ante o-
 culos tuos, & ut lex Domini sit in ore tuo &c. Sed quid opus fuit hoc
 miraculum, esu azymorum septem diebus Pashg, commendare: nū suffi-
 cit tantum miraculi huius meminisse? Minime sufficit, sed commen-
 datur, ut ex ipso cognoscatur & illustretur nomen Dei. Nam cū Israe-
 lite in Aegypto captiui essent, & peterent per Moysen liberationem,
 Pharaon rex potentissimus intantum renitebatur, ut uideretur de libe-
 ratione Israelitarum plane desperatum. Deus autem tanta potentia animū
 eius inuertit, ut non solum dimiserit Israelitas, sed etiam coegerit eos
 uelocissime ex Aegypto discedere, ita ut non concederetur ipsis spati-
 um conspersam suam farinam fermentandi. Per hoc igitur miraculum
 reuelauit Deus, quod sit talis Deus, qui populum suum, in rebus etiam
 desperatissimis seruet, & reportat Deus hoc nomen & hunc titulū, quod
 sit adiutor in necessitatibus. Vbi autem agnoscitur hoc epitheton Dei,
 ibi concipitur fides, & confirmatur, ibi spes est & tolerantia in omni-
 bus afflictionibus. Vbi autem est fides, ibi est iustitia et salus. Quare
 esu azymorum septem diebus, quia reuocauit Israelitis in memoriā
 miraculum Dei in Pharaone editum, confirmauit etiam fidem ipso-
 rum, & obtulit eis per fidem & certificauit ipsos, quod Deus daturus

sit ipsis salutem & liberationem ex omnibus aduersis. Qua utilitate, quid posset alicui maius contingere? certe tanta utilitas digna esset redimi, non tantum esu azymorum septem diebus, sed abstinentia uini per totam uitam, imo omnibus carnis afflictionibus. Cæterum, quid præterea azymorum esus nobis Christianis adnubret, supra exposuimus in præcedenti capite.

IGITUR CVM EMISSET PHARAO POPVLVM,
NON DVXIT EOS DEVS.)

Hoc illud est, quod Mose in cantico suo ait, Deu. xxxiij. Sicut aquila prouocans ad uolandum pullos suos, & super eos uolitans, expandit alas suas, & assumpsit eum atq; portauit in humeris suis: Et iterum Deu. cap. i. Portauit te Dñs Deus tuus, ut solet homo gestare paruulū filium suum, in omni uia per quā ambulastis, donec ueniretis, ad locum istum. Etenim, quemadmodum aquila, præsertim ea, quam Melenaeton uocant, non statim extrudit pullos suos ad prædandū, sed fouet aliquandiu in nido, & postea assuefacit eos paulatim ut uolent, & ut prudens parens, non mox recentem infantem suum solido cibo pascit, nec statim a cunabulis obijcit eum grauioribus negotijs, sed multis etiam annis lacte pascit, & ludicra proponit, ita Dñs Deus noster noluit statim Israelitas suos recens ex Aegypto liberatos ac quasi renatos obijcere grauibus bellis Philistinorū, ne tenelli adhuc in fide deterrerentur ab ingressu in terram Canaan, & redirent in Aegyptū, sed circumduxit (ait Mose) per uia deserti, quæ est iuxta mare rubræ, &c. Obseruandum exemplum, quo Deus reuelauit & testatus est toti orbi terrarum, qd clementissime parcat imbecillitati fidei populi sui, & qd nulli uocationem suam sectanti maiora & grauiora onera imponere uelit quam ferre possit. Fidelis (inquit Paulus) est Deus, qui nō sinit nos tentari ultra id quod possumus. Idem etiam significatum est, cum Christus iussit nos orare. Ne nos inducas in tentationem. Nam cum iussit hoc orare, una cum hoc iussu, tacite etiam promisit, se non uelle suos grauius tentare, qm̄ tolerare queant. Si em̄ homines patres, imo si uolatilia cœli tanta non solum prudentia, sed etiam clementia erga pullos suos recens natos prædita sunt, ut non cogant ad ferenda onera ipsis importabilia, quomodo non maiori tum prudentia tum clementia uteretur Deus erga eos, qui ipsum patrem ex fide per Christum agnoscunt? Est autem hic affectus in Deo diligenter animaduertendus, ut etsi imbecillitatis nostræ nobis probe consci sumus, non tamen deterreamur a capeffenda & sectanda uocatione Dei, timore ingentium periculorum, quæ nobis in uocatione Dei, sepe etiamnum maiora, qm̄ re ipsa fuerint, imminere imaginamur. Pius quispiam, exēpli gratia, aspirat ad sectandū Euangelion Christi, sed interim ponit sibi

*Fidelitatis
Dei exēpla.*

sibi ob oculos, direptiones facultatum suarum, exilium, & mortem, quæ possunt ipsi propter confessionem Euangelij accidere. Et cū hæc pericula grauissima sint, timet ne non possit ea cōstanti animo ferre. Quare putat consultius esse, Euangelion non agnoscere, q̄ postea grauitate persecutionis turpiter ab eo deficere. At hic iubendus est bono animo esse, & Euangelion alacri mente capessere. Fidelis enim est deus, qui non sinit ipsum tentari supra id quod potest. Est opifex quispiam, qui libenter abstineret ab imposturis, & sectaretur uerbum Dei. Sed timet paupertatem & inedia, si non dederit operam imposturis. Hic ergo monendus est ex hoc loco, ut excutiat timorem suum, & capeſſat uerbum Dei obedienter: Fidelis em̄ Deus est, qui non sinit ipsum tentari ultra uires suas. Sic etiam in alijs uocationibus Dei faciendum est. Nam hæc exempli tantum gratia proposuimus.

ASCENDERUNT AUTEM FILII ISRAEL ARMATI.)

Pro (armati) Hebreus habet ארמתי, quod uocabulum præter uarias interpretationes, quæ aliàs extant, exponitur etiam ab aliquibus pro Iubilæis, ut sit sensus. Ascenderunt quinquagenarij, hoc est, Iubilei, seu liberati. Iubilæus enim quinquagesimo quoque anno celebratur. Sed maxime omnium arridet mihi interpretatio Chaldaea. Nam pro ארמתי reponit Chaldaeus, מצריו, hoc est, festinabundi, solliciti, circumſpecti & expediti. Vnde & in Iosua capite i. ad Rubenitas & Gaditas dicitur: Vos transibitis ante fratres uestros accincti, hoc est, solliciti, circumſpecti, & expediti, tanquam excubias agentes pro fratribus. Quo in loco idem uocabulum, quod hoc loco, ponitur. Et conuenit etiam hæc interpretatio cum eo apparatu, quo Israelitæ iussi sunt edere agnum. Renes uestros, inquit, accingetis, & calciamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinãter. Hic est apparatus eorum qui sunt accincti ad iter. Monemur autem hoc loco, ut in uocatione Dei magna circumſpectione ambulemus. Quidam enim cum audiunt conditionem uitæ suæ esse ordinatiõem & uocationem Dei, tanta securitate incedunt, ut existiment omnes Satanæ plane extinctos esse. Sed qui hac carnali securitate præditi sunt, hi statim ad primam tentatiunculam concidere solent. Quare necesse est, ut, cum ambulemus in uocatione Dei, habeamus quidem fidei securitatem, q̄ Deus non sit nos derelicturus in aduersis: abijciamus autem securitatem carnis, ut quoquomodo possumus, caueamus nobis, ne hostis nos incautos opprimat.

Securitas carnalis uitanda

TVLIT QVOQVE MOSE OSSA IOSEPH.)

Exemplum seruatae fidei, quam Israelitæ dederant quondam Iosepho, quemadmodum scriptum est Genesi capite i. Fuerunt etiam

hec ossa Ioseph, certissimum sacramentum Israelitis ad confirmandam fidem ipsorum in deserto. Dixerat enim Ioseph fratribus suis: Post mortem meam Deus uisitabit uos, & ascendere uos faciet de terra ista, ad terram quam iurauit Abraam, Isaac & Iacob. Id autem quod primum dixerat, uidelicet, Deus faciet uos ascendere de terra ista, iam impletum erat, quando Israelitæ per desertum profecti sunt. Quare cum recordarentur ossium Ioseph, quæ secum asportabant, admonebantur etiam de ueritate secundi dicti, uidelicet, faciet uos ascendere ad terram, quam iurauit Abraam &c. Nos autem admonemur ex hoc exemplo, ut testamenta maiorum nostrorum, quæ ad ueram pietatem pertinent, sanctissime obseruemus, ut & Deus nobis seruet suum testamentum, quod nobiscum in Christo Iesu filio suo condidit.

Testamenta
maiorum reli
gose confir
uanda.

DOMINVS AVTEM PRAECEDEBAT EOS PER
DIEM IN COLUMNA NUBIS.)

Ingens miraculum, cuius scriptura alias sepe meminit. In Num. cap. xx. dicitur: In die qua erectum est tabernaculum, operuit illud nubes. A uespere autem super tentorium erat quasi species ignis. Sic fiebat iugiter. Per diem operiebat illud nubes, & per noctem quasi species ignis. Cumque ablata fuisset nubes, quæ tabernaculum protegebat, tunc proficiscabantur filij Israel, & in loco ubi stetisset nubes, ibi castrametabantur &c. Habes & de hoc miraculo Num. xiiij. & Nee. viij. Hoc igitur miraculo primum declarauit Deus, quod Israelitæ non temere, sed diuino consilio & potentia educti sint ex Aegypto, deinde testatur Deus hac nube per diem, & columna ignis per noctem, quod ipse praesto adsit populo suo Israelitico, & defendat eos potenti manu ab aduersarijs suis. Postremo hec nubes est reuelatio & testimonium, quod Deus uelit omnes ambulantes ex fide in uocatione sua gubernare, & defendere in omnibus periculis, ac euentum dare, ut Paulus ait, quo possint tentationes & pericula sufferre. Nam & nos, postquam baptisati sumus in Christum Iesum, proficiscimur ex Aegypto huius seculi, per desertum uariarum afflictionum, in terram promissam perpetuæ felicitatis. Sed imperitiores sumus, quam ut sciamus tam longam uiam per desertum, & imbecilliores sumus, quam ut possimus asperitatem tanti itineris ferre. Proponit igitur Deus etiam nobis pro ductoribus, nubem per diem, & columnam ignis per noctem, quibus discamus uiam ad salutem, et confirmemur in fide nostra. Nubes autem & columna nostra sunt prædicatio uerbi Dei, & Sacramenta uerbo Dei annexa. Hæc lucent nobis, & ostendunt uiam in deserto huius seculi. Quare si uolumus salui ad terram nostram coelestem peruenire, eo proficiscendum est, quo nos uerbum Dei & sacramenta eius ducant.

Miraculum
columnæ nu
bis,

CAPVT XIII.

REGRESSI CASTRAMETENTVR E REGIONE VAL-
LIS HIROTH.)

In hoc capite describitur insigne illud miraculum, in tota scriptura decantatum, uidelicet, Transitus Israelitarum per mare rubrum. Videamus igitur de mari rubro. Nam quod nos uocamus mare rubrum, hoc ^{Mare rubrum} Hebræi uocant אֵדְוָיִם, hoc est, mare iunceum, seu arundineum, propterea quod magna copia iuncorum in eo crescant. Greci uocant θαλασσαν ἑρυθρὰν, hoc est, mare rubrum, non a colore tantum rubro, ut quidam sentiunt, sed a Rege Erythro, qui in eo loco regnauit &c. Deinde uides hoc loco Israelitas, non temere sed uocatione & ductu Dei puenire ad mare rubrum, & illic maximis periculis obijci. Sed ne quid inexpectatum accidat, prædicit antea Dominus, non solum periculum a Pharaone imminens, uerum etiam liberationem e periculo. Indurabo, inquit, cor Pharaonis, ut persequatur uos. Et glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius, scientesque Aegyptii, quia ego sum Dominus: Obseruandum autem est, quod neque Deus liberauerit Israelitas ex Aegypto, & duxerit eos illesos per mare rubrum & desertum, neque scriptura egressum ex Aegypto, toties passim inculcet, priuatim tantum, propter gentem Israeliticam, sed hæc omnia & facta & scripta sunt, ob eam potissimum causam, ut toti orbi spectaculum proponeretur, in quo & maiestas Dei agnosceretur, & exemplar euentuum, qui in uocatione Dei accidere solent, conspiceretur. Igitur principio discendum est ex hoc loco, quod cum Israelitarum ductu Dei ad mare rubrum mittantur, et maximis illic periculis obijciantur, significet Deus, unumquemque in uocatione Dei ambulanti necesse habere maxima queque pericula subire. Non enim, quia Pharaon dimisit Israelitas, ideo ab omnibus periculis liberati sunt, sed potius quia dimisit eos, in pericula ueniunt. Sic quos dimisit Satan, propter Christum, hi in hoc seculo nondum habent rerum omnium tranquillitatem, sed potius quia Satan coactus fuit ipsos dimittere, eo maiora pericula conatur ipsis inferre. Quare non est imaginandum, quod qui incipiat uocationem Dei sectari, statim possidere debeat terram lacte & melle fluentem, sed multa adhuc pericula maris, deserti, famis, sitis, frigoris, caloris, hostium, & id genus innumera perpetienda sunt. Deinde animaduertendum est ex hoc loco, quod quantumuis maxima pericula eueniant ambulanti in uocatione Dei, ea tamen non eueniunt inscio aut negligente, sed maxime omnium gnaro & pro suo modo, administrante Deo. Dicitur est (inquit) Pharaon super filios Israel. Coartati sunt in terra, conclusit eos desertum. Et indurabo cor eius ut persequatur uos,

Vocation. m
Dei comi an
tur afflictio
ner.

Vides Deum optime scire, & administrare ea pericula, quæ accidunt ambulanti in sua uocatione. Noli igitur in afflictionibus clamare, Deus nescit, Deus non respicit me, & si Deus mihi immitteret afflictiones, libenter ferrem. Nunc autem mali homines, aut demones, mihi eam immittunt, quomodo igitur possem ferre? Postremo obseruandum est, quod Deus tales afflictiones immittit per malos homines, non quod uelit populum ambulantiem in uocatione sua perdere, & aduersarios seruare, aut ipsis benefacere, sed potius, quod uelit nomen suum glorificare, hoc est, ostendere clementiam suam erga ambulantes in uocatione Dei, & potentiam ac seueritatem suam erga impios & aduersarios populi Dei. Glorificabor, inquit, in Pharaone, & in omni exercitu eius, scientque Aegyptij, quia ego sum Dominus. Quare tunc maxime speres propitium Deum, cum maxime imminet pericula, & sentias Deum non uelle tuum interitum, sed nominis sui gloriam, hoc est, clementiam erga te, ambulantiem in uocatione sua, & seueritatem erga impios persecutores.

ET CVM NVNCIATVM ESSET REGI AEGYPTI ORVM QVOD FVGISSET POPVLVS.)

Quod a Domino prædictum est, hoc euenit. Pœnitet Pharaonem dimisisse Israelitas. Quare persequitur ipsos instructo & potentissimo exercitu, certissima fiducia concepta, quod ne Deus quidem possit ipsos e manibus suis liberare. Hic ergo uide mihi in Pharaone impiorum ingenium. Pharaonem pœnitet dimisisse populum, hoc est, pœnitet obsecutum esse diuinæ uoluntati. Sic impij, etsi aliquando recte agere, uel minis uel supplicijs coguntur, tamen nacta oportunitate redeunt ad impietatem suam. Et cum deberet ipsos pœnitere impietatis, pœnitet eos potius pietatis, quod uel semel aut iterum uocationi Dei obsecuti sint. Quid autem hoc ingenio magis impium est? Iussit enim Deus ut agamus pœnitentiam iniusticiæ. Hi autem agunt pœnitentiam iusticiæ. Quare tanto magis impij sunt, quanto longius a uera pœnitentia absunt. Nam cur pœniteret eos boni, nisi quia bonum iudicant malum? Quæ autem ibi reliqua salutis spes est, ubi bonum, malum, & malum, bonum iudicatur? Ad hæc uides in Pharaone, quod longe alius sit euentus impiorum, quam sperent. Pharao egreditur cum exercitu instructissimo, & concipit in animo suo ingentem uictoriam, prædam & gloriam. Sed ecce proficiscitur in suum ipsius presentaneum exitium. Sic enim dicit Psalm. xxxvi. Vidi impiu superexaltatum & eleuatum sicut cedros libani. Et transiui & ecce non erat, quæsiui eum, & non est inuentus locus eius. Obseruabis & illud, quod quemadmodum Pharaonis res tunc in pessimo statu fuerunt, cum ab obedientia Dei, qua dimiserat populum Israel, relaberetur ad inobedientiam,

*Impioru spes
manifestissima.*

inobedientiam, ita pessime cum illis agitur, qui cum resipiscant a sceleribus, mox tamen in eadem scelera relabantur. Nouissima (inquit Christus) illius, fiunt peiora prioribus. Demon enim rediens in priorem suam domum, adducit secum septem alios demones se multo peiores. Et Petrus: Satiuse, inquit, fuisset illis, non cognouisse uiam iustitiæ, quam ubi cognouerunt, conuerti ab eo, quod illis traditum fuit, sancto præcepto. Verum accidit illis id quod uero prouerbio dici solet: Canis reuersus ad suum ipsius uomitum, & sus lota reuersa ad uolutabrum cœni &c.

Matth. 12.

a. Petri 2.

CVMQVE APPROPINQVASSET PHARAO, LEVANTES FILII ISRAEL.)

Habes hic hypotyposim miserabilis eiulatus inter Israelitas. Nam cum uiderent insequentem exercitum Pharaonis, alius clamabat ad Dominum, alius, eaq; maior pars populi clamabant ad Moysen, & exprobrabant ipsi, quod eduxerit ipsos ex Aegypto, & tantis periculis obiecerit. Hic primum uides naturam afflictionum & aduersitatum. Sicut enim ignis probat aurum, ita aduersitas probat corda hominũ. Deinde uides & eorum naturam, qui uocationem Dei sequuntur quidem, non autem ex uera fide, sed tantum uel ad aliorum exemplum, uel ex carnis licentia. Magna enim pars Israelitarum egressi sunt ex Aegypto, tantum ut haberent carnalem libertatem, & ut aliorum exempla sectarentur. Hos ergo, cum oriuntur afflictiones, poenitet uocationi Dei obsecutos, & inuehantur in Moysen. Sic qui sectantur Euangelion Christi, tantum ne uideantur cœles, & ut habeant licentiam carnis, tunc maxime omnium proscindunt conuiuijs Ecclesiastas suos, per quos a iugo humanarum traditionum liberati sunt, cum imminet propter Euangelion aduersa. Sic qui non ex uera fide, sed quia quærunt uoluptatem carnis, & sectantur aliena exempla, aut publicum morem, matrimonio, quod & ipsum est uocatio Dei, iunguntur, maledictaque uis in copulatores, paranympchos & suasores congerunt, cum matrimonij onera irruunt. Sed hæc conuiuia & maledicta non in homines tantum, uerum etiam in Deum ipsum redundant. Quis autem impune feret Deum conuiuijs & maledictis proscindens? Quare, ut in aduersis constes, & nec Deo nec hominibus maledicas, danda est opera, ut secteris uocationem Dei, non ex carne, aut alieno tantum exemplo, sed ex fide, & uerbo Dei, qui si in uocatione sua ambulanti aduersa immiserit, præclaram etiam salutem conferet.

Afflictionum

natura.

ET AIT MOSE AD POPVLVM: NOLITE TIMERE.)

Israelitæ maximo periculo comprehenduntur. Venerunt enim ad mare rubrum. Ecce autem crudelissimus tyrannus Pharaos persequi-

tur ipsos a tergo, exercitu instructissimo. A dextra uero & sinistra erant montes inuij, & inaccessi, a fronte erat mare rubrum. Et ipsi Israelite imbecilliores & desperatiores erant, q̄ ut auderent Pharaoni uio lenter resistere. Quantum igitur attinet ad externam rerum faciem, aetum erat de salute Israelitarum. Quid ergo fit: maior quidem pars Israelitarum desperant, & Mosen conuictis proscindunt. Quid autem Mose: num fugit ab Israele: Nequa q̄. Sic enim fugisset uocationem Dei. Num tumultuatur & ipse aduersus Israelem: Merebantur quide Israelitæ grauissimas increpationes & supplicia, propter importunã ipsorum incredulitatem, sed in tanto rerum discrimine maior erat ratio habenda Mosi, quid sui sit officij, & quid gloria Dei exigat, q̄ quid impij Israelitæ meriti fuerint. Quare Mose, quod solum in hoc periculo potuit, et debuit facere, concionatus est populo uerbum dei, & precatus est Deum, ut uerbum promissionis sue impleat. Nam cū Deus sepe alias promiserat, se liberaturum Israelitas ex Aegypto, & nomen suum in Pharaone illustraturum, tū paulo ante perspicue pollicitus erat se in hoc præsentis periculo seruaturum ipsos, dicens: Glorificabor in Pharaone, & in oī exercitu eius, scientes Aegyptij, quia ego sum Dominus. Primum igitur Mose explicat, repetit & inculcat populo suo hanc promissionem, & exhortatur ipsos grauissime ad fidem & constantiã animi. Nolite, inquit, timere. State et uidete salutem Domini, quam uobiscum facturum est hodie. Aegyptios em̄ quos nunc uidetis, nequa q̄ ultra uidebitis usq̄ in æternum. Dominus pugnabit pro uobis, & uos tacebitis. Paucissima, sed uehementissima & grauissima uerba. Nec aliud sunt q̄ explicatio & inculcatio prioris promissi. Glorificabor in Pharaone & in omni exercitu eius. Nam si Deus illustraturus est nomen suum in Pharaone & exercitu eius, certe aut in foedam fugam *uauu* quodam coniciet Aegyptios, aut repentina morte eos interficiet, aut grandine & fulmine eos opprimet, aut in aquis maris rubri suffocabit, ut Israelite, quos nūc uident Aegyptios, in æternum nunq̄ uideant. Habes igitur hoc loco exemplum, quod docemur in maxis q̄busq̄ periculis & extremis necessitatibus, q̄ non sit tutius asyllum, q̄ promissio Dei, quæ, ut fides conseruetur, & desperatio expellatur, ac uera salus acquiratur, explicanda, repetenda, iteranda, & inculcanda est. Sic Israel habuit promissionem dei aduersus hostes suos, quæ est Deut. cap. xx. Si exieris ad bellum contra hostes tuos, & uideris equitatum & currus, & maiorem q̄ tu habeas aduersarij exercitus multitudinem, non timebis eos, quia Dominus Deus tuus tecum est, qui eduxit te de terra Aegypti. Et mox: Nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos, quia Dominus Deus uester in medio uestri est, & pro uobis contra aduersarios pugnabit, ut eruat uos de pericu

Promissiones
Dei, asyllum
in omnibus
aduersis.

de periculo. Cum igitur Iosaphat rex Iuda (quemadmodum in secundo libro chronicā capite uigesimo scriptum est) a Moabitibus & Ammonitis ex improviso ita obrueretur, ut nihil aliud ipsi relinqueretur, quam ut oculos suos ad Deum dirigeret, excitauit Dominus Prophetam, qui in medio turbæ exclamans, promissionem Dei, in Deuteronomio scriptam, regi & populo explicat & inculcat. Hæc, inquit, dicit Dominus: Nolite timere, ne paueatis hanc multitudinem. Non enim est uestra pugna, sed Dei. Et mox: Non eritis uos, qui dimicabitis, sed tantum modo confidenter stete, & uidebitis auxilium Domini super uos. Hæc, si conferas, quid aliud sunt quam repetitio promissionis supra ex Deuteronomio recitata: Et cum hac promissione Iosaphat & populus eius in fide confirmarentur, tanta salus secuta est, ut Israelitis non pugnantibus sed cantantibus, hostes uicti, prostrati & profligati sint. Sic & Esaias capite xxx. reuocat eos qui confidebant in Aegyptum & equos, ad promissiones Dei, & addit: Si reuertamini & quiescatis, salui eritis. **IN SILENTIO ET SPE ERIT FORTITUDO VESTRA.** Proinde in periculis semper reuocandæ sunt promissiones Dei ob oculos, & si quidem proposita sunt externa et legitima organa, quibus pericula uitare licet, utendum est ipsis in fide, & faciendū est quod licet. Si autem nulla sunt proposita, & extrema necessitas imminet, tunc & nobis dicitur: Stete & uide te salutem Domini. Dominus pugnabit pro uobis, et uos tacebitis. In silentio & spe erit fortitudo uestra. Deinde, postquam Mose accendit in Israelitis suis fidem per promissionem Dei, uertit ipse sese ad orationem ex fide. Nam cum Dominus dicit: Quid clamas ad me? manifestum est Mosen ingenti clamore, non oris quidem, sed cordis Deū inuocasse, ut iam in extrema necessitate impleat qd̄ promisit, & glorificetur in Pharaone, iam cum Dominus hanc orationem exaudiuerit & gloriose impleuerit, quemadmodum mox sequitur, palam docemur hoc exemplo orationem ex fide profectam penetrare clamore suo nubes, etiamsi os non loquatur, & certissime impetrare, quod petit.

*Mosi clamor
ad Deum*

*Orationis
pie energiæ.*

LOQVERE FILIIS ISRAEL, VT PROFICISCANTUR, TV AVTEM ELEUA.)

Hic iam reuelatur excellissima & potentissima manus Domini. Nā recitantur ex ordine, tria miracula longe omnium maxima. Primum est, q̄ cum Aegyptij appropinquassent Israelitis, angelus Domini qui dirigebat columnam ignis & nubis, & precedebat castra Israel, sustulit sese cum nube sua, ac proripuit se inter castra Israelitarum & inter castra Aegyptiorum, que & ita inter se diuisit, ut Israelitæ quidem in nocte a parte sua lumen haberent, Aegyptij autem tam crassas tenebras, ut nullus alteræ noctu uidere potuerit. Et ex his tribus Pasukim,

*Miracula in
mari rubro:*

qui hoc loco scribuntur, Iudei miras superstitiones & fabulas confingunt de angelis. Colligunt ex literis horum Pasukim, septuaginta duo nomina angelorum, quæ uocant שם המפורש Schem hamphores, hoc est, expositum nomen tetragrammaton. Et dicunt, quod quicumque nouerit uirtutes horum angelorum, possit stupenda miracula per hæc nomina ædere. Ac fingunt etiam Dominum nostrum Iesum Christum cognouisse hoc nomen expositum, & uirtute eius miracula sua ædidisse. Sed ualeant superstitiones & figmenta Iudæorum: Nam Christus edidit quidem miracula sua diuina potentia, qua naturaliter præditus fuit, nunc autem Iudeorum non conueniunt, proinde sentiamus his tribus Pasukim recitari simpliciter, absque superstitione, miraculum angeli tollentis, & ponentis se inter castra Israelitarum & Aegyptiorum, quod quid præ se ferat mox explicabimus. Secundum miraculum est, quod ad eleuationem uirgæ Mosi super mare, uenerit ualidissimus uentus, qui aquas maris ita diuisit, ut ex utraque, a dextra et leua, starent quasi murus, & profundum maris uerteretur in siccum, & filij Israel pergerent per medium maris in sicco, & aquæ essent eis quasi pro muro a dextris & a sinistris. Tertium miraculum est, quod cum Aegyptij persequerentur Israelitas in mari, per angelum Domini ita pauefacti sint, ut mox in foedissimam fugam sese coniecerint, & cum Mose extendisset ad uerbum Domini uirgam suam, aquæ, liberatis iam Israelitis, ita in alueum suum reuersæ sint, ut operuerint omnes currus, equites, & totum exercitum Pharaonis, ut nec unus quidem ex ipsis superstes relictus sit, & Israelitæ uiderunt mortuos super littus maris. Hæc sunt stupenda miracula. Ex his ergo miraculis, glorificatum & illustratum est nomen domini in toto orbe terrarum. Primum quod sit Deus clementissimus & potentissimus adiutor suorum in necessitatibus. Deinde, quod sit seuerissimus ultor in eos, qui ex uerbo Dei non solum non resipiscunt, sed etiam uerbum & populū Dei persequuntur. Horum alterum, confirmare debet in nobis fidem in omnibus aduersis, ut uocationem Dei sine desperatione confidenter sectemur. Alterum debet in nobis excitare timorem Dei, ut in tempore resipiscamus, & uerbo Dei obediamus, ne sicut Pharaoni, repentinus nobis interitus obueniatur. Nam quod hæc tanta & tam stupenda miracula proposita nobis sint in hunc usum, explicat ipsa scriptura, cum supra dixit: Et scient Aegyptij, quia ego sum Dominus. Ac iterum: Timuit populus Dominum, ac crediderunt domino, & Mosi seruo eius. Et postea Iosue cap. iij. Siccauit mare rubrum, donec transiremus ut discant omnes terrarum populi, fortissimam manum Dei, ut et uos timeatis Deum uestrum omni tempore. Iam habes & hoc loco exemplum efficacitæ fidei. Sic enim ad Hebr. cap. xi. scribitur. Per fidem transiitun

Fides, quam
testis effica
cia.

transierunt rubrum mare ueluti per siccam terram, quod cum tentas-
 sent Aegyptij, absorpti sunt. Habuerunt enim Israelitæ uerbum Dei,
 uidelicet: Extende manum tuam super mare & diuide illud, ut gradi-
 antur filij Israel in medio mari per siccum &c. Quod uerbum, cum
 Mose & alij pñ in Israel, per fidem exciperent, & uocationem Dei se-
 ctarentur, mare ita diuisum est, ut Israelitæ illæsi pertransirent. Vi-
 des ea quæ alioqui fuerunt impossibilia, facta esse per fidem possi-
 bilia. Quare si uerbum diuinæ promissionis habueris, fac, fidem
 adhibeas, & secteris uocationem Dei. Sic enim nihil erit tam diffi-
 cile, quin credendo facile fiat. Amen dico uobis, inquit Christus, *Matth. 17i*
 si habeatis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, demigra
 hinc illuc, & demigrabit, neq; quicquam impossibile erit uobis. Mo-
 net etiam Paulus ex his locis, ut fugiamus carnalem securitatem, & *Securitas car-*
 quamuis e peccatis liberati simus per Christum, non tamen sentia- *nalis damna-*
 mus omnem iam salutem partam, nisi in sectanda uocatione Dei per- *tur.*
 seueremus. Sic enim scribit in priori epistola ad Corinthios capite
 decimo. Nolim uos ignorare fratres, q̄ patres nostri omnes sub nu-
 be erant, & omnes per mare transierunt, & omnes in Mosen baptiza-
 ti sunt, in nube & in mari. Et mox addit: Sed plures illorum non ap-
 probauit Deus. Prostrati sunt enim in deserto. Hæc autem figuræ
 nostri fuerunt, ne nos simus concupiscentes malarum rerum &c. Qua-
 re etsi nos transiuimus baptismum nostrum, qui est nostrum mare ru-
 brum, & sumpsimus ccenam dominicam, ac audiuius Euangeli-
 on de Christo, quæ sunt nubes nostra & columna ignis, nihilomi-
 nus tamen sollicite ambulandum est in uocatione Dei, ne cœlestia il-
 la bona, quæ per baptismum, ccenam Dominicam & Euangelion no-
 bis oblata & donata sunt, per inobedientiam iterum amittamus.

CAPVT XV.

QVod Israelitæ, submerso Pharaone & exercitu eius, incolumes
 ex aquis maris rubri euaserint, non stupendum tantum miracu-
 lum, uerumetiam ingens Dei beneficium fuit. Israelitæ enim necesse
 habuerunt per medium aquarum proficisci, & uiderunt crudelissimū
 hostem insequentem. Hoc quid aliud fuit, quam ambulare in media
 morte? Deinde euaserunt salui ex aquis, & uiderunt Pharaonem &
 exercitus eius aquis obrutos. Hoc certe nihil aliud fuit, quam ex ipsa
 morte in uitam excedere. Quare, ut pro tantis beneficijs gratias Deo
 referant, & animi sui gratitudinem declarent, cantant Domino Psal-
 mum seu carmen triumphale, quod in hoc decimoquinto cap. recense-
 tur: Hui, dices, quæ est comparatio carminis humana uoce decantati,

ad tam stupendum beneficium. Num tam mirabilia facta dei possunt humanis uerbis compensari? Nullum certe humanum uel dictum uel factum, uel uerbum uel opus, tam sanctum, tam preciosum, tam commendabile est, quod possit beneficijs dei dignas referre gratias. Sed cū humana imbecillitas, non possit eas referre gratias Deo quas uult, refert eas quas potest, & cantat in gloriam nominis Dei carmen eucharisticon, ut uel hac tantum re gratitudinem animi sui declaret. Et tamen, si rem probe perpendas, carmina, quibus animi gratitudo erga Deum significatur, sunt cultus Deo acceptissimus. De qua re postea dicemus. Nunc autē carmen Mosi explicabimus. Ergo, sicut Mose antea publicis & annuis cærimonijs, consecrauit memorię magna illa miracula, quæ tempore egressus ex Aegypto ædita sunt, ut horum miraculorum memoria, gloria nominis Dei illustraretur, & apud posteros conseruaretur, ita nunc publico carmine & sacro psalmo consecrat memorię stupendum illud miraculum, quod post egressum ex Aegypto, in mari rubro æditum est. Nam genus huius psalmi est *ἑγκωμιστικόν*, hoc est, laudatorium. Et pæcipuus eius status est commendatio nominis Dei a potentia, seueritate, & clementia. Hæc enim sunt nomina, hæc sunt epitheta, quibus maiestas Dei explicatur & illustratur. Inter innumera autem miracula quibus hæc epitheta Dei illustrantur, præcipuum locum obtinet miraculum illud, quod in mari rubro æditum est. Quare in hoc Psalmo miraculum illud multis uerbis describitur, & hypotyposi quadam ob oculos ponitur, ut memoria diligenter conseruatum, reddat epitheta Dei, quæ sunt potentia, seueritas & clementia, illustriora. Continet etiam hic psalmus prope in fine, precationem, aut, si mauis, prophetiam, uidelicet, quod cum Deus liberauerit Israelitas mirabiliter ex Aegypto & mari rubro, sit etiam ipsos secure ducturus ad terram promissionis, & ibi omnia, quæ promisit, instauraturus.

CANTEMVS DOMINO: GLORIOSE ENIM EGIT.)

Primus uersiculus continet breuissimis statum totius Psalmi, & probationem eius. Necessè est, ut commendem gloriam nominis Dei carmine. Quam ob causam? quia gloriose egit, quod tam potenter deiecerit in mare equos & equites Pharaonis. Hoc est, quod in toto Psalmo agitur. Commendatur enim nomen Dei, ab eo miraculo, quod factum est in mari rubro.

FORTITVDO MEA ET CARMEN MEVM.)

Quod breuissimis in primo uersiculo propositum est, hoc nunc per partes explicatur. Ac primum, hi duo uersiculi qui sequuntur, sunt expositio propositionis. Dominus (inquit cantator) est fortitudo mea etc. hoc est, Agnoscam nunc Dominum, pro fortitudine mea,

pro car

Psalmi gratitudinis testimonium.

Psalmorum canentis, cultus Deo gratissimus.

Psalmi conseruanti miraculorum memoriam.

pro carmine meo, pro salute mea, pro Deo meo. Re ipsa nunc competi, hunc Deum esse uere illum Deum, quem coluerunt patres mei, & uerum esse bellatorem, & in ipsum solum uere hoc nomen מררר competere, propterea quod constantissime seruat, quæ promisit. Quare quibus possum laudibus ornabo & exaltabo eum.

CVRRVS PHARAONIS ET EXERCITVM.)

Dixit antea se ornaturum laudibus nomen Dei. Explicat igitur nunc laudes Dei, & recenset miraculum, quod Deus in mari rubro edidit. Hoc enim miraculum illustrat potentiam Dei in omnibus creaturis, illustrat seueritatem Dei erga impoenitentes & hostes populi sui, illustrat clementiam Dei erga populum suum, illustrat etiam ueritatem Dei in promissionibus suis. Quid autem his uirtutibus laudibilibus, quid ornatius? Quod ergo dicit: Currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare &c. explicat potentiam Dei, qua tantus Pharaonis exercitus tam leui momento perijt: Vnde & addit: *Potentia Dei* Dextera tua Domine magnificata est, hoc est, Ex hoc admirabili facto manifestissima redditur potentia manus tue: Neque enim humana uirtute perijt Pharaon, sed tantum diuina potentia.

MISISTI IRAM TVAM QVAE DEVORAVIT EOS SICVT STIPVLAM.)

Audiuisti antea potentiam Dei, audi nunc seueritatem Dei. Nam quod Pharaon & exercitus eius tam horribiliter in mari perierint, ingens argumentum est, Dominum Deum nostrum seuerissimum esse ultorem in eos, qui uerbum & populum suum persequuntur. Obserua autem quod ira Dei conferatur igni, & hostes Dei, stipule. Quid autem citius absumitur quam stipula ab igni? Hac similitudine sepe uili sunt prophetae in describendo interitu impiorum. Ceterum, quod sequitur. Dixit inimicus, persequar & comprehendam &c. hypotyposis est securitatis & gloriationis Aegyptiorum, dum persequerentur Israelitas. Sed cum additur: Flauit spiritus tuus & operuit eos mare, submersi sunt quasi plumbum, perspicue docemur impiorum securitatem & gloriationem trahere post se repentinum interitum, & perpetuam ignominiam. *Seueritas dei*

QVIS SIMILIS TVI IN DIIS DOMINE.)

Conclusio est eius commendationis, quæ ducta est a potentia & seueritate Dei erga aduersarios suos.

EXTENDISTI DEXTERAM TVAM.)

Nunc commendat Psalmus Deum a clementia sua erga populum suum. Etsi, inquiens, extendisti dexteram tuam ac potentissime et seuerissime deiecisti Aegyptios, ac ita deleuisti eos in mari, perinde ac si terra subito deglutisset ipsos, dux tamen fuisti in misericordia tua populo quem redemisti. *Clementia dei*

ritatis est. Quod autem liberaueris populum tuum, clementie est, quem ideo liberaſti, ut iuxta promiſſiones tuas duceres ipſum ad habitaculum ſanctum tuum, ad terram ſanctam patriarchis olim promiſſam, ut ibi & publicam religionem, & ciuilem Rempubicam ad gloriam nominis tui inſtitueres.

AVDIVERVNT POPVLI ET COMMOTI SVNT.)

Hi uerſiculi qui ſequuntur, de formidine Philiſtinorum, Edomitarum, Moabitarum, & Cananorum, aut additi ſunt poſtea huic carmini a Moſe ſeu Iſraelitis, cum iam aliquot annis in deſerto ambulaffent, aut ſunt prophetia de futuris. Non enim fieri potuit, ut hec gentes ſtatim ab egreſſu Iſraelitarum e mari rubro, quo tempore hoc carmen conditum & cantatum eſt, famam huius miraculi acciperint, & timore contabuerint. Sed hec utcumque ſeſe habeant, certe quod in hoc pſalmo uerbis canitur, reiſa poſtea impletum eſt. In Deute. enim cap. ij. dicit Dominus, de Edomitis: Tranſibitis per terminos fratrum ueſtrorum filiorum Eſau, qui habitant in Seir, & timebunt uos. Ac mox: Hodie incipiam mittere terrorem atque formidinem tuam in populos qui habitant ſub oculo cælo, ut audito nomine tuo pauent, & in morem parturientium contremiſcant, & dolore teneantur, Et in Iofua cap. ij. Rahab ait: Irruit in nos terror ueſter, & elanguerunt omnes habitatores terre. Audiuiſimus quod ſiccauerit Dominus aquas maris rubri ad introitum ueſtrum &c. Quod ergo in hoc Pſalmo uel iam factum canitur, uel fiendum prophetatur, pertinet tam ad ſeueritatem quam ad clementiam Dei commendandam. Seueritatis diuine eſt, quod ſola fama gentes aduerſarias ita exterreat, ut animum de ſalute ſua deſpondeant. Clementie eſt, quod populum ſuum ita defendat, ut propter ipſum potentiſſimas gentes exterreat, ne aduerſus populum ſuum, uel hiſcere audeant.

IRRVAT SVPER EOS FORMIDO..

Precatio eſt, que excitata eſt ex commemoratione miraculorum, & nominum Dei. Quia enim Deus tam potens eſt, ut ſubmerſerit Aegyptios in mari rubro, tam ſeuerus, ut crudeliter perdiderit impios, tam miſericors, ut clementer hactenus ſeruauerit populum ſuum, Ideo confidimus fore, ut & perdat aduerſarios noſtros, et ſeruet nos, ac precamur, ut quod cœpit, in nobis perficiat, & territis omnibus gentibus, ducat nos in terram promiſſam, ut in ea Domino ſeruiamus, Dominum colamus, & gloriam Domini prædicemus.

DOMINVS REGNABIT PERPETVO ET VLTRA.)

Concluſio totius Pſalmi, qua breuiſſimis ſumma eius comprehenditur, uidelicet, quod Dominus ſolus, uerus, perpetuus, potentiſſimus, ſeueriſſus, & clementiſſus, rex ſit, idque adeo publice declarauit eo miraculo, quod Aegyptios in mare deiecit, & Iſraelitas per ſiccum maris incolumes eduxit.

SVMP

SVMP SIT ERGO MARIA SOROR MOSI.)

Exemplum uirorum sequuntur mulieres, duce Maria sorore Moysi, ac eundem psalmum tanquam ἐπιὶψάλμιον cantant in gratiarum actionem cum tympanis & choris. Quid igitur ad hæc dicemus? quid sibi uult psalmi huius cantus? num beneficia Dei compensantur carminibus humanis? num Deus delectatur laudibus uerborum humanorum? Quid ergo sibi hoc carmen uelit, audiamus. Primum, non est sentendum, quod Mose & soror eius Maria, ac cæteri Israelitæ cecinerint hunc psalmum, ut ex opere, quod uocant, operato, cultum Deo præstent, cuius merito compensent beneficium Dei, ac mereantur coram Deo gratiam & uitam æternam. Sic enim hypocrite, qui ueram religionem non intelligunt, canunt carmina sua. Deinde, Mose et Maria non sunt tam insipientes, ut existiment Deum deliniri per se humanis carminibus, & externis musicalibus organis. Hoc enim esset Deo affingere humanas aures, & carnales sensus, quod est Anthropomorphitarum. Sed canunt psalmum, ut, ad ostendendam gratitudinem animi sui erga deum, illustrent nomen Dei in toto orbe terrarum, et inuicent hoies ad ueram cognitionem Dei. Nam in hoc solo sita est hominis salus, ut cognoscat uerum Deum, & uerbo eius obediat. Hæc est (inquit Christus) uita æterna, ut cognoscat te solum Deum uerum, & quem misisti Iesum Christum. Non autem potest deus cognosci, nisi per fidem, nec potest quisquam Deo obedire, nisi ex fide. Fides autem non concipitur nisi manifeste cognoscatur potentia, seueritas, clementia & ueritas Dei. Hæc autem reuelantur per promissiones, per opera, per miracula Dei. Opera autem & miracula Dei commendantur, & illustrantur psalmis & carminibus. Quare cum psalmi inculcent nobis promissiones & miracula Dei, per quæ concipitur fides, quæ nobis salutem affert, sentiendum est, psalmos in hoc utiles esse, ut per ipsos uerè Deum cognoscamus, & salutem consequamur. Et hoc animo etiam Mose & Israelitæ suum psalmum publice cantandum instituunt, ut per commendationem nominis Dei fides, cognitio Dei, & salus contingat. Et in hunc finem psalmi usurpati, sunt cultus Deo acceptissimus, quemadmodum multis in locis psalmi Dauidici testantur. Domino enim acceptum est, miraculorum eius meminisse. At psalmi, sunt miraculorum diuinorum monumenta. Domino item acceptissimum est, commendare nomen ipsius a potentia, a seueritate, a clementia, a ueritate, & alijs id genus uirtutibus. At hoc psalmi diligenter faciunt. Domino gratissimum est, fidem concipere, Deum uere cognoscere, timere, uenerari, & ipsi obedire. Hæc autem per spiritum sanctum efficiuntur in nobis organo psalmorum, quemadmodum paulo ante indicauimus. Quare psalmorum tractatio est cultus Deo gratissimus.

Carminum
scorum uera
ratio.

Psalmorum
utilitas.

AMBVLAVERVNT TRIBVS DIEBVS PER SOLI
TVDINEM.)

Israelitæ ex Aegypto & mari rubro liberati, uidebantur iam omnibus pene malis defuncti. Sed ecce, postquam a mari rubro ad desertum uenerunt, confestim noua oritur calamitas. Ambulant enim tribus diebus, & non inueniunt aquam. Et cum post longam sitim inuenissent aquam in Mara, non potuerunt eam præ amaritudine bibere. Ergo ne Deus, qui liberauerat populum ex Aegypto & mari rubro, non potuit liberare ex siti? Absit. Non coniecit Dominus Israelitas in sitim, quia non potuerit mederi siti, in tempore, ac uel ex ipsiis petris aquam dare, quemadmodum postea fecit, sed quia uoluit tentare & probare eos, quanta fide, & quanta gratitudine miraculum in mari rubro editum conseruassent. Audierat quidem uerba Psalmi, quæ ad declarandam gratitudinem suam cantauerant, adeoq; tympanis & choris luserant, sed nondum uiderat facta, quibus fidem suam, per miraculum conceptam, & per psalmum excitatam ac conseruatam, declararent. Quare immittit in eos sitim trium dierum, ut experiretur num credant uere, se in siti a Domino conseruandos, quemadmodum antea in mari rubro conseruati sunt. Deinde coniecit eos statim post liberationem e mari rubro in grauissimam sitim, ut toti orbi proponat spectaculum solennis sue consuetudinis, qua in hoc seculo tractat eos, qui ambulant in uocatione sua. Sicut enim Israelitæ liberati ex Aegypto & mari rubro, non statim perceperunt fructum terre sue promissæ, sed subinde alijs atq; alijs calamitatibus obiecti sunt, & liberatio

*Calamitas dicitur
alia aliam trahit.* ex una calamitate non fuit nisi parasceue ad sufferendam alteram, eaq; grauiorem calamitatem, ita postq; nos liberati sumus per Christum ex peccato, & morte, non tamen mox sentimus fructum perpetue felicitatis in hoc seculo, sed subinde alijs atq; alijs afflictionibus obijcitur, ita ut liberatio ex una aut altera afflictione non sit liberatio ex omnibus afflictionibus, sed tantum preparatio ad patientiam maiorum afflictionum, quæ continue sese insequuntur, quamdiu in hoc seculo uiuimus. Vnde Paulus ij. Corint. i. ait: Acceperamus in nobis ipsis sententiam mortis, ne consideremus in nobis ipsis, sed in Deo, qua ad uitam suscitatur mortuos, qui ex tanta morte exiuit nos & eripit, in quo spem fixam habemus, q; & iam posthac erepturus sit &c. Quid hoc, quod dicit: In quo spem fixam habemus, q; & posthac erepturus sit, aliud significat, q; Deum liberare ex præcedenti afflictione, non ut amplius nihil aduersi patiamur, sed ut ea liberatione confirmemus fidem & spem nostram, ad ferendas sequentes afflictiones, & cogitemus ita: Deus liberauit me e presenti hoc periculo, ergo liberabit me etiam e futuro quantumcunque difficili, si modo perleuerem in uocatione sua.

tionem suam. Sic Dauid confirmat e prioribus liberationibus fidem suam ad sufferenda posteriora pericula. Leonem, inquit, & ursum interfeci ego seruus tuus: Erit igitur & Philistæus hic circumcisus, quasi unus ex eis. i. Regum. xvij.

ET MVRMVRAVIT POPVLVS CONTRA MOSEN.

Vide quam leui momento fides ex corde hominis excutiat. Israelitæ qui tot miracula in Aegypto uiderant, qui magnis miraculis ex Aegypto liberati erant, qui stupendo miraculo e mari rubro seruati erant, non ante multos annos, sed ante paucos adeo dies, postquam atque tantum penuria laborant, animum suum ita despondent, ut aduersus liberatorem suum Mosem murmurent, ac de salute sua plane actum esse clamitent. Qui ergo factum est, quod tam cito, & tam facile a fiducia erga Deum defecerint? certe hinc adeo factum est, quod in hac siti magis respexerint ad penuriam aquæ, quam ad promissiones & miracula Dei. Tunc enim excidimus a fiducia Dei in periculis, cum in præsentia tantum pericula, non item in promissiones Dei oculos defigimus. Quid igitur in periculis faciendum, ne a fiducia Dei deficiamus? Auertendi sunt oculi a sensu præsentium periculorum, & defigendi sunt in uerbum Dei, in miracula & exempla auxilij diuini. Ex his enim fides per spiritum sanctum ita confirmabitur, ut nullis arietibus concuti possit.

Fides conseruatur conspectu uerbi dei

AT ILLE CLAMAVIT AD DOMINVM.)

Murmurant Israelitæ impij, Mose autem pius clamat ad Dñm: In aduersis enim nullum est certius effugium, quæquam clamare ad Dominum ex fide. Quid ergo fit? Preces Mosi exaudiuntur. Dominus enim ostendit ei lignum, quod cum misisset in aquas, uerse sunt in dulcedinem. Sunt qui sentiant, lignum istud fuisse natura sua amarum, quo illustratus fieret miraculum. Sunt qui contra sentiant, lignum fuisse natura sua dulce, & reddidisse naturali dulcedine sua aquam potabilem. Vt cum que se hæc res habeat, certe illud ingens beneficium Dei est, quod in re desperata ostenderit remedium, quo insalubris aqua redderetur utilis. Vnde in monumentum huius beneficii, nomen loci dictum est מרי, hoc est, amaritudo. Ibi enim beneficio Dei uerse sunt amare aque in dulces. Ac Deus hoc beneficio ostendit, primum, quod non uelit derelinquere eos, qui ambulant in uocatione sua. Deinde approbat etiam naturalem medicinam, & significat eam esse donum ac beneficium Dei. Sic enim liber, qui inscribitur Ecclesiasticus docet: Altissimus (inquens) creauit de terra medicinam, & uir prudens non abhorrebit illam. Nonne a ligno indulcata est aqua amara: &c. Idem etiam significat Dominus, cum in hoc loco paulo post promittit seruantibus statuta sua, liberationem a languoribus Aegyptiacis. Et addit: Ego enim sum Dominus

Aqua amara in dulcem uersa.

Ecclesiast. 30.

medicus tuus, hoc est, Si obedieris præceptis meis, ostendam tibi in omnibus languoribus medicinam, sicuti nunc ostendi tibi lignum, quo medereris amaritudini & insalubritati aquarum. Postremo, si queris allegoriam, aquæ amaræ significant afflictiones, lignum dulce significat passionem & mortem Christi. Itaque si afflictiones te premant, immittas in eas mortem Christi, hoc est, credas morte Christi peccata tua expiata, & afflictiones sanctificatas esse, tunc nulla afflictio tam dura & amara est, quæ non mollescat & dulcescat.

IBI CONSTITVIT EI STATVTVM.)

Israelitæ non habuerunt proprias leges ciuiles in Aegypto, sed quia fuerunt serui Aegyptiorum, necesse habuerunt etiam Aegyptiorum legibus subijci. Nunc autem quia liberati sunt ex Aegypto, & uenerunt in desertum, incipit Deus populo huic proprias leges dare, ac Rempub. constituere. Tanta enim multitudo non potuit alia re in corpus unius populi coalescere, præterquam legibus. Nondum tamen proponit Deus perfectam & absolutam formam legum Israelitis, hoc enim postea faciet magnis miraculis in monte Sinai, sed proponit nunc quædam tantum rudimenta legum, ut paulatim assuefaciat ipsos ad obedientiam legum. Hoc enim est, quod dicit: Ibi tentauit eum, hoc est, proposuit leges quasdam ciuiles, ut probaret, num ferus ille, & alioqui indomitus populus, possit etiam legitimam formam Reipublice ferre, & ordinarijs legibus obedire. Et occasione eius medicinæ, quam ostendit in ligno, addit rudimentis harum legum, magnificam promissionem, dicens: Si audieris uocem Domini Dei tui, & quod rectum est coram eo feceris, & obedieris præceptis eius, custodierisq; omnia statuta illius, nullum languorem quem posui in Aegypto, super te ponam. Ego enim sum Dominus medicus tuus. Obseruanda promissio, quæ non tantum Israelitis, uerum etiam omnibus rebus publicis diuinitus ordinatis data est. Dicit enim: Si audieris uocem Domini Dei tui, & quod rectum est feceris, ac obedieris præceptis eius, ero medicus tuus. Non solum autem Resp. Israelitica, sed etiam omnes aliæ legitimæ Respub. constant diuinis legibus. In quacunq; enim Respub. positæ sunt tales leges, quæ non abhorrent a iure naturali, & uerbo Domini, ea Respub. approbatur a Domino, & leges eius non minus uocandæ sunt ordinationes diuinæ, quam leges ciuiles Mosi, ut Paulus Rom. xij. docet. Quare in quacunq; Respub. leges ciuiles diligenter obseruantur, huic etiam Dominus hoc beneficium præstat, ut homines uiuant in ea tranquille, & sano firmoque corpore, ac si quid morbi inciderit, naturalibus medicinis diuinitus ostensis curari possit.

Sanitas corporalis, legitimis rebus publicis promissa.

CAP V T XVI.

VENERVNT AVTEM IN ELIM FILII ISRAEL.)

Mansiones filiorum Israel requirendę sunt in Numeris cap. xxxij. In eo enim loco plene describuntur, & ex ordine. Hic autem o mittuntur interdum aliquaę mansiones, propterea q̄ Mosi in Exodo hoc præcipue cure sit, non quomodo mansiones Israelitarum ex ordi ne describantur, sed quomodo lex a Domino data sit. Vnde & omitti tur nunc post Elim, mansio quę fuit ad mare rubrum cuius meminit liber Numerorum. Non est autem intelligendum, q̄ Israelitę redie rint ad eum locum maris rubri, quo Pharao submersus est, sed quod uenerint ad finem quendam eius maris late sese diffundentis, aut ad lacum quendam, qui & ipse propter multitudinem iunctorum dictus sit mare רוד, hoc est, iunceum, quod nos rubrum uocamus. Vide Hieronymum in xxxij. mansionibus.

VBI DVODECIM ERANT FONTES.)

Tametsi Iosephus sentiat tam fontes q̄ palmas in Elim steriles fuis se, tamen quia scriptura tam diligenter meminit huius rei, & palmę præcipue in ijs locis crescunt, in quibus sunt aquę dulces, sentiendum potius est, Dominum duxisse Israelitas ad hunc amcenissimum & fer tilissimum locum, ut in exilio & calamitatibus deserti haberent recre ationem. Quo exemplo significauit Deus, q̄ quemadmodum Paulus ait, fidelis sit, qui non sinat nos tentari supra id quod possumus, sed faciat una cum tentatione euentum, quo possimus sufferre.

VENIT OMNIS MVLTVDO IN DESER TVM SIN.)

Duę sunt mansiones quę hoc nomine Sin uocantur. Altera scribi tur per Samech ס. Et hæc est octaua mansio, de qua in hoc capite. Al tera scribitur per Zadic צ, hæc est tricesima tertia mansio, & alio nomine dicitur Cades, de qua in Num. cap. xx. & xxxij.

ET MVRMVRAVIT OMNIS CONGREGA TIO FILIORVM ISRAEL.)

Antea defuit aqua, nunc deest panis. Iterum ergo murmur, iterunt tumultus, iterum conuicia aduersus Mosen & Aheronem oriuntur. Utinam, inquiunt, mortui essemus per manum Domini in terra Aegypti &c. Hic mihi uide q̄ grauius Israelitę peccent. Primum obli uiscuntur omnium beneficiorum & miraculorum Dei. Deinde pœ nitet ipsos obsecutos diuine uocationi. Utinam, inquiunt, mortui es semus in terra Aegypti, hoc quid aliud est, q̄ si dicerent pœnitet nos obediuisse uocationi Dei. Adhæc optant se in peccatis potius mortu

os esse, modo saturi diem suum obiissent, quæ in iustitia & obedientia Dei uiuere. Præterea desperant de clementia Dei, perinde ac si Deus nec uellet nec posset ipsis uictum in deserto dare. Postremo abnegant uerbum Dei, non uerentur publice affirmare, se non uocatione Dei, sed seductiõe Mosis & Aheronis in desertum uenisse. Cur, inquit, induxistis nos in desertum istud, ut occideretis omnem multitudinẽ fame? hoc est, Reipsa comperimus nos non uoluntate & mandato dei, ad hoc desertum uenisse, sed uestro tantum arbitrio & ambitione. Alioqui enim, quomodo sineret nos Deus perire fame? Hęc sunt grauissima peccata, quæ si explicueris, inuenies in ipsis extremam impietatem. Non existimes autem solis his Israelitis impietatem adheuisse, alios uero homines non ita impios esse, sed sentiendum est, eam impietatem, quę hoc loco ex Israelitis emicat, omnibus hominibus natura affixam esse, & naçta opportunitate erumpere. Natura enim omnes homines sunt filij ire, in peccatis concepti & nati. Et ut unus est Adam, e quo propagatur peccatum in omnes homines, ita est una caro oim hominum, similibus peccatis obnoxia. Quare, quemadmodum Israelite in fame dubitant de uocatione Dei, num mandato Dei ex Ægypto in desertum uenerint, & desperant de auxilio Dei, ex quibus rebus oriuntur blasphemie, conuitia, & omnia genera malorum, ita homines natura sua dubitant in afflictionibus, num Deo curę sint, num in uocatione Dei ambulent, ex qua dubitatione oritur desperatio, & uirulẽtia aduersus Deum & homines. Sic opifex damna accipiens, & infelicitè agens, non ueretur palam dicere: Satan coniecit me in hoc opificium. Sic coniunx molestias matrimonij sentiens. Quis Satan, inquit, impulit me in hoc genus uitæ? Quod de opificibus & coniugibus diximus, hoc etiã de omnibus alijs hoim generibus intelligendum est. Nam hęc exempli tantum gratia adduximus. Hac autẽ impietate ac desperatione nihil horribilius excogitari potest. Quid ergo fuisset Israelitis faciendũ, ut dominati essent impie sug nature, ac bene de Deo confisi essent? Non fuit aliud consilium reliquum, quæ ut reuocassent in memoriam promissiones patribus dictas, & uerbum Dei in Ægypto & in mari rubro maximis miraculis confirmatum. Ex his em̄ certificati fuissent, se non temeritate Mosis, sed uoluntate & uocatione Dei in desertum profectos. Vbi autem est uocatio Dei, ibi est benedictio dei, etiamsi maledictio ad tempus appareat. Ad eundem modum debemus & nos occurrere impietati carnis nostræ. Cum enim exurgit in nobis dubitatio, num in afflictionibus deo curę simus, arripendum est uerbum Dei, quo de uocatione nostra certificamur, capescente sunt promissiones Dei, quas Deus ambulanti in sua uocatione dedit. His rebus fieri solet, ut etsi naturalis impietas cordis nõ potest

impietati carnis quomodo occurrendum

penitus

penitus euelli, ita tamen refecetur, ut non in opera sua progrediatur.
 DIXIT AVTEM DOMINVS AD MOSEN: ECCE
 EGO PLVAM VOBIS.)

Hic est obseruabilis ille locus, in quo Deus promittit Manna de
 celo, & quod promisit, mox etiã re ipsa præstat, ac addit coturni-
 ces, ut Israelitę non panes tantum, sed & carnes habeant. Ecce ego (in-
 quit) pluam uobis panem de celo &c. Et postea: Dabit uobis Domi-
 nus uespere carnes edendas, & mane panes in saturitate. Ac mox: Fa-
 ctum est uespere, & ascendens coturnix cooperuit castra, mane quoq;
 ros iacuit per circuitum castrorum &c. Primum ergo, cibus, qui Israe-
 litis a Domino per quadraginta annos mittitur, uocatur *Manna*. Cũ
 enim Israelitę uidissent illud, dixerunt: Hoc est Man. Nam cum igno-
 rarent quid esset, aut quo noĩe uocaretur, dixerunt esse Man. Est aut̃
 in Hebræis idem quod constitutum, seu donum. Vocatur igit̃ Man-
 na, q̃ sit donũ Dei, de celo datum. Qualem aut̃ formam ac saporẽ ha-
 buerit, & quõ pistum ac coctum sit, scriptura in hoc capite, & in Nu-
 cap. xi. diligenter explicat. Deinde obseruandũ est, quam ob causam
 Dñs hoc miraculũ ediderit, & Israelitas quadraginta annis cibauerit
 celesti Manna. Est em̃ miraculum ualde memorabile, qd̃ & scriptu-
 ra frequenter inculcat. Ergo editũ est, non ut hoc miraculo commẽdet̃
 pietas & iustitia Israelitarũ. Fuerunt enim Israelitę impij murmurato-
 res, sed editũ est, ut illustraretur gloria noĩs Dei. Primum em̃ reuelat
 Dñs hoc miraculo, q̃ ipse solus sit uerus Deus, & non sit aliũ præter
 ipsum. Vnde ait Dominus: Vespere comedetis, & mane saturabimini
 ni panibus. Scietisq; q̃ EGO SVM DOMINVS DEVS VE-
 TER. Deinde reuelatur hoc miraculo, q̃ Mose non sua ipsius temeri-
 te & ambitione, quemadmodum Israelitę calumniabantur, sed uolun-
 tate & uocatione Dei eduxerit Israelitas ex Aegypto in desertum. Sic
 enim dicunt Mose & Aheron: Vespere scietis, q̃ Dominus eduxerit
 uos de terra Aegypti, et mane uidebitis gloriam Domini. Postremo,
 promittit, asseuerat, & confirmat Deus hoc miraculo, q̃ uelit oĩbus
 in uocatione sua ambulantibus sufficientem uictum dare. Et hunc u-
 sum istius miraculi spiritus sanctus diligenter commendat in Deute.
 capite octauo. Dedit, inquit, tibi cibum Manna, quod ignorabas
 tu & patres tui, VT OSTENDERET TIBI, q̃ non in solo pane ui-
 uat homo, sed in omni uerbo quod egreditur de ore Domini. Hoc ita
 intelligendum est, q̃ Deus miraculo Mannæ confirmet se sufficien-
 tem uictum daturum non tantum his, qui in tali genere uitæ uersen-
 tur, in quo panis facile parari potest, ut sunt agricultura, & aliq̃ id ge-
 nus ordinariæ & uulgares uocationes Dei, sed etiam his qui cuius
 uocationi Dei obediunt, etiamsi nihil minus uideatur, q̃ quod in ea

*Manna quid
sit.*

*Mannæ mira-
culi utilitas.*

*Victus unde
nobis prouea-
niat.*

possit sufficiens uictus parari. Talis est uocatio Israelitarum in deserto. Nam in deserto nihil potuit nec seminari, nec meti. Attamen Israelitæ sufficientem uictum habuerunt in deserto, quia ambulabant in ea uocatione, quæ egressa erat De ore Dei, hoc est, quæ constabat uerbo Domini. Talis uocatio fuit Eliæ, ad torrentem Carith. in. Reg. xvij. Erat enim publica fames, & ad torrentem nihil præter aquam, et amque minime diuturnam, inueniebatur. Elias tamen alitus est a domino, quia sectabatur eam uocationem, quæ egressa erat de ore Dei, hoc est, quæ constabat uerbo Dei. Talis fuit & uocatio Christi ad desertum. Dicit enim Euangelista: Subductus fuit in desertum a spiritu, ut tentaretur a diabolo. Etsi enim nihil alimentorum in deserto inueniebatur, tamen, quia Christus sectabatur uerbum spiritus, quod ab ore Domini egrediebatur, non periit fame quadraginta diebus et noctibus. Unde etiam cum Satan iuberet ipsum e lapidibus panes facere, quo famæ suæ mederetur, appellat Christus ad hunc locum, & respondet: Non in solo pane uiuet homo &c. Talis fuit uocatio apostolorum, quando emittebantur a Christo ad predicandum Euangelion regni Dei. Emittebat enim Christus Apostolos suos sine pane & sine pecunia, ac emittebat eos ueluti oues in medio luporum, attamen quia sectabantur uerbum, quod egressum erat ab ore Domini, tanta uictus abundantia contigit ipsis, ut ingenue confiteantur, sibi in ea legatione nihil unquam defuisse. Unde etiam dixerat eis: Primum quaerite regnum Dei, & hæc omnia uobis adicientur, hoc est, ante omnia date operam, ut queratis regnum Dei, ut adnuncietis Euangelion de regno Dei. Hæc enim est legitima uestra uocatio, quæ egressa est de ore Domini. Quod si feceritis, omnia ad uictum necessaria adicientur uobis. Talis est uocatio omnium eorum, qui uersantur in eiusmodi uite generibus, quæ natura sua non habent multos redditus, aut non afferunt magnam abundantiam uictus. Qualis est conditio seruorum, aut mercenariorum, aut tenuium opificum. Hi enim, etsi magno suo labore uix panem quotidianum parare possent uidentur, tamen quia uersantur in tali uocatione, quæ est egressa ab ore Domini, & sanctificata uerbo Dei, fieri non potest, ut fame intereant, modo uocationi suæ diligenter & ex fide seruiant. Huc facit, quod scribitur Psal. xxxvi. Iunior fui, & senui, & non uidi iustum (hoc est, sectantem uocationem Dei) derelictum. Miraculum igitur Mannæ alta mente reponendum est, ut discamus hominem non tantum uere ex his uocationibus, quibus panis facili opera paratur, sed etiam ex omnibus iilis uocationibus, quæ egrediuntur ex ore Domini, & sanctificantur uerbo Dei. Et cum hoc didicerimus, confirmabimus fidem nostram in afflictione famis, ut non despiciamus, nec aduersus Deum & homines debacchemur, sed in uocatione Dei ex fide, pergamus.

Quid

Quid autem illud sibi uult, quod Deus non prius promittit & præstat Manna, quam Israelitæ maxima fame crucientur? Cur non præuenit famem eorum? Sic enim multæ blasphemie & conuitia intermissa fuissent. Respondeo. Potuisset quidem Deus statim Manna dare, & famem præuenire, sed habet iustissimas causas, propter quas prius coniecit Israelitas in famem. Primum, ut quemadmodum in defectu aquæ, ita & in defectu panis experiretur, num Israelite uerbum Dei, & miracula eius uera fide reposuissent, et ut manifestum fieret, quid in corde ipsorum lateret, quo se ipsos agnoscerent. Mose enim in Deu. cap. viij. ita dicit: Adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum, et afflixit te penuria, ut tentaret te, ac nota fierent que in animo tuo uersabantur, utrum custodires mandata illius an non. Etenim, si dominus liberasset Israelitas ex Aegypto nulla immissa afflictione, & eduxisset eos per desertum in omni rerum abundantia & felicitate, certe nunquam agnouissent tantam lernam impietatis in corde ipsorum latere, sed existimassent se longe omnium sanctissimos. Nunc autem, quia tentati sunt siti, fame, & alijs calamitatibus, manifeste apparuit, corda ipsorum impietate plena esse, nec differre quicquam ab alijs gentibus, quantum quidem ad peccata attinet. Necessarium uero est, ut impietas cordis probe cognoscatur. Nisi enim cognoscatur, non queritur remissio impietatis. Vbi autem non queritur impietatis remissio, Peccati agnitione necessaria ibi manet impietas inexpliata, & affert perpetuam damnationem. Quare necessarium fuit, ut Israelite affligerent. Deinde distulit Deus Manna, & coniecit Israelitas in famem, ut palam declararet, Israelitas non sua uirtute, sed clemencia Dei liberatos ex Aegypto, & conseruatos in deserto. Nam Mose in Deut. ca. viij. ita scribit: Afflixit te & tentauit te, ut postea beneficeret tibi. Ne diceres in corde tuo, fortitudo mea & robur manus meæ hæc omnia mihi præstiterunt, sed recorderis domini Dei tui, quod ipse uires tibi præbuerit, ut impleret pactum suum super quo iurauit patribus tuis &c. Afflixit ergo dominus Israelitas fame, ut illustraret gloriam nominis sui, uidelicet, quod ipse sit Deus seruator in afflictionibus, & uerax in promissionibus. Proinde cum affligimur, sentiamus nos electos in organa Dei, per quæ gloria Dei illustretur. Postremo, affecit Deus Israelitas fame, priusquam Manna daret, & dedit postea Manna, ut toti orbi declararet se non affligere ut perdat, sed ut gloriosius seruet. Feramus igitur afflictiones patienter, ut per ipsas maiorem salutem consequamur.

lam, nec illud, prætereundum est, quod in promissione Manne scriptura toties inculcat, Dominum audiuisse murmurationes Israelitarum. Quid? num Deus excitatur impio murmure, ut beneficiat, & non potius ut irascatur & perdat? An non scriptum est, Deus peccatores non

impia murmurata exaudiuntur.

exaudit, & tota scriptura docet, pijs ac fidelibus precibus impetrandum, si quid a Domino impetrare uolueris. Cur ergo hic impia murmura exaudiuntur? Hæc res obseruatione digna est. Deus enim exaudit impias Israelitarum murmurationes, non quod approbet eas, & doceat in afflictionibus murmurare aduersus Deum, ut impetremus beneficia Dei. Abominatur enim Deus omnem impietatem, & fructus eius. Sed exaudit murmurationes propter alias quasdam causas. Primum, exaudit eas, ut illustret ueritatem promissionum suarum, uidelicet, quod tam seruans sit promissi sui, ut impleat ipsum, etiamsi omnes homines sint mendaces. Promisit enim Deus Israeli, se conseruaturum ipsos, si ex uocatione sua egrediantur ex Aegypto, & proficiscantur ad terram patribus promissam. Et generaliter promisit Deus salutem & corporalem & spiritualem omnibus uocationem suam sectantibus. Venerunt autem filij Israel ex Aegypto in desertum. Et quanquam impie murmurarent aduersus Deum & Moysen, tamen quantum ad ipsam profectioem attinebat, ambulabant in uocatione Dei. Promittit igitur Deus & prestat Manna, ne deficiant in uocatione sua, ut toti orbi testetur, se ueracem esse, etiamsi omnes homines sint mendaces. Vnde & Paulus Romanis scribens: Num (inquit) incredulitas illorum fidem Dei irritam faciet? Absit. Imo sit Deus uerax, omnis autem homo mendax. Et ad Timotheum: Si increduli sumus, ille fidelis manet, se ipsum negare non potest. Hoc autem diligenter obseruandum est, ut medeamur his tentationibus, quibus sollicitamur ad abiiciendam uocationem Dei, propter peccata nostra. Sunt enim, qui, etsi iuxta legitimam suam uocationem laborant, tamen desperant de uictu, propterea quod uideant se peccatores, & fatentur, genus quidem uitæ suæ placere Deo, sed ipsos propter peccata sua Deo displicere. Vnde abiiciunt laborem, & sectantur ignauum otium aut impia lucra. Sed ex hoc loco subueniendum est tentationi. Ac si quis ueram salutem desiderat, resipiscendum est a peccatis. Et tamen si reliquiæ peccatorum adhuc remanent, non est propter eas abiicienda uocatio Dei. Etsi enim homo peccator sit, tamen si ambulauerit in eo genere uitæ quod placet Deo, & quod est uocatio Dei, manebit Deus uerax, & seruabit promissa sua, quibus recepit se omnibus ijs, qui ambulant in uocatione sua necessaria uitæ daturæ. Deinde exaudit Deus murmurationes Israelitarum, ut ex antithesi commendet preces ex fide, & inuitet ad frequentiam precum. Nam si Deus tantæ est clementiæ, ut in afflictis etiam murmurationes exaudiat, quanto magis exaudiet preces ex fide factas? Huc pertinet parabola illa, quam Christus recenset apud Lucam capite undecimo, de amico postulante noctu panes. Et capite xviij, de iudice iniquo &c.

NON

NON EST CONTRA NOS MVRMVR VE
STRVM. SED CONTRA DOMINVM.)

His uerbis obiurgant Mose & Aheron Israelitas, propter impias
murmurationes, & ostendunt eis grauitatem impietatis suæ, ut refi-
piscant. Murmur uestrum (inquiunt) non est contra nos, quid enim
sumus? sed contra Dominum: Quis autem impune feret, murmurans
impie aduersus Dominum? Memorabilis obiurgatio, qua discimus,
quanta peccata sint, conuitia & blasphemiae eorum, qui aduersus ma- *Conuitia ad*
gistratus, ecclesiastas, preceptores, & patres familias suos, officia sua *uersus magi-*
gitime administrantes quidem, non tamen omnino & semper, ut sunt *stratum &*
homines, omnia prouidentes, uirulentis maledictis debacchantur. *ecclesiastas.*
Hæc enim maledicta, etsi in hominem tantum expui uidentur, re-
dundant tamen in Deum ipsum, cuius homo ille ordinarius & legiti-
mus seruus est. Sic ad Samuelem dicit Dominus: Non te sed me abie-
cerunt, ne regnem super eos. i. Regum. viij.

ISTE EST PANIS, QVEM DOMINVS VOBIS AD
VESCENDVM DEDIT, COLLIGAT VNVSQVIS ꝑ.)

Manna datur quidem ex clementia Dei, addit tamen Deus leges
quasdam, quæ in colligendo Manna obseruari debent. Prima est:
Colligat unusquisq; ex Manna, quantum sufficit ad uescendum, nem-
pe Gomor per singula capita. In fine autem huius capituli dicitur Go-
mor continere decimam partem Ephæ. Nostri putant Hebræis id
mensuræ genus Gomor dici, quod Græci χοίωνα uocant. Est autem *Chœnix;*
Chœnix, ea frumenti mensura, quam unus homo quotidie absumere
possit. De Gomor uero affirmat scriptura in hoc loco, quod hæc men-
sura statuta sit a Domino colligendæ uiridum Mannæ in singulos dies.
Secunda lex est, Nullus relinquat ex eo usq; ad mane. Tertia est: Die
sexto parent, quod inferant duplum, quàm colligere solent per singu-
los dies, ut septimo die sabbatum obseruetur. Ad quid ergo Domi-
nus has leges posuit? num ut operibus harum legum mererentur be-
neficium Mannæ? Nequaquam. Manna enim ante promittebatur, q̄
hæc leges statuuntur, & ante datur, quam obseruentur. Sed posuit eas,
VT TENTEM, (inquit) populum, utrum ambulet in lege mea an
non. Obseruabile dictum, ut ex ipso discamus cognoscere ueram ra-
tionem diuinarum legum. Solenne em̄ Dño est, ut gratuitis suis pro-
misionibus & beneficijs, addat præcepta. Sic, cum tribuisset Adamo *Leges adduntur promissio-*
beneficium paradisi, addit præceptum de non uescendo fructu ex ar- *onibus,*
bore scientiæ boni & mali. Sic cum educeret Israelitas ex Aegypto ad
terram Canaan, posuit legem per Mosen, quemadmodum sequentia
in hoc libro testatur. Sic cū promittit nobis & exhibet per Christum
remissionem peccatorum, & uitam æternam, addit mandatum de di-

lectione proximi, ut nos inuicem diligamus, sicut ipse nos dilexit, ut alijs sua errata remittamus &c. Quid ergo? num ponit leges post promissiones & beneficia, ut significet, opera legum esse merita diuinorum beneficiorum? Minime omnium, sed ponit eas, ut his operibus probet fidem nostram, ut probet obedientiam & gratitudinē nostrā, ut tentem (inquit) eum, utrum ambulet in lege mea an nō. Sed de causis ferendę legis, alias. Nunc redeamus ad has leges, quę de Manna positę sunt. Harę prima est, ut unusquisq; ex Manna tm̄ Gomor colligat per singula capita. Hęc lex uidetur obseruatu facillima. Sed ecce Israelitę statim uiolant hanc legem. Collegerunt enim alius plus, alius minus. Ac fuerunt fortassis aliq̄t, qui nullo malo consilio minus aut plus collegerunt. Sed ex sequentibus apparet multos fuisse, qui nulla habita ratione p̄cepti Dei, tm̄ ex incredulitate & auaritia plus alijs collegerunt. Timuerunt enim, ne Manna sequenti die deficeret, hoc est, non crediderunt p̄misioni Dei, qua Manna singulis diebus promissum erat. Hic ergo uide mihi miraculū Dei. Cum enim Israelitę metirent id, quod collegerūt, mensura Gomor, is qui plus collegerat, non habuit amplius, nec qui minus parauerat, reperit minus, sed singuli iuxta id q̄d edere poterant, habuerunt. Hoc miraculo testatus est Deus, suam cuiq; sufficientem mensurā uictus a Dño paratum esse, etiam si ex laboribus suis minus consequi posse uideatur. Etsi enim alij magnas opes possident, alij paupertate laborant, tm̄ quod ad fructū panis quotidiani attinet, non minus consequitur pauper e suo pane, q̄ diues e suo. Sustentatur huius, sustentatur & illius uita, ac, ut plurimum, maiori salute. Et pauper edit cibarium panem maiori uoluptate, q̄ diues phasianum. Quod igitur attinet ad fructum panis quotidiani, qui est, sustentatio uitę, & iucunditas, non minus consequitur paup e suo modico, q̄ diues e sua abundantia. Hortatur etiam Paulus nos ex hoc loco ad beneficentiam. Vestra, inquit, copia succurrat illorę inopię, ut illorum copia uestre succurrat inopię, ut fiat equalitas, quemadmodum scriptum est: Qui multum habebat, huic nihil superfuit, & qui paulum habebat, is nihilominus habuit &c.

victus equalitas in hominibus.

1. Corinth. 8.

Reponere frumenta num sit impium. Pro. 6. 30.

Secunda lex est: Nullus relinquat ex eo usq; ad mane. Sed nec huic Israelitę obedierunt. Quidam enim reposuerunt usq; mane. Deus igitur punit inobedientiam ipsorum miraculo. Coepit enim, quod repositū erat, scatere uermibus atq; computruit. Quid ergo, num ex hac lege arguemus non licere aliquid uel uini uel frumenti in alterę diem aut annū reponere? Nihil minus. Reponere enim aut uinū aut frumentum per se non est impium. Nam spiritus sanctus remittit nos per Salomonem, Prouer. vi. ad formicam: Vade (inquit) ad formicā, o piger, & considera uias, & disce sapentiā. Quę cū non habeat ducem, nec p̄ce

nec præceptorem, nec principem, parat sibi in estate cibum, & congregat in messe, quod comedat. Cum scriptura iubet nos exemplum prudentiæ sumere a formicis, certe approbat repositionem frumentorum. Vnde postea ca. x. dicitur: Qui congregat in messe filius sapiens est, qui autem stertit estate, filius confusionis. Sed & Dominus nostra ipsa naturæ ordinatione significat repositionem frumentorum esse rem non solum licitam, sed etiam ad conseruationem uitæ necessariam. Nō enim pluit Deus frumenta singulis diebus, quemadmodum Manna, sed dat nobis frumenta ex agris æstatis tantum tempore, non item hyemis. Qua re manifeste significat, frumenta quæ estate colliguntur, recondenda etiam esse in hyemem. Hoc igitur præceptum de Manna, quantum quidem ad τὸ εὐτὸν eius attinet, nihil ad nos. Fuit enim temporale & personale præceptum, quod datum est Israelitis, tanto dumtaxat tempore, quanto uescebantur Manna cœlesti, quod singulis diebus, præterq̄ Sabbato, in deserto per quadraginta annos de cœlo cadebat. Quod aut̄ ad significationem eius attinet, continentur in hoc præcepto nonnulla, quæ ad nostri doctrinam plurimum faciunt. Primum enim admonemur ex eo, ut abijciamus impiam sollicitudinem de crastino. Addidi, impiam. Non enim quæuis sollicitudo est impia. *Sollicitudo impia.* Necesse enim est unumquemq̄ in sua uocatione σπουδάζειν ἢ μεριμνᾶν, diligentem & sollicitum esse. Vnde & patrisfamilias officium est, de uictu familiæ suæ sollicitum esse. Sed impia sollicitudo est, de acquirendo uictu ita curare, ut interim legitimam uocationem Dei negligas, & uerbum Dñi uioles. Atq̄ hoc est, quod Christus ad discipulos suos, quos ad prædicandum Euangelion emiserat, dicit: Nolite esse solliciti in crastinum, hoc est, nolite intermittere uocationem uestram prædicandi Euangelij, sollicitudine quærendi uictus in crastinum, sed querite regnum Dei, hoc est, prædicate Euangelion regni Dei (hec enim est uocatio uestra) & oīa alia adijcientur uobis. Deinde, q̄ Manna repositum in alteri diem computruerit, docet nos, q̄ oīa ea, quæ colligimus, reponimus & conseruamus, contra uerbum aut præceptum Domini, sint coram Deo putrida & maledicta, nec unq̄ nobis in salutem cessura sint, ut exempli gratia, si quis colligit opes, per imposturas, hec opes maledictæ sunt, & scatent coram deo uermibus. Si quis ex auaritia nō iuuat egenum ex opibus suis, cum etiam sine damno suo possit iuuare, huius opes computrescunt coram Deo, & ita maledicuntur, ut in omnia infortunitatis genera auarum conijciant. Impartiamur igitur egenis liberaliter, ut quod reliquum est, benedicatur a Domino.

Tertia lex est: Die sexto parent, quod inferant duplum, quam colligere solent per singulos dies, ut septimo die sabbatum obseruet. Hæc lex commendatur duobus miraculis. Quorum alterum est, quod se

Sabbati confirmatio:

xto die Man non statim liquefiebat, donec pro uno quoq̄ duo Gormor colligerentur. Alterum, q̄ Man eo die in sabbatum reseruatum, non scatebat uermibus, nec computrescebat. Attramen Israelitæ ne sic quidem huic legi obedierunt: Egressi enim sunt quidam in die sabbati, ut colligerent Manna, sed non inuenerunt. Quare grauiter increpantur a Mose. Et his miraculis cõfirmatur obseruatio Sabbati, in politeia Mosaica. In Num. quoq̄ ca. xv. confirmatur Sabbatum seuerissimo supplicio, q̄ is, qui eo die ligna collegerat, afficitur. Quid ergo est, q̄ tanta seueritate obseruatio Sabbati exigit: num hoc ideo fit, q̄ hic dies per se sanctior sit coram Deo, q̄ alij dies? Nequaq̄. Et si em scribitur, quod Deus requieuerit septimo die, tamen Christus exponēs illud: Pater meus (inquit) operatur usq̄ nunc et ego operor. Sed exigitur obseruatio Sabbati, propter auditum uerbi Dei, quod ad cõseruandam ueram religionem, et concipiendam fidem ac salutem, predicatu necessarium est. Nam postea cap. xxxi. & in Ezech. cap. xx. ita scribitur: Videte ut Sabbatum meum custodiatis, quia signum est inter me & uos in generationibus uestris, ut sciatis, quia ego Dñs qui sanctifico uos. Dominus autem sanctificat per predicationem uerbi sui per quod operatur in nobis fidem, & oẽm sanctificationem. Quare obseruatio sabbati potissimũ propter predicationem uerbi dei, qd̄ in Sabbato publice tractari et explicari debet, exigitur. Idem de die

Dominica dies in Christianismo.

Dominica in politeia Christianorum sentiendum est. Nam quemadmodum Mose, qui est legislator Iudeorũ, uoluit ut omnia negotia ciuilia sabbato cederent, quo uidelicet otium esset audiendi uerbi dei: Non facies (inquit) in eo omne opus, tu & filius tuus, & filia tua, seruus tuus & ancilla tua, iumentum tuum & aduena, qui est intra portas tuas. Ita Romanus imperator, qui est legislator Christianorũ in Rom. Imperio, uult ut omnia ciuilia negotia Dominice diei cedant. Omnes (inquit) iudices, urbanæq̄ plebes, & cunctarũ artium officia uenerabili die solis quiescant. Et iterũ: Sit ille dies a cognitionibus alienus, præconis horrida uox silescat, respirent a controuersijs litigantes, habeant fœderis interuallum &c. Atq̄ hæc certe non ideo tam grauiter statuuntur, quod inter diem & diem superstitiose iudicandum sit, sed ut die Dominico tam publicum quam priuatum ocium esset tractandi & audiendi publice uerbi Dei, quod unum ad ueram fidem concipiendam, & salutem consequendam necessarium est. Fides enim ex auditu est. Auditus autem per uerbum Dei &c.

SVME VAS VNVM ET MITTE IBI MAN.)

Reponitur Man, ut posterius re ipsa uideant, quo cibo patres in deserto aliti sint, & agnoscant clementiam Dei, atq̄ obediant legi eius. De qua re uide Hebr. nono.

FILII AVTEM ISRAEL COMEDER VNT MAN
 QVADRAGINTA ANNIS.)

In Euangelista Ioanne cap. vi. confert Christus Manna secum ipso. Nam cum Iudei dicerent. Quod tu facis signum ut uideamus et credamus tibi; quid operaris; patres nostri manducauerunt Manna in deserto, sicut scriptum est: Panem de caelo dedit eis ad edendum, respondit Christus: Amen amen dico uobis, non Moses dedit uobis illum panem de caelo &c. Et mox: Patres uestri comederunt Manna in deserto & mortui sunt. Hic est panis ille de caelo descendens, ut ex ipso edat aliquis & non moriatur. His uerbis docet Christus discrimen inter Manna & seipsum, item inter liberationem Aegyptiacam, & liberationem, quae per ipsum facta est. Tametsi enim multi patres Iudei, qui comederunt Manna ex fide, seruati sunt in uitam aeternam, non tamen seruati sunt propter ipsum Mannae esum, neque enim Manna quicquam aliud conferre potuit, quam alimentum corporale, sed seruati sunt propter se-
*Manna cum
 Christo collatum.*

men Abrae, in quod crediderunt. Christus autem uerz illud Manna est, ex quo si quis edit, hoc est, credit, quod caro eius data sit pro uita mundi, & sanguis eius effusus sit in remissionem peccatorum, is habebit perpetuam uitam. Et tunc pluit nobis Manna illud, quod est Christus, cum Christus reuelatur. Reuelatur autem per praedicationem Euangelij, reuelatur item per distributionem coenae Dominicae. Quare quoties praedicatur Euangelion, & distribuitur coena Dominica, toties sentiamus nobis uerum & caeleste Manna pluere, quod fide exceptum, afferet nobis perpetuam uitam & foelicitatem. Et pluuia huius Mannae durabit per quadraginta annos, qui significant totum cursum uite huius seculi. Praedicatione enim Euangelij & distributio Sacramentorum durabit usque ad nouissimum diem in hoc seculo. Et sicut Manna defecit Israelitis, postquam uenerunt in terram Canaan, ita tum primum cessabit praedicatione Euangelij, postquam nouissimus dies reportauerit & reuelauerit nobis uitam aeternam.

CAPVT XVII.

IGITUR PROfecta OMNIS MULTITVDO FILIO
 RVM ISRAEL DE DESERTO SIN PER MANSIO-
 NES SVAS.)

Scriptura festinat ad describendam legislationem. Quare intermit tit aliquot mansiones, eas uidelicet, in quibus nihil memorabile gestum est. Nam si uolueris exactum numerum & ordinem mansionum habere, requirende sunt in Num. cap. xxxiij. Describitur autem in hoc cap, quid gestum sit in mansione Raphidim. Nam cum illic aqua deesset, ibi

tum populus iterum non aduersus Mosen tantum, sed etiam aduersus Deum ipsum insanit. Et in Mosen quidem inuehuntur, dicentes: Da nobis aquam, ut bibamus. Cur fecisti nos exire de Aegypto, ut occideres nos & liberos nostros ac iumenta siti? Aduersus Deum autem debacchantur, dicentes: Est ne Deus in nobis an non? hoc est, Quid nos inanibus uerbis de praesentia Dei & auxilio eius lactas? Si Deus eduxisset nos ex Aegypto, & nobiscum praesto adesset, qui fieret, ut tot obijceremur aduersis? cur toties siti affligeremur? Quare non credimus nec Deum nos ex Aegypto eduxisse, nec praesto adesse, nisi manifeste sese nobis reuelet, & palam, uel miraculo aliquo praesentiam suam declaret, & aquam nobis dederit. Haec est stupenda incredulitas, & horribilis tentatio Dei. Ac diligenter cauetur in scriptura, ne hoc grande scelus Israelitarum obliuioni detur. Primum enim ex hoc iurgio, & tentatione, publica nomina imponuntur loco huic, in quo facta sunt. Vocatur enim locus מַסָּה Massa, hoc est, tentatio, propterea quod tentauerint Dominum in eo loco. Et מֵרִיבָה Meriba, hoc est, contentio, propterea quod Israelitae contenderint eo loci cum Mose. Deinde fit mentio huius impietatis in ea lege, quae datur de non tentando Deo. Deut. vi. Non tentabitis, inquit, Dominum Deum uestrum, sicut tentastis in Massa. Et Psalm. lxxxiii. Non obduretis cor uestrum, sicut in Meriba, sicut eo die, quo fuistis in Massa, in deserto. Sic enim Hebraeus legit. Commemoratur & in alijs Psalmis, ut Psalm. lxxvij. & Psalm. cv. Quid ergo sibi uult scriptura, quod toties hanc impietatem Israelitarum inculcet? non delectatur ut carnali quadam libidine scelera hominum traducat? Minime omnium. Sed quicquid in hac re fit, spiritali consilio fit. Nam dum scriptura tam horrendam impietatem Israelitarum commemorat, huc praecipue respicit, ut commendet clementiam dei, & ueritatem diuinarum promissionum. Impietas enim Israelitarum, quae hoc loco designatur, maior & horribilior est, quam ut uerbis explicari queat. Et dignissimi fuissent propter tantum scelus, ad unum omnes perpetua internitione perire. Habuerunt enim manifestas promissiones Dei, magnis etiam miraculis confirmatas. Viderunt ipsi in Aegypto, in mari rubro, & in pluuia Mannae maxima quaeque miracula, quibus Deus praesentiam & gratiam suam manifestissime declarauit. Nihilominus tamen horum omnium obliti, cum siti afficerentur, contumeliosi sunt tam in Mosen, quam in Deum ipsum. Et quia non habent aquam, non putant se etiam Deum habere, cui salus ipsorum cure sit. Sed quomodo in tantam impietatem animaduertit Deus? num tonat & fulminat? num aperit terram, ut impios deglutiat? Nihil minus. Sed tolerat impietatem populi patientissime, & benefacit eis, ac dat ipsis aquam e petra mirabiliter, idque

*Massa meri
ba, locus ten
tationis &
contentionis.*

*Israelitarum
maxima im
pietas.*

ter, idēq; hoc consilio facit, ut perspicuum fiat, se in promissionibus suis ueracem esse, etiamsi omnes homines sint mendaces. Promisit enim Deus patriarchis, se liberaturum semen ipsorum ex Aegypto, promisit se omnibus in uocatione sua ambulanti- bus necessaria uitæ daturæ. Israelitæ autem erant semen Abrahæ, & ambulabant iam in deserto, ad quod ex uocatione Dei uenerant. Quare, etsi erant impiissimi nebulones, & indigni, quos terra ferret, præbet tamen Dominus eis cibū & potum, ut ueritatem uerbi sui confirmaret. Deinde proponit scriptura hanc Israelitarum impietatem, ut etiam nos discamus magnitudinem eius sceleris agnoscere, quod designamus, cum existimamus Deum nos derelinquere, cum afflictiones imminēt. Hæc impietas ualde uulgaris est, ut putemus Deum abesse, cum abest externa rerum benedictio, aut fortuna. Et quanquam habeamus manifestas promissiones Dei, easq; multis magnis miraculis confirmatas, tamen non credimus Deum in aduersis præsto adesse, & auxilium suum conferre, nisi miraculo a nobis præscripto sese ostendet, & manu, quod dicitur, sese tangendum præbeat. Quanto autem hæc impietas uulgarior est, tanto horribilior est coram Deo. Facit enim, quantum in ipsa est, Deum mendacem, aut externam rerum fortunam pro Deo adorat. Quid his impietatibus horribilius? Discamus igitur in Israelitis magnitudinem nostræ impietatis agnoscere, ut resipiscamus. Postremo proponit scriptura impietatem Israelitarum, ut cum occasione eius uideamus ingentem patientiam, bonitatem et longanimitatem Dei, discamus & nos uirtutem patientiæ & longanimitatis, ut quæ aduersum nos designantur, non persequamur summo iure, sed beneficiamus exemplo Dei nostri, etiam his qui nos uirulentis conuitijs insectantur.

CLAMAVIT AUTEM MOSE AD DOMINUM.)

Impij Israelitæ festinant in afflictionibus ad conuitia & blasphemias. Pius autem Mose festinat ad Dominum. Atq; hæc est certissima ratio consequendæ salutis. Quare quod querit Mose, statim etiam impetrat. Iubet enim Dominus Mosen percutere petram uirga sua, testibus senioribus Israel, & promittit aquam ex petra, quam & magna Aque ex petra miraculū copia præstat. Memorabile miraculum, cuius etiam scriptura in multis locis meminit. Idem autem usus eius est, cuius & ea miracula sunt, quæ supra commemorata sunt. Nam hoc miraculo declarauit Deus, se illum Deum esse, qui eduxerit Israelitas ex Aegypto. Declarauit etiã se ueracem esse in promissionibus, etiamsi homines mendaces sint. Declarauit item se non cibum tantum, sed & potum daturum omnibus in uocatione sua ambulanti- bus. Quibus rebus admonemur ad timorem Dei, ad fidem Dei & ad obedientiam eius. Nisi enim hæc ex miraculis didicerimus, nihil iuuat nos miracula scire aut meminisse.

IN CAPVT XVI: EXODI

Nam si Israelitis nihil profuit sine fide & obediētia ipse aque ē petra eductæ potus. Dicit em̄ Paulus i. Cor. x. Oēs eundem potum spiritualem bibebant. Sed plures illorū non approbavit Deus. Prostrati enim sunt in deserto, quanto minus nobis pderit, si hæc miracula audiamus absq; doctrina fidei, & obediētię. Ceterū Paulus hanc petrā de Christo exponit. Bibebant (inquiens) de spiritali, quę illos comitabatur, petra. Petra uero fuit Christus. Quibus uerbis ostendit Euangelion de Christo, & religionem Christianismi, non ijs tm̄ miraculis, quę in Euangelistis a Christo & Apostolis edita cōmemorant, sed ijs quoq; miraculis, quę in deserto edita sunt, confirmari, adeoq; eandē esse Patriarcharū & Christianorū religionem, uidelicet, q̄ uera salus non cōstet liberatione ex Aegypto, aut impio terræ Canaan, sed fide in Mesiam, quem Israelitæ adhuc in deserto ambulantes, & de petra aquam bibentes expectarunt, & quem nos iam aduenisse adoramus:

VENIT AVTEM AMALEC ET PVGNABAT CONTRA FILIOS ISRAEL.)

Vide, ut una semper afflictio aliam sequatur, in his, qui in uocatione Dei ambulant. Israelitę erant liberati ex Aegypto ab hoste crudelissimo, consecuti erant panem in deserto, bibebant & aquam ē petra, adeoq; uidebantur iam omnes fere afflictiones euasisse. Sed ecce statim obruuntur tam periculoso bello, ut extrema totius Israeliticę gentis internitio imminere uideatur. Nam Amalec (quę gens fuit de familia Esau, Gene. xxxv.) uidens Israelitas ex itinere defatigatos, fame et labore confectos, bellandi insuetos, ac propemodum inermes, inuasit quanta potuit crudelitate extremos agminis Israelitici (quemadmodum scribit Deut. xxv.) ut sic paulatim totum Israelis agmen deleret. Noua ergo calamitas, nouus terror in Israel oritur. Hoc exemplum alta mente reponamus, ut ex ipso corrigamus uanas nostras opiniones, quas de fœlicitate huius seculi cōcipimus. Nam qui serui sunt & pauperes, ac uix habent, quo possint fami et siti mederi, existimare solent se totam fœlicitatem consecuturos, si modo consequantur libertatem, & diuitias, unde uiuant. At proposuit Dominus exemplum in Israelitis, quo perspicue indicat, nullam esse firmam & solidam fœlicitatem in hoc seculo. Et si enim Israelitæ iam uindictati erant ē seruitute in libertatem, & habebant frumenta e cœlo, & aquam e petra, attamen tantis calamitatibus obruuntur, ut subinde ad seruitutem Aegyptiacam respicerent, ac eam præ libertate & diuitijs suis optarent. Quare abijce uanam illam opinionem, qua speras te firmam in hoc seculo fœlicitatem consecuturum. Sis autem contentus tua sorte, & obsequaris uocationi Dei, ut semper paratus sis, & ea facere quę Deus iubet, & ea patienter ferre, quę Deus ferenda imponit.

Sed au

Christus pe
tra spiritua
lis.

Amalecitarū
bellum aduer
sus Israelitas

Sed audiamus nunc, quid rerum in bello gestum sit. Mose enim ex mandato Dei iubet Iosua in instruere exercitum. Ipse autem & Aheron & Hur ascenderunt in montem uicinum, ut eleuata uirga Dei præcarentur Dominum pro uictoria. Ecce igitur ingēs miraculum. Iosua pugnat. Mose autem eleuat uirgam Dei, qua mare diuisum erat, in altū. Cum ergo Mose teneret manus cum uirga extētas, uincebat Israel. *Virgæ eleuatio parit Israëlitis uictoriā* Sin autē paululum remisisset, uincebat Amalec. Sed quia manus Mose grauiores erant, quā ut semper posset extētas seruare, ideo Aheron & Hur supponunt lapidem subter Mosen, ut in eo sederet. Ipsi autem sustentabant manus eius ex utraq; parte. Itaq; manus eius fiebant firmæ usq; ad occasum solis, donec Iosua coerceret Amalecitas ore gladij. Habes stupendum miraculum. Nemo autem existimet eleuationē uirgæ per sese tantum potuisse, ut opprimerentur Amalecites, sed uerbum Dñi, cuius mandato eleuata est uirga manibus Mose, potentia illa est, qua Iosua superauit Amalecitas. Sic Mose alias multa miracula edidit in Aegypto per hanc uirgam. Sic & diuisit mare, & eduxit aquā de petra per hanc uirgam. Et hæc miracula edidit, non potentia uirgæ, sed potentia uerbi Dei. Sic serpens æneus in deserto eleuatus sanauit infectos a serpentibus, non sua potentia, sed potentia uerbi Dei, quod serpens iussus fuit eleuari. Sic in Euangelio Christus reddit uisum cæco, malagmate ex sputo & luto facto, non potentia huius malagmatis per se, sed potentia Christi, qui est ipsum uerbum Dei. Quare sicut serpens æneus nullum postea sanauit, cum uerbum Dei ab ipso ablatū est, nec malagma e sputo factum cuiq; uisum reddit, ita nec uirga Mose, etiamsi adhuc reliqua esset, cuiq; uictoriā super hostes sine nouo & certo uerbo Dei conferret. Ergo, inquires, hoc miraculum nihil nobis proderit. Imo multum per omnem modum prodest. Primū enim Deus declarat iterum hoc miraculo, quod uelit in omnibus afflictionibus defendere & seruare eos, qui ambulant in sua uocatione. Deinde reuelat Deus potentiam uerbi sui. Etsi enim nihil nec ineptius, nec infirmius per se est eleuatione uirgæ ad reportandam uictoriā ex hostibus, tamen tam potens est uerbum Dei, ut quodcunq; arripuerit pro organo, efficax reddat ad exequendam omnem uoluntatem Dei. Hoc autē obseruandum est potissimum propter has causas, uidelicet, ut cum habuerimus uerbum Domini, interim autem careamus externis rebus, quibus seruari possemus, non despondeamus animum. Verbum enim Domini satis potens est ad seruandum nos, siue solum fuerit absq; externo adiumento, siue arripuerit organon & ineptissimū & infirmissimum. Est etiam hoc propter sacramenta nostra obseruandum. Hæc enim etsi in baptismo, aquam, rem non magni momenti, & in cœna Dominica, panem & uinum, quæ & ipsa non uidentur aliquam in se

*Oratio ex fi
de, quantum
habeat ener
gian.* Spiritualem salutem continere, habeant, tamen quia habent uerbum Domini, potentia sunt ad salutem omni credenti. Adhuc reuelat Deus hoc miraculo iram suam aduersus eos, qui molesti sunt ambulanti bus in uocatione sua, de qua re postea. Postremo adumbrat hoc mira culum potentiam orationis. Nam quod est eleuatio manuum cum uir ga, id est oratio ex fide & mandato Dei profecta. Et quemadmodum manus Mosi graues sunt, ita caro nostra torpet ac languescit in orati one, donec Christus, qui est petra spiritualis, orantem suffulciat, & Aheron ac Hur manus Mosi sustentent, hoc est, ministri uerbi Dei orantem confirmant promissionibus & Euangelio Dei. Et sicut uirga non tribuit uictoriam sua natura aut uirtute, sed uirtute uerbi Dei, ita nec oratio quicquam impetrat operis sui merito, sed impetrat prop ter promissionem Dei, seu Christum, quo omnes Dei promissiones sunt etiam & amen.

DIXIT AUTEM DOMINVS AD MOSEN, SCRIBE HOC OB MONIMENTVM IN LIBRO &c.)

*Amalecitarū
crudelitas, di
ligenter ad
notatur.* Quod Dominus Mosi præcipit de conscribenda & adnotanda crudelitate Amalecitarum, hoc Mose diligenter implet. Primum eñ ædificauit altare, cui nomen indidit, יהוה צבא Adonai Nissi, hoc est, Dominus uexillum meum. Vocatum est autem altare hoc nomi ne, ut & miraculum, quod hoc loco in coercendo Amalec editum est, in memoria conseruetur, & posterī admonerent hoc monumento, me moriam Amalec diuino mādato, & Deo ipso uexillifero ac protecto re delendam esse. Deinde, quod Mose hoc loco facit monumento alta ris, id etiam facit manifesto præcepto in Deute. capite uigesimoquin to. Memento, inquit, quæ fecerit tibi Amalec in uia, quando egre diebaris ex Ægypto, quomodo occurrerit tibi, & extremos agminis tui, qui lasi residebant, ceciderit, quando tu eras fame & labore con fectus, & non timuerit Deum. Cum ergo Dominus Deus tuus deder it tibi requiem, & subiecerit cunctas per circuitum nationes, in ter ra quam tibi pollicitus est, delebis nomen eius sub cælo. Caue ne ob liuiscaris. Postremo, quod tam monumento altaris, quàm uerbis præ cipitur, hoc re ipsa impletū esse testatur scriptura, i. Regum xv. Samu el enim dicit ad Saulem regem: Me misit Dominus ut ungerem te in Regem super populum tuum Israel, Nunc ergo audi uocem Domini: Hæc dicit Dominus Zebaoth. Recensui quæcunque fecit Amalec I sraeli, quomodo restitit ei in uia, cum ascenderet de Ægypto. Nunc ergo uade & percute Amalec, & demolire uniuersa eius. Non parcas ei &c. Et cum Saul contra mandatum Dei parceret melioribus ouibus, & regi Amalecitarum, audit. Pro eo quod abiicisti sermonem Domini, abiicit te Dominus ne sis rex &c. Quid autem obsecro sibi uult

uult tanta seueritas, q̄ Dominus non tantum iubet peccatum Amalec in perpetuam memoriam reponere, sed etiam uindicat illud in tertia & quarta generatione, & cum Saul non trucidaret ac deuastaret omnia Amalecitarum, decreuit Deus ipsum una cum familia sua e regno eijciendum. Quid significatne Deus iniuriam etiam inueteratam uiscendam esse? Minime. Deus enim prohibuit priuatam uindictam recentis, quàm inueteratæ iniuriæ. Sed significat hac seueritate sua, quàm graue peccatum, & quàm horribili supplicio puniendum sit, si quis misero & afflicto in uocatione Dei ambulanti addat nouam miseriam & afflictionem. Nam Israelitæ paulo ante euaserant ex uocatione Dei grauissimam seruitutem, & nondum recuperauerant uires tam duro itinere exhaustas, accesserat eodem fames & sitis, quæ paucis ante diebus torti fuerant. Vnde factum est, ut multi debiles & infirmi insequerentur exercitum eorum, in ultimo agmine. Amalecites aut addebant afflictis & miseris nouas afflictiones, & occidebāt debiles ac infirmos, quoscunq; in ultimo agmine nancisci potuerunt. Hæc est crudelitas immanissima, uidelicet, afflicto in uocatione Dei ambulanti, nouam afflictionem addere. Quare ut Deus grauitatem huius crudelitatis ostenderet, ac ut declararet, se talem crudelitatem semper seuerissime uindicaturum, iubet Moſen hoc peccatum Amalecitarum meminisse, & post multa tempora iubet Saulem totam gentem Amalecitarum delere. Sic Amos i. Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Gazæ, & super quatuor non conuertam eam, eo q̄ trāstulerint captiuitatem perfectā, concluderintq; apud Aedomitas, hoc est, q̄ exules Israelitas non modo non exceperint hospitio, sed etiam captos tradiderint Aedomitis, quod est exuli nouam miseriam addere. Quid ergo fiet eis? Immittam ignem intra murum Gazæ, ut deuoret palatia eius &c. Sic Matth. xviij. Qui offenderit, inquit Christus, unum de pusillis istis (hoc em̄ est miseriam miserie addere) qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collum eius, ac demergatur in profundum maris &c.

QVONIAM MANVS SOLIVS DOMINI ET BEL-
LVM DEI ERIT.)

Hebræus ita legit. Et dixit, quod manus super solio Dei, prælium Domini (futurum) aduersus Amalec a generatione ad generatiōem, hoc est, dixit, quod Deus iurauerit in solio gloriæ suæ (Leuare enim manus est forma iurantis, quemadmodum Gene. decimo quarto, & Exo. sexto habetur) se perpetuo bellaturum aduersus Amalec, donec deleantur. Sunt qui hunc locum aliter interpretentur. Sed hanc expositionem probat Chaldaeus paraphrastes.

CAPVT XVIII.

CVMQVE AVDISSET IETHRO SACERDOS
MADIAN AFFINIS MOSI.)

De Iethro supra capite secundo dictum est. Admirabitur autem quispiam, qui fiat, q̄ maiestas sanctæ scripturæ sese ad commemorandas tam humiles & abiectas res, ut uideatur, demittat. Describit enim in principio huius capituli, q̄ Iethro affinis Mosi, adduxerit Mosi uxorem suam cum liberis in desertum, quam Mose supra cap. iij. in patriam remiserat, describit etiã q̄ Mose obuiam processerit affini suo, q̄ salutauerint sese mutuo, q̄ Mose narrauerit affini, qd calamitatis acciderit Israelitis in itinere, quod seniores Israel conuiuati sint cum affine Mosi. Hęc certe uidentur multo humiliora, q̄ ut sacra scriptura in his describendis occupetur. Sed nihil est tam humile, quod manu spiritus sancti, cuius organon est scriptura, tractatũ non fiat splendidũ & utile. Ac primum cum recenset scriptura quod affinis Mosi adduxerit ipsi uxorem & liberos, quos antea ex itinere domum remiserat, docet Deum magno commodo id rependere, quod ad uocationem eius relinquitur. Mose enim reliquit uxorem & liberos, ac remisit eos ad patriam, ut expeditior sectaretur uocationem Dei. Nunc ergo reducit eos affinis Mosi, & restituit ipsi magno honore. Vnde & in Euangelio dicitur: Qui reliquerit agrum, domum, propter nomẽ meum, hoc est, propter uocationem meam, centuplum recipiet &c. Hoc autẽ ideo obseruandum est, ut si quando necesse habeamus aliquid relinquere ex uocatione Dei, non insaniamus, non lugeamus tanquam profus amittendum, sed relinquamus tanq̄ in manum Dei reponendum, & confidamus, tanquam maiori scẽnore recepturi. Deinde, q̄ Mose procedit obuiam affini suo, & adorat ac osculatur ipsum, exemplum est non solum ciuili honestatis, qua alter alterum honore præuenire debet, sed etiam maxime humilitatis in Mose: Etsi enim Mose ornatus erat clarissimo dono ædendorum miraculorũ, & gerebat magistratum super populum Dei electum, non tamen despicit præ se affinem suum, sed abiicit sese coram ipso tanq̄ multo minorem & contemptiorem. Memorabile exemplum, quo discendum est, ut quanto maiores sumus, tanto submissiores nos geramus. Arrogantia enim ex alto in imum deijcit, humilitas autem ex imo in altum erigit.

LAETATVSQVE EST IETHRO SVPER OMNIBVS BONIS QVAE FECERAT DOMINVS.)

Habes hoc loco exemplum, quod Deus habeat electos suos, non t̄m̄ in externa congregatione Ecclesiæ suæ, uerumetiam inter omnes gentes.

Scriptura, organon spiritus sancti.

gentes. Nam Iethro non est de externa congregatione populi Dei, & Electi Dei in omnibus gentibus. quanquam fortassis genus suum ducit ab Abraamo per Kethuram, ut est Gen. xxv. tamen non descendit per Isaac, cui data est promissio. Nihilominus uides ipsum hoc loco egregium ueræ pietatis testimonium habere, & audis honestissimam confessionem de Deo. Benedictus (inquit) Dominus qui liberauit uos de manu Pharaonis. Et mox: Nunc cognoui, quia magnus Dominus super omnes Deos &c. Idem exemplum habes in Melchisedec, Gene. xiiij. Item, in Naamano Syro, in Niniuitis. Quotquot enim sunt gentes in toto orbe terrarum, descendunt a filiis Nohe, qui & religionem patris sui sparserunt inter gentes. Et quanquam ex sacrificijs patrum ortæ sint idololatriæ inter gentes, tamen apparet ex his exemplis, quod Deus etiam inter eas gentes reseruauerit sibi multa millia, qui non curuauerunt genua sua ante idola. Nam postquam gentes multiplicatæ sunt, sparsit Deus populum Israel post captiuitatem Babylonicam, inter omnes gentes, ut hac occasione nomen Dei inter gentes prædicaretur, & uel saltem aliqui salui fierent. Quod autem dicitur Deum habere electos suos inter omnes gentes, non tantum in externa ecclesiæ congregatione, hoc non ita intelligendum est, quod iuxta referat hanc uel aliam religionem sectari. Vna Religio una salutis. Vna enim est uera religio, per quam consequimur salutem, uidelicet religio Patriarcharum, quæ est fides in Iesum Christum, extra hanc fidem nemo seruatur. Sed intelligendum est, quod in quauis gente reperiantur, quibus uerus Deus cognitus sit, & qui ueram fidem sectentur. Ut enim non omnes in externa congregatione Ecclesiæ saluantur, quia non uere credunt, ita nec omnes inter impias gentes damnantur, non quod impiarum gentium religio uera sit, sed quod inter eas reperiantur, qui non consentiunt in impietatem, & qui consequuntur ueram ueræ religionis cognitionem, per quam solam contingit nobis salus. Hoc ideo nobis adnotandum est, primum, ut sciamus Deum electos suos non in unam externam congregationem in hac terra cogere, quemadmodum sentiunt Sophistæ, qui omnes eos, quotquot non agnoscunt externos ritus Romanæ ecclesiæ condemnant. Deinde ut cognoscamus maiores nostros non ideo damnatos, quod ipsorum tempore Euangelion non fuerit tam perspicue predicatum, quam hoc tempore predicatur. Etsi enim impietas publice in Ecclesia inculcata est, potuerunt tamen, boni homines Christum uel e symbolo Apostolorum, uel e nudo Euangelij textu, & ipsa saltem passionis Christi historia cognoscere, & salutem consequi.

ACCEPIT ERGO IETHRO AFFINIS MOSI
HOLOCAVSTA.

Sacrificat Iethro Domino, quia fuit Sacerdos, & Aheron ac seniores

conuiuantur cum ipso. Quo loco describitur mutua leticia, inter Iethro & principes Israelitarum. Ac seniores hoc honore, quo afficiunt Iethro, declarant beneuolentissimum animum suum erga Mosen. Haec tenus enim Mose uarijs calibus ita iactatus est inter Israelitas, ut nullam unquam uel notam grati animi ab ipsis perceperit. Nunc autem Deus in tantis calamitatibus, praestat hoc beneficium Mose, quod principes Israelitarum certatim contendunt nullo non honoris genere affinem Mose afficere, tantum, ut erga Mosen animum suum declararent. Quod officium tanto gratius fuit Mose, quanto miserius haec tenus tractatus fuit ab Israelitis. Vides autem hoc exemplo, quod Deus hos qui perseuerant in uocatione sua, non sinat tentari supra id quod possunt, sed faciat una cum tentatione euentum, quo possint sufferre.

ALTERA AVTEM DIE SEDIT MOSE.)

Mose optimi magistratus exemplar. Ab hoc loco usque ad finem huius capituli describitur consilium Iethro in constituenda & ordinanda Reip. Israelitica. Mose enim administrauit haec tenus solus omnia magistratuum officia in Israel. Nunc Iethro consulit ei, ut populum distribuatur in suos ordines, & instituat tribunos, centuriones, quinquagenarios & decanos, ut hi in leuioribus causis iudicent, grauiiores autem referant ad Mosen. Et huic consilio obsequitur Mose, ac eam formam administrandae Reip. in Israel instituit, quam affinis eius Iethro adumbravit. In hac historia multa obseruanda ueniunt. Primum, uide mihi immensum laborem Mose, qui etsi nihil emolumenti e ducatu suo percepit, quemadmodum in Nu. cap. xvi. scribitur, tamen sedebat pro publico iudicio a mane usque ad uesperam, ut componeret controuersias populi, & conseruaret pacem ac tranquillitatem. Immane, quanto interuallo distent principes huius seculi a Mose. Deinde obserua modestiam Iethro, qui etsi uidebat Mosen nimiam suam diligentiam nec suo officio, nec populi tranquillitati recte consulere, non tamen reprehendit eum publice coram populo, causa nondum explorata, sed primum omnium inquit facti rationem, & postea reprehendit Mosen remotis arbitrarijs. Nec reprehendit tantum, sed addit etiam prudens consilium, de Reip. melius & tranquillius administranda. Sunt, qui intelligunt aliena errata, sed importune reprehendunt ea. Sunt qui opportune reprehendunt, sed stupidiores sunt, quam ut sano consilio subuenire queant. Iethro autem absoluuit omnes & modestiae & prudentiae partes. Proponitur ergo Iethro nobis in exemplum, ut discamus ex ipso, quod tunc liceat nobis aliena errata reprehendere, cum & erratum intelligimus, & modestiam sectamur, & prudens consilium ostendere possumus, quo erratum corrigatur. Adhaec uides hoc loco, nimiam diligentiam aequae erratum esse, ac torporem & ignauitiam. Non (inquit) bonam rem facis. Stulto labore consumeris tu & populus iste;

*Diligentia in
mia error.*

iste, qui tecum est. Ultra vires tuas est negotium. Solus illud non poteris sustinere. Vetus dictum est: Ne quid nimis. Quare ut cessatio & ignauia, ita etiam nimia diligentia officit rebus gerendis. Præterea, habes in hoc exemplo, Deum non omnia dona uni homini conferre, sed unicuique distribuere ea pro sua uoluntate. Mose fuit uir magnus, spiritu sancto præditus, & dono edendorum miraculorum ornatus, non tamen habuit per se tantum prudentiæ donum, ut institueret magistratus & iudices in Rep. sua. Iethro autem hoc dono præditus erat, sed interim alijs donis carebat. Quare nemo existimet se oia consecutum, etiamsi multis donis Dei præditus fuerit. Non potest, inquit Paulus, oculus dicere manui, non est mihi opus te, aut rursus caput pedibus, non est mihi opus uobis, imo multo potius, quæ uidentur membra corporis imbecilliora esse, necessaria sunt &c. i. Cor. xij. Deinde notabis ex uerbis Mosi, leges ciuiles & legitimas ciuiliū iudicū sententias esse ordinatiōes & sententias diuinas. In hoc em loco agit de controuersijs in rebus ciuibus. De his autē dicit Mose: Venit populus ad me, querens sententiā Dei. Cumque habuerit aliquā causam, ueniunt ad me, ut iudicem inter eos, & ostendā statuta Dei & leges eius. Hoc quid aliud significat, quā legitimas sententias iudicum de rebus ciuilibus, esse sententiās diuinas. Quare obediendum est his non tantum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Accedit huc, quod & hoc loco describantur conditiones bonorum iudicum & magistratum. Prouide, inquit, de omni plebe uiros graues, timentes Deū, in quibus sit ueritas, & qui oderint auaritiā. Hæ sunt conditiones, hæ sunt uirtutes, quas debent boni iudices & magistratus habere. Idem habes Deu. i. & xvi. Et ij. Chronicōn xix. Adhuc, quod Iethro ex Madian ueniat, & consulat Mosi, in constituenda Rep. Israelitica, confirmat fidem eorum, qui uocantur ad officia, ad quæ administranda sciunt se minime idoneos esse. Nam cum Mose ab initio uocaretur a Domino ad ducatum Israelis, & detrectaret hoc officium, propterea quod non esset idoneus, necesse tamen habuit uocationi obedire. Et ut officium suum recte administrare posset, primum quidem adhibuit Dominus ipsi Aheronem fratrem, dono eloquentiæ præditum. Nunc autem adducit ei Iethro affinem suum, qui habebat donum constituendę formæ in administranda Repub. Quare in capessendis negotijs ne diffidas de auxilio Dei, sed hoc præcipue cures, ut uocatio sit ex deo. Quid autē dicemus de maxima Mosi modestia? Hic enim etsi erat ornatus dono edendorum miraculorum, præditus spiritu sancto, electus in ducem populi Dei, & liberauerat iam populum ex Aegypto, ac duxerat in columem per mare rubrū, non tamen fastidit præ se consilium Iethro, cui consilio non solum obsequitur, uerū etiam mandat hoc negociū

*Leges ciuiles
ordinatio deū*

*Iudicum con-
ditiones.*

*Modestie ex-
emplum in
Mose.*

scriptis suis, & cum potuisset silentio gloriam huius rei sibi usurpare, mauult tamen eam in Iethro transferre. Memorabile exemplum, quo discamus & sanis consilijs, quamuis minorum libenter obsequi, & non alienis plumis nos uestire.

CAPVT XIX.

MENSE TERTIO EGRESSIONIS FILIORVM ISRAEL.)

Decalogi promulgatio.

Poenitentiae partes duae.

Pentecostes festum.

Accedit nunc scriptura ad describendum illud, quod non tantum est huius libri praecipuum argumentum, sed quod est etiam unum e maximis Dei operibus quae unquam in terris gesta sunt. Hoc autem est, promulgatio Decalogi, & aliarum diuinarum legum in Rep. Israelitica. Vox enim Dei bis tantum publice in orbe terrarum audita est. Semel in monte Oreb, in deserto Sinai, quando data est lex Mosi diuinitus. Et iterum, in monte Sion, hoc est, in Iudaea, & Hierusalem, quando Christus filius Dei praedicauit Euangelion suum: Ac de uoce dei, quae audita est in Christo Iesu, scriptura noui testamenti multa concionatur, quae nos est opus hoc loco commemorare. De uoce autem Dei, quae audita est in monte Oreb, & qua datus est Decalogus, qui est omnium moralium legum, epitome, ac legis naturalis breuis explicatio, in hoc loco clarissima & obseruatu dignissima traduntur. Et cum sint duae partes poenitentiae, qua peruenimus ad regnum caelorum: altera, agnitio peccatorum; altera, fides in Christum, quibus accedunt deinceps fructus poenitentiae, agnitio autem peccatorum ueniat per Decalogum, seu legem, & Decalogus explicet ueros poenitentiae fructus, necessarium est, ut quae de promulgatione Decalogi hoc loco describuntur, quanta uidelicet maiestate a Deo reuelatus, quantis item miraculis confirmatus sit, probe cognoscamus, & alta mente reponamus. Unde ad conseruandam tantae rei memoriam institutum fuit singulare festum in Israel, quod Pentecoste uocatur. Quinquagesimo enim die, (id quod nomen Pentecostes significat) post egressum ex Aegypto, promulgatus est Decalogus magnis miraculis. Primum ergo cum Israel mense tertio post egressum ex Aegypto uenisset in desertum Sinai, ad montem Oreb, & Moses ascendisset in montem, iussit Dominus Moysen prius explorare animum Israelitarum, num uelint leges eius suscipere, & formam Reipublicae quam praescripturus sit, obseruare, ac inuitat eos ad obedientiam, partim commemoratione miraculorum, quae antea in Aegypto & in deserto aedita sunt, partim beneficijs, quibus affecti erant, partim etiam renouatione ueterum promissionum. Vos ipsi, inquit, uidistis, quae fecerim Aegyptijs. Ecce miracula. Quomodo portauerim uos super

super alas aquilarum, & assumpserim mihi, hoc est, sicut aquila pro-
 uocans ad uolandum pullos suos, & super eos uolitans expandit alas
 suas, assumpserim uos et portauerim in humeris meis. Ecce beneficia:
 Si ergo audieritis uocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis
 mihi in peculium, prę cunctis populis. Mea est em̄ omnis terra. Pro
 peculio, Hebræus habet תֵּשֶׁבֶת quod proprie significat thesaurum ab
 alijs uulgaribus opibus selectum¹, ac tanq̄ præcipue carum, repofi-
 tum. Græci uocant κειμήλιον. Et est huius loci sensus. Et si omnes gentes
 in toto orbe terrarum meo imperio subiecti sunt, & mea administra-
 tione conseruantur, tamen uos Israelitas ex omnibus alijs gentibus, tã
 quàm peculiarem thesaurũ selegi, ut essetis custodes pacti & promissio-
 num mearũ, & conseruatores certitudinis eius familiæ e qua Chri-
 stus uenturus est. Sequitur: Et uos eritis mihi regnum sacerdotale &
 gens sancta, hoc est, instituem inter uos magistratum ciuilem, & sa-
 cerdotium ecclesiasticum, quibus rebus absoluitur uera & legitima
 Respub. Cum enim hæctenus fueritis serui, alieno imperio subiecti,
 & alienis legibus ac religionibus oppressi fuistis, nunc autem conser-
 uabo inter uos libertatem, & efficiam, ut quęcunq; tam ciuilia quàm
 ecclesiastica ad iustam & legitimam formam Reipub. pertinent, inter
 uos constituentur, & ordinentur. Eritis etiam mihi gens sancta, hoc
 est, uos Israelitas prę omnibus alijs gētibus sanctificabo, ut sitis is po-
 pulus, in quo conseruetur lex Dei, testamentum Dei, promissiones
 de Messia, & ex quo etiam Messias iuxta carnem uenturus est. Ecce re-
 nouatio promissionum, quæ antea etiam Patriarchis dictæ erant. Cũ
 igitur Mose hæc uerba retulisset ad maiores natu & ad populum, con-
 sentit totus populus in obedientiam legis, & promittit se eam legem
 & formam Reipub. suscepturum, quam Dominus præscripturus sit,
 dicens: Cuncta, quę locutus est Dominus, faciemus, hoc est, quęcunq;
 lex, quęcunq; forma Reipub: nobis diuinitus præscribitur, eam ca-
 psemus, & obediemus. Non enim hic agitur de priuata hominum
 obedientia, sed de publica legis receptione, iuxta quam tota populi
 Respub. administratur. Ceterum, hanc promissionem: Eritis mihi in
 regnum sacerdotale, & gens sancta, citat etiam Paulus in priori sua e-
 pistola, & transfert eam ad illos, qui credũt in Iesum Christum. Non
 significat autem, q̄ inter Christianos talis externa politeia instituen-
 da sit, qualis fuit inter Israelitas. Possunt enim Christiani oĩm genti-
 um, inter quas uiuunt, politia uti, modo ea sit iuxta rectam rationem
 constituta. Sed significat Iudæos abiectos, gentes aut electas esse in
 cõmunionem promissionũ Dei, ut sicut Deus instituit quondã exter-
 num imperium, sacerdotium, & sanctitatem in populo Israel, ita insti-
 tuerit nunc per Christũ spirituale regnum, sacerdotiũ & sanctitatem

inter gentes, uidelicet, ut quotquot in Christum credunt, fiant per eum
dem omnium bonorum Christi participes. Nam qui proprio filio
non pepercit, quemadmodum Paulus ait, sed pro nobis omnibus tra-
didit illum, qui fieri posset, ut non & cū eodem nobis omnia donet.
Christus autem est cœlestis rex, perpetuus sacerdos, & solus uere san-
ctus, qui solus legem perfecte impleuit. Quare omnes Christiani fi-
unt propter Christum reges, sacerdotes et sancti. Reges, quia propter
Christum dominantur peccato, morti & inferno, ac fruuntur perpe-
tua felicitate regni cœlorum, Luc. xxi. Dispono uobis regnum, in-
quit Christus, sicut pater meus disposuit mihi. Huc alludit & nomen
Christiani, quod si probe interpreteris, sonat Regium. Christi enim
reges dicti sunt, ab unctione, unde Christiani, Regij dicuntur. Sacer-
dotes, quia cum credunt in Christum, offerunt Deo sacrificium Chri-
sti pro peccatis suis, & habent libertatem inuocandi Deum per Chri-
stum. Sancti, quia per fidem in Christum non aliter coram Deo repu-
tantur, q̄ si ipsi impleuissent legem, sicut Christus eam perfecte im-
pleuit. Et hæc quidem ita sese habent. Deinde, cum populus consen-
sisset in obedientiam, reuelat Dominus modū, quo sese sit manifesta-
turus, & cum Mose ita locuturus, ut non Mose tantum, sed etiam om-
nis populus, audiat uocem & uerba Dei loquentis. Iam nunc, inquit,
ueniam ad te in caligine nubis, ut audiat populus me loquētem ad te,
et credat tibi in perpetuum, hoc est, Elegi te in legislatorem populi
Israelitici. Neesse autem est, ut legislator habeat apud populum suū
autoritatem & fidem. Quare cum antea parauerim tibi ex miraculis
autoritatem, parabo nunc tibi fidem in populo tuo, ut credant legem
quam per te daturus sum, uere diuinam legem esse. Non enim mani-
festabo me ipsum soli tibi, nec colloquar tecum solo te audiente, sicut
hactenus factum est, sed reuelabo me ipsum stupendo tumultu, in ca-
ligine nubis, & colloquar tecum, ac recitabo tibi Decalogum, ut om-
nis populus audiat uocem ac uerba mea. Quo miraculo tantam tibi fi-
dem parabo in populo tuo, ut eam legem, quam post Decalogum da-
turus sum, certissime agnoscant, diuinam esse legem. Ceterum, quod
hic promittitur, tertio statim die maxima maiestate impletur. Postre-
mo, priusquam aduenisset tertius dies, quo maiestas Dei reuelanda,
& concio Dei publice audienda erat, sanctificatur, hoc est, preparatur
populus, duobus diebus, ut maiori obseruantia uocem dei exciperet.
Preparatur autem primum lotione uestimentorum, deinde etiam con-
tinentia ab uxoribus: Hæc est externa disciplina, quam pædagogiam
uocant. Et si enim illota uestimenta, et legitimus ac moderatus usus cō-
iugij neminem per se coram Deo prophānant, publica tamen hone-
stas (quam & ipsam Deus requirit) exigit, ut in publica hominum
congregatione

congregatione mundis uestibus incedas. Et Paulus monet, ut contu-
 ges sint continentes pro tempore, ut uacēt ieiunio & precatiōni, quan-
 to magis decebat Israelitas eo tempore continentiam sectari, quo præ-
 parabantur ad uidendam maiestatem Dei, & audiendam talem conci-
 onem, qualis publice in terris nunquā audita fuerat. Adhæc necesse fu-
 it, ut Decalogi promulgatio, quæ magna maiestate futura erat cerimo-
 nijs quibusdam ac externis ritibus rudī populo commendaretur, quo
 diligentius uocem Dei obseruaret. Ceterum pædagogiam externę pu-
 ritatis & continentię in faciendis sacris non esse per se superstitionē,
 sed diuinam ordinationem, ad quam obseruandam naturali ratione
 diuinitus excitata ducamur, testantur etiam Poetæ, gentium Theolo-
 gi, quorū ingenio declarauit Deus, non quidem quæ sit uera religio,
 hæc enim e sacris literis petenda est, sed quæ sit naturalis honestas aut
 inhonestas. Hesiodus ait: μήδ' αἰδοῖσθα γονεῖ πειπαλαγμένους ἐνδοθεὺν ὄϊκου, Ἐ-
 σὶν ἑμπελαδ' ὄν παραφάνεμεν ἀλλ' ἀλέασθασι. Et alius: Discedat ab aris, Cui
 tulit hesternæ gaudia nocte Venus. Habent autem hi ritus, uidelicet
 lotio uestimentorum, & abstinentia ab uxoribus, suam quoque signifi-
 cationem. Adumbrant enim & admonent, neminē posse legem Dei
 audire, ac perfecte implere, nisi omnino purum, sanctum, & ab omni
 immunditia alienum. Nam si quis impurus fuerit animo, tantum ab-
 est ut perfecte legem Dei impleat, ut potius a lege irritetur, maledica-
 tur, condemnetur & occidatur. Porro occasione horum rituum, qui-
 bus Israelitæ ad audiendum Decalogum præparati sunt, existimo ma-
 iores nostros consecrassē duos dies, feriam sextam, & sabbatum, ante
 Dominicum diem, publicę sobrietati. Die enim Dominico solet po-
 pulus publice conuenire ad audiendum uerbum Dei. Quare, etsi su-
 perstitio in obseruando discrimine dierum semper improbanda est,
 publica tamen pædagogia necessaria est, ut homines sobrietate reddā-
 tur aptiores ad audiendum uerbum Dei, & ut maiestas uerbi Dei di-
 ligentius rudī populo externis quibusdam ritibus commendetur.

*Dominicus
 dies in Chri-
 stianismo.
 Pædagogia
 necessitas.*

Cæterum, præter lotionem uestimentorum, & abstinentiam ab ux-
 oribus, seuerissime præcipitur Israelitis, ne quis eo tempore, quo uox
 Dei personat, in montem ascendat. Constitues, inquit, terminos po-
 pulo per circuitum, & dices ad eos: Cauete ne ascendatis in montem,
 ne tangatis fines illius. Omnis qui tetigerit montem, morte morietur
 &c. Et ut seueritas huius præcepti magis commendetur, non cōtentus
 est Dominus hoc præcepisse ante tertium diem, sed repetit & inculcat
 idem præceptum tertio etiam die, cum iam Mose ex uocatione eius ad
 montem ascendisset. Descende (inquit) et contestare populum, ne for-
 te uelit transcendere terminos ad uidendum Dominum, & pereat ex
 eis plurima multitudo &c. Quid ergo sibi uult tanta huius præcepti

seueritas? Certe si rem diligenter perpenderit, inuenies Dominum hoc precepto curiositati Israelitarum obuiam iuisse. Dominus enim non uoluit hoc loco similitudinem aliquam corporalem, aut imaginem populo demonstrare, que ad colendum deum usurparetur, sed uoluit reuelare sententiam animi sui, & manifestare uocem suam, ex qua cognosceretur, quid recte agendum sit, ut seruiamus Deo. Vnde in Deu. cap. iij. dicitur: Non uidistis aliquam similitudinem, in die qua locutus est uobis Dominus in Oreb, de medio ignis, ne forte decepti faciatis uobis sculptam similitudinem &c. Homines autem eo ingenio naturaliter preediti sunt, ut magis scrutentur essentiam & formam Dei, quam uoluntatem & uerbum eius. Qua re fieri solet ut euanescant in cogitationibus suis & pereant. Neque enim est homo, qui possit in hoc seculo essentiam & formam Dei perfecte cognoscere. Mandat igitur Dominus Israelitis seuerissime, ne quis in montem ascendat, ut hoc mandato auocet ipsos a curiositate inuestigande essentie ac forme Dei, & assuefaciat ipsos audire potius que sint uerba & mandata eius, quam scrutari, que sit forma eius, ac obseruare magis, quid Deus loquatur, quam quomodo loquatur. Idem significauit angelus cum Iacobo luctatus: Cur quæris, inquit, nomen meum, quod est admirabile? Genesis xxxij. Et angelus colloquens cum Manoah, Iudic. xij. Idem etiam significauit Deus cum supra ad Moysen diceret: Ego ero, qui ero. Idem & nobis dictum preceptum uel esse sentiamus. Non enim uult Deus, ut essentiam eius in hoc seculo inuestigemus. In futuro enim seculo uidebimus eam, sicut est, facie ad faciem. Nunc autem inuestiganda est uoluntas eius, que nobis uerbo ipsius reuelatur. Et huic uoluntati est obediendum. Sic enim fiet, ut tandem Deum perfecte cognoscamus.

IAMQUE ADVENERAT TERTIVS DIES ET MANE INCLARVERAT.

Aduenit expectatus dies, quo Deus de celo descendit, & loquitur cum Mose publice audiente tota populi multitudine, quale negotium antea in terris nunquam neque uisum neque auditum est. Spectaculum autem, quod tertia die reuelatur, ita sese habet. Cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem. Et clangor uehementis buccinæ perstrepebat, ac paulatim crescebat in maius, totusque mons fumigabat, ita ut ascenderet fumus ex eo quasi de fornace, adeoque totus mons tam terribilis apparebat, ut etiam in castris suis Israelitæ præ timore tantum non contabescerent. Hac autem horrenda maiestate descendebat Dominus de celo, & recitabat postea Decalogum, qui mox sequitur, audiente omni populi multitudine. Primum igitur obserua probe cautum & munitum esse, quod hoc spectaculum non fortuna quadam contigerit, sed uere diuinitus factum sit,

ne quis

*Voluntas, non
essentia Dei
inuestiganda*

ne quis Epicuri de grege porcus impie calumniatur Mosen finxisse congressum cum Deo, quo commodius persuaderet rudi populo, ut capesseret legem suam, quemadmodum literæ Ethnicorum testantur fecisse Zaleucum, Zoroasten, Minoa, Numam Pompilium, & alios legumlatores. Nam, quod ad autoritatem Mosi attinet, ea iam multis miraculis, & publico omnium gentium testimonio confirmata est, quemadmodum supra ostendimus. Quod autem attinet ad hoc spectaculum, de quo nunc agimus, primum ipsa prædictio ante tres dies, & preparatio populi probat non fortuitum, sed diuinum fuisse, deinde non unus tantum Mose, sed tota Israelitarum multitudo, quæ erat, sexcenta millia uirorum præter paruulos & mulieres, audiuit perspicue Deum colloqui cum Mose, adeoque audiuit ipsa uerba Dei recitantis Decalogum. Quare Mose nequaquam conferendus est cum alijs legumlatoribus, & impium est sentire Mosen finxisse colloquium cum Deo, ut rudi populo imponeret. Alij autem legumlatores, in hoc quidem non errauerunt, quod retulerint leges suas in auctore Deum. Leges enim sunt donum Dei, & Resp. diuinitus constituuntur. Sed in hoc errauerunt, quod cum cognouissent Deum, non glorificauerunt ut Deum, neque grati fuerunt, sed frustrati sunt per cogitationes suas, transtuleruntque gloriam immortalis Dei, & coeleste donum legis in fictitious deos, alius in Saturnium, alius in Iouem, alius in Mercurium, alius in aliud idolum. Atque hæc demum uera est impietas, maiestatem Dei transferre ad humana figmenta. A qua impietate tantum absfuit Mose, quam illi legumlatores Ethnicorum a uera pietate absfuerunt. Deinde, quod scriptura dicit Dominum descendisse super montem in igne, non est sentiendum, Dominum pro more hominum ascendere & descendere. Est enim Dominus ubique. Sed dicitur descendisse in igne, propterea quod manifestauerit præsentiam suam fulguribus, tonitruis, densitate nubis, fumo, & clangore buccinæ. Nam hæc sunt miracula, quæ manifeste testantur ea diuinitus agi & dici, quæ hoc loco aguntur & dicuntur. Adhuc, quia Dominus promulgaturus erat Decalogum, testatur hoc loco horribili tumultu, quæ sit legis efficacia in peccatoribus. *Legis efficacia in peccatoribus.* *Rom. 4.* Et si enim lex per se optima & perfectissima est, tamen quia homines sunt carnales, & non implent legem Dei perfecte, ideo lex eum tumultum excitat in conscientia peccatorum, quem hoc loco Dominus Israelitis obiicit. Lex enim (inquit Paulus) operatur iram, & occidit. Quare si uoluerimus tranquillitatem conscientia recuperare, opus habemus mediatore, de qua re postea audiemus. Iam, quod scribitur hoc loco Deum sua uoce cum Mose ex igne ita collocutum, ut omnis populus audierit uerba Dei, paulo copiosius in Deuteronomio capite quarto & quinto explicatur, ubi ita scriptum est, Accessistis ad radices montis

tis, qui ardebat usq; ad coelum, erantq; in eo tenebrae, & nubes & caligo. Locutusq; est Dominus ad uos de medio ignis. Vocem uerborum eius audistis, & formam penitus non uidistis. Et ostendit uobis pactum suum, quod praecipit ut faceretis, & decem uerba quae scripsit in duabus tabulis lapideis &c. Et postea: Haec uerba locutus est Dominus ad omnem multitudinem uestram, in monte, de medio ignis & nubis & caliginis, uoce magna, nihil addens amplius &c. Ac mox: Ecce ostendit nobis Dominus Deus noster maiestatem & magnitudinem suam. Vocem enim eius audiimus de medio ignis, & probauimus hodie, q; loquente Deo cum homine uixerit homo &c. Et iterum: Non cum patribus nostris inijt pactum sed nobiscum, qui in praesentiarum sumus & uiuimus, facie ad faciem locutus est nobis in monte de medio ignis. Hec ideo commemorauimus, ut perspicue agnosceremus, non Mosen tantum, sed omnem populum Israel audiuisse, Deum ex igne loquentem, & uerba Decalogi recitantem. Nam antea collocutus quidem est Deus cum Mose, sed solus cum solo, interdum & cum Aherone. Nunc autem colloquitur ex igne cum tota Israelitarum multitudine, qui ad unum omnes in radicibus montis Oreb stabant, postq; Mose & Aheron ad montem ascenderant. Vnde & scriptura uocat hunc diem יום הקהל hoc est, diem congregationis, quasi uellet dicere diem magnorum comitiorum, qualia nuncq; fuerunt in Israel. Et ita etiam intelligendum est, quod hoc loco dicitur, Mose loquebatur, & Dominus respondebat, hoc est, ne quis suspicari posset, hoc negotium fraude doloue agi, Dominus tam manifeste cum Mose collocutus est, ut tota Israelitarum multitudo uerba Dei audierit. Caeterum, q; uox Domini audita esse dicitur, non intelligas, Deum natura sua loqui, ut homo loquitur. Est enim incorporeus, sed quia scriptura testatur legem datam esse per dispositiones angelorum, quemadmodum scriptum est Acto. vii. & Gal. iij. & Heb. ij. sentiendum est angelum in persona Dei locutum esse. Iam nec angelus natura sua loquitur, ut homo. Est enim & angelus incorporeus, sed loquitur assumpto humano sermone per miraculum, quemadmodum & angeli per miracula sepe uero assumpserunt humanorum corporum formas. Quod autem angelus ita loquitur, ipsa uox Dei, & uerbum Dei merito dici debet, propterea q; quae loquitur, mandato Dei loquitur, qui & ipse praesto ad est, sicut omnia adimplet, & hoc modo sententiam animi sui reuelat.

SACERDOTES QUI ACCEDUNT AD DñM.)

Sacerdotes hoc loco intellige uel primogenitos, quos Deus supra ca. xij. iussit sibi sanctificari, uel designatos e tribu Leui ad sacerdotium. Iubentur autem & ipsi una cum populo sanctificari, & iuxta uerbum Domini intra septa manere, neq; existimare, quod liceat ipsis

autoritate

autoritate sacerdotij præscriptos terminos contra uerbum Dei transili re. Hoc præcepto significat Dominus, primum, nulli hominum licere prerogatiua dignitatis aut magistratus sui aduersus uerbum Domini peccare. Deus enim non est respector personarum. Et potentes potenter tormenta sustinebunt. Exempla habes in Saule, Ierobeam, et Uria. Deinde significat neminem, quamuis excellētis ingenij, posse natura sua maiestatem Dei plene in hoc seculo comprehendere. Postremo significat nullum, quamuis eximie sanctitatis & honestatis corā mundo, posse natura sua legi Dei perfecte satisfacere. Solus autem Mose & Aheron admittuntur in montem. Hi enim adumbrant Christum, qui cum sit naturalis filius Dei, solus perfecte cognoscit maiestatem Dei alioqui incōprehensibilem, & solus legem Dei perfecte implet. (NON POTVERIT VVLGVS ASCENDERE.)

Mose negat se descensurum, quia omnia ita constituta sunt, ut non uideatur necessarium, populo eandem rem toties inculcare. Sed dominus cogit eum, ut obsequatur præcepto. Quare admonemur, ne responssemus præcipienti Deo, sed quod Deus iudicat necessariū, hoc ut necessariū exequamur, etiā si humane rationi longe aliud uisum fuerit;

CAPVT XX.

LOCVTVSQVE EST DOMINVS CUNCTOS
SERMONES.)

Hoc est obseruandum illud caput, quod concionem Decalogi longe omnium clarissimam continet. Hic enim describitur Decalogus, non humana sed diuina uoce promulgatus, idque tantis miraculis, quæ ^{Decalogi} ^{concio.} nulla unquam, nec ante nec post (exceptis istis miraculis, quibus Euangelion de Christo reuelatum & confirmatum est) publice in terris ædita sunt. Stabant enim ad radices montis Oreb, plusquam sexcenta millia hominum, & Deus loquebatur ex igne per angelum suum tanta uoce, ut non solum omnis populus exaudiret, uerumetiam maximo omnium pauore concuteretur. Humana uox, etiamsi Stentorea fuerit, uix tamē potest ad decem aut duodecim hominum millia penetrare. Quantam igitur, & quam horrendam putas eam fuisse uocem, quæ non solum ad plusquam sexcenta millia hominum penetrauit, sed etiam omnes eos in unum congregatos ita exterruit, ut præ ingenti timore retrocesserint? Audiamus igitur nunc concionem Domini, & quis sit Decalogus a Domino promulgatus. Ac primum explicabimus singula Decalogi præcepta. Nam cum uox Dei recitantis Decalogum horribior fuerit, quam ut populus diu ferre potuerit, contulit Deus sententiam animi sui in pauca uerba, & proposuit tantum epitomen præcepto

rum suorum, sed interpretationem eius reseruauit partim spiritui sancto, partim etiam recto humanæ rationis iudicio. Vnde quæ tam Prophetæ & Apostoli è spiritu sancto, quàm Philosophi & Poëtæ gentium e recta ratione de moribus concionati sunt, ea sunt explicatio Decalogi. Deinde indicabimus, in quem usum Decalogus promulgatus sit. Postremo ostendemus rationem, qua Decalogus impleri possit & debeat. Non enim auditores legis, inquit Paulus, sed factores iustificabuntur apud Deum.

EXPLICATIO DECALOGI.

Principio ait: Ego sum Dominus Deus tuus, qui te eduxi de terra Aegypti, de domo seruitutis. Hæc est præfatio Decalogi, qua Deus cõmendat præcepta, quæ sequuntur, sua ipsius autoritate. Solennis enim cõsuetudo magistratus est, ut mandaturus aliquid subditis suis publice, commemoret in exordio autoritatem & maiestatem suam, quo subditi mandatum reuerenter excipiant. Sic imperator Carolus in mandatis & edictis suis ita præfari solet. Nos Carolus Dei gratia Rom. Imperator semper Augustus &c. Hunc morem obseruat etiam Dominus deus noster in promulgando Decalogo, ut maiestate nominis sui commendet obseruationem Decalogi. Assumit autem Deus hoc epitheton: Qui te eduxi de terra Aegypti, quod optimo iure, ueluti uictor quispiam ac triumphator sibi uendicat, quia, ut scriptura loquitur, liberauit Israelitas ex Aegypto brachio excelso & iuditijs magnis. Atque hoc epitheto breuiter complectitur non solum oia beneficia quæ exhibuit Israelitis in liberatione ex Aegypto, uerum etiam oia miracula, quibus hætenus maiestatem nominis sui illustrauit. Maluit autem hoc epitheton usurpare, quæ dici Deus, qui est immensæ & imperscrutabilis maiestatis, ut auocet nos a scrutanda essentia sua, & assuefaciat nos cognoscere ipsum ex operibus suis. Sic apud Patriarchas, qui præcesserunt Abraamum, dictus est, Deus qui creauit coelum & terram. Sic apud posteros Patriarcharum dictus est Deus qui apparuit patribus. Postea autem quæ Israelite ex Aegypto liberati sunt, dictus est Deus qui eduxit Israel ex Aegypto. Sic postquam misit Deus filium suum Christum, & liberauit nos a morte per Christum, dicitur Deus pater Domini nostri Iesu Christi, qui redemit nos ab omnibus malis. Auocemus igitur nos a curiosa inuestigatione diuinæ maiestatis, & meditemur opera eius reuelata & ad cognoscendū proposita. Sic enim fiet, ut ad ueram cognitionem Dei perueniamus. Deinde sequuntur præcepta Decalogi. Horum sunt decem. Vnde Hebræi uocant ea *הרברים עשרת*, hoc est, decem uerba. Et Græci *δεκάλογον*.

PRIMUM PRAECEPTUM.

Non sint tibi dii alieni coram me, uel, ut alij interpretantur, præter me. Non

me. Non facias tibi sculptile &c. Hoc præceptum diuidunt quidam in duo, ut: Alterum sit. Non sint tibi alieni dii coram me. Alterum sit. Non facies tibi sculptile. Et hi postea faciunt ex ultimis duobus præceptis de concupiscentia unum tantum præceptum. Nos aut sequemur uulgatam diuisionem, qua illa duo de alienis dijs & sculptilibus pro uno, & quæ de concupiscentia sequuntur, pro duobus computantur. Ceterum, uidetur & hoc ineptum, quod quidam diuidunt præcepta in Negatiua & Affirmatiua. Quoduis enim præceptum Dei, siue negatiuum siue affirmatiuum externa sua uoce fuerit, tam facienda mandat, quod non facienda prohibet. In hoc ergo primo præcepto, de non habendis alienis dijs & sculptilibus, primum omnium mandatur credendum esse, quod sit Deus, deinde, quod essentia unus tantum sit Deus. Ad hæc, quod is solus sit uerus Deus, qui eduxit Israelitas ex Aegypto, hoc est, qui promisit Patriarchis Christum, & qui miraculis in Aegypto ædificis maiestatem suam reuelauit. Deinde, quod sit seuerissimus ultor impietatis, clementissimus autem remunerator pietatis. Ad hæc, quod in hunc solum Deum sit credendum, huic soli confidendum, & seruiendum. Postremo, quod is solus diligendus sit ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Nam sic interpretatur hanc legem Mose ipse Deut. vi. Et Christus Matth. xxi. Et Paulus ait: Lex est spiritualis: Habes quæ præcipiuntur in hoc primo mandato. Nunc audi, quæ prohibentur. Principio prohibetur fiducia non solum in fictitios deos gentilium, uerum etiam in homines sanctos seu uiuos seu mortuos, in iustitiam carnalem, in opera, in uirtutes humanas, breuiter, in creaturas quascunq; siue superas siue inferas. Vnde Paulus auarum uocat idololatram. Deinde prohibetur externus cultus idolorum, & adoratio simulacrorum. Atq; omnia hæc, quæ ex ordine recensuimus, generaliter omnibus gentibus, omnibus etiã seculis, præcepta & prohibita sunt, et dici solent Moralia. Sequuntur nunc quædam personalia seu ceremonialia, quæ tantum ad politeian Mosaicam pertinuerunt. Nam in hac prima lege mandatum etiam fuit Israelitis, primum ne usurpent alia sacra, alio sue sacrificandi & colendi Deum ritus, præterquam eos, qui uerbo Domini in lege præscripti sunt. Cum enim dicitur: Non sint tibi alieni dii, non tantum intelligendum est de dijs ipsis, quos gentes coluerunt, sed etiam de sacris, & ritibus colendi uerum Deum, quæ tamen non sunt in lege præscripta. Et hoc est, quod Mose Deu. v. præcipit: Non declinabitis neq; ad dextram neq; ad sinistram. Et cap. xii. Non facietis singuli, quod sibi rectum uidetur. Ac iterum: Quod præcipio tibi, hoc tantum facias Domino, nec addas quicquid nec minuas. Ceterum deos significare etiam sacra, seu cultum diuinum, testatur id, quod postea cap. xxxii. de uitulo aureo dicitur. Isti sunt dii tui.

Deprimi non
nunc, etiam sa
era intelliguntur.

Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti, hoc est, Ista sunt uere diuina
 sacra, quæ placent Deo, & propter quæ meremur gratiã Dei, qui nos
 eduxit de Aegypto: Vocat & Paulus cultum Dei, Deum ij. T essal. ij.
 Quare hoc præcepto. Non sint tibi alieni dij: mandatur Israelitis, ne
 alia sacra, quæ in lege præscripta publice usurpent. Et quantum ad hanc
 partem attinet, personale est, nec obligat Christianos, quibus non est
 aliqua forma publicorum sacrorum, aut ecclesiasticarum ordinatio-
 num diuinitus præscripta, nisi quæ Paulus iubet omnia fieri in ecclesia
 decenter, secundum ordinem, & ad edificationem. Deinde prohiben-
 tur etiam externa idola, & simulacra seu ueri Dei seu factitiorum de-
 orum, seu quarumcunquæ creaturarum, in ecclesia Israelitarum. Atque
 hoc simpliciter prohibetur in politeia Mosaica, nec licuit publice in
 Ecclesia imagines instituere, etiamsi non colerentur aut adorarentur:
 Sicut simpliciter prohibitum fuit, ne quis carne suilla uesceretur. Est
 & hæc pars præcepti cærimonialis, pertinens tantum ad politiam Mo-
 saicam, quemadmodum Circumcisio, sabbatum, abstinentia a carne
 suilla, & id genus multa alia. Postquæ autem Christus aduenit, cærimo-
 nia Mosaica sublata est, & per se liberum est, simulacra Christi ac san-
 ctorum publice habere, tantum ne quis impie ipsis abutatur, sicut &
 liberum est uesci carne suilla aut non uesci, tantummodo, ne quis suil-
 lam, hoc est, turpem & uitij sordidatam uitam ducat. Porro, huic pri-
 mo præcepto tanquam principali, ex quo deinceps alia oriuntur, ad-
 dit Dominus minas & promissiones, pœnam & præmium. Ego, in-
 quiens, Dominus Deus tuus, sum Deus seu fortis, Zelotes, uisitans
 iniquitatem patrum in filijs tertia & quarta generatione eorum, qui
 oderunt me. Hæc sunt minæ, hæc est pœna, quam minatur Dominus ui-
 olantibus legem suam. Dominus enim est fortis, potest se uel uno nu-
 tu uindicare. Est Zelotes. Omnino enim non uult ferre ut uel alium
 Deum adores, uel creatura fidas, sed exigit ut ipsum solum diligas ex
 toto corde. Est & seuerus. Intantum enim non conniuet ad impietate,
 ut eam uindictet etiã in filijs, nepotibus ac pronepotibus. Nam quod
 dicit. Tertia & quarta generatione, uel in unam rationem subducen-
 dum est, & intelligendum pro septima generatione, ut sit sensus: De-
 us tantę seueritatis est, ut puniat impietatem etiam in septima genera-
 tione, hoc est, cum iam impietas uideatur obliuioni tradita, & posteri
 impiorum tam longa successione a maioribus suis, qui designarunt
 impietatem, distant, ut nulla amplius memoria eorum inter hoies ex-
 tet, uel tria & quatuor iuxta Hebræam phrasim computanda sunt sim-
 pliciter pro quatuor, sicut sex & septem, pro septem. Sic Amos i. Pro-
 pter tria scelera Damasci, & propter quatuor non reddam ei &c. Sic
 Prouerbi, trigesimo. Triam illa non saturantur, & quatuor non dicunt
 sufficit.

6. Corint. 14.

Imaginum u-
 sus apud Chri-
 stianos indif-
 ferens.

Posteritas pu-
 nitur propter
 impietatem
 maiorum.

sufficit. Et mox: Tria sunt difficilia mihi, & quatuor ignoro. Sic & Job. v. In sex tribulationibus liberabit te, & in septem non tanget te malum. In sex & septem, hoc est septem. Enumerat enim postea septem tribulationes, ex quibus illum liberaturus sit Deus. Sic & hoc loco: In tertia & quarta generatione, hoc est, quarta. Est autem idem sensus, qui & ante expositus est, uidelicet, Deum uindicare impietatem in posteris, quantumcumque longe a prima stirpe succedentibus, sed ita, si posterii impietatem maiorem suorum sectentur. Secus autem, si posterii respiscant, Ezech. xvij. Exempla habes in posteris Adam, qui omnes propter inobedientiam Adæ morti obnoxij facti sunt. Item in posteris Cain, qui omnes diluuiio perierunt. Similiter in posteris Saul, & multis alijs. Additur etiam promissio & premium obseruantibus legem Dei. Faciens (inquit) misericordiam in millia, his qui diligunt me & obseruant precepta mea. Sunt, qui in millia interpretentur, pro perpetuo, ut sit sensus: Dominum seruare eos, qui obseruant leges eius, ad perpetuam uitam & Felicitatem. Quæ interpretatio, ut est pia, ita magis conuenit ut hoc loco millia exponamus, pro multitudine posterorum. Sicut enim Deus punit in posteris impietatem maiorum, ita etiam remunerat in posteris pietatem maiorum. Psalm. cij. Misericordia Domini ab eterno usque in æternum super timentes eum. Et iustitia illius in filios filiorum his qui seruant testamentum eius. Exempla sunt, Abrahæ, Dauid, maxime autem omnium Dominus noster Iesus Christus, propter quem omnes qui in ipsum credunt, misericordiam consequuntur.

SECUNDVM PRÆCEPTVM.

Non assumes nomen Domini Dei tui in uanum. Primum uide quod sit nomen Dei. Dicitur autem nomen Dei, nunc Deus ipse, ut illud: *Nomen Dei* Omnis qui inuocauerit nomen Domini, salus erit. Nunc maiestas, potentia, clementia, patientia, & id genus alie uirtutes ac epitheta Dei, *quid.* ut infra cap. xxxij. Ostendam tibi omne bonum, & recitabo nomen meum coram te. Et Philip. ij. Dedit ei nomen, quod est super omne nomen &c. Nunc uices, mandatum ac iussio Dei. Ioannis v. Ego ueni in nomine patris mei, & non recepistis me. Nunc ipsum externum Dei uocabulum. Primum igitur prohibet in hoc secundo precepto, ne ea quæ maiestati Dei debentur, nostris uirtutibus adscribamus, & de nostris uirtutibus gloriemur, hoc est, prohibet omnia supbia et arrogantia. Contra hanc precepti partem peccauit Nebucadnezar, Esa. xliij. & Daniel. Similiter princeps Tyri Ezech. xxvij. Et Herodes Act. xij. Deinde prohibetur ne impia prætextu diuini nominis doceamus. Contra hanc partem peccant doctores meritorum, qui docent Deum precepisse bona opera, ut meritis eorum consequamur remissionem peccatorum. Preterea prohibetur, ne turpi uita nostra nomen Dei inter gentes male

I N C A P V T XX. E X O D I

iurare prohibetur.

Abraham ex Patriarche Christiani fuerunt.

audire faciamus. Adhæc prohibetur, ne abutamur nomine Dei ad execrationes, ad maledicta, ad incantationes, & id genus alia. Deinde prohibetur etiam ne abutamur nomine Dei, ad testificanda dicta nostra, & ut Christus Matth. v. exponit, ne omnino iuremus siue per nomen Dei, siue per cælum siue per terram. In eo enim loco Christus non condit nouam legem Christianis, sed ueterem tantum, cui semper omnes gentes obnoxij fuerunt, exponit. Et hoc præceptum generale est, nec licet ulli priuato homini sine legitima uocatione uiolare. Est enim nomen Domini sanctum, Quare non est priuata temeritate prophandum. Ceterum, qui legitime uocatur ad præstandum iuramentum per nomen Dei, is iam habet personalem prærogatiuam usurpandi nominis Dei. Vt enim generale præceptum est: Non occidas. Magistratus tamen habet personalem uocationem & prærogatiuam occidendi fontes, ita generale præceptum est: Non iures omnino, tamen qui legitime ad iurandum uocatur, prærogatiuam habet usurpandi nominis Dei. Exemplum legitimi iuramenti habes in Abrahamo, Gen. xiiij. In Iosepho Gene. xlvij. Hi enim etsi nõ uixerunt post Christum natum, fuerunt tamen Christiani, quia crediderunt in benedictum semen Abrahamæ, qui est Iesus Christus. Habes item exemplum in Christo, Ioannis v. Amen amen dico uobis, qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet uitam æternam. Et in Paulo ad Romanos ix. Veritatem dico in Christo non metior. Sunt & ea iuramenta legitima, quæ ex uocatione legitimi magistratus exigunt. Adhæc prohibetur ne ridicule aut inhoneste de Deo loquamur, ut solent Epicurei. Postremo mandat nobis, ut Deum in oibus aduersis inuocemus, ut gratias Deo pro beneficijs eius agamus, ut prædicemus & glorificemus nomen Dñi, & ut confiteamur eum etiã periculo uite nostre, quemadmodũ hi fecerunt, q̄s uocamus Martyres. Et ut perspicue appareat, quanta seueritate Deus exigat hoc præceptum, addit comminatio: Non habebit Deus infontem eius, qui assumpsit nomen Dñi inuauum. Nam cum Deus non statim puniat manifesto supplicio temerariam nominis sui usurpationem, existimãt imperiti, Deum non habere ullam huius peccati rationem. Additur ergo comminatio, ut significetur, q̄ etsi Deus est longanimis, compensare tñ solet tarditatem grauitate supplicij, id quod publicis etiam miraculis declarauit in Nebucadnezare, Danielis iij. & in Herode, Actorum xij.

TERTIVM PRAECEPTVM.

Memento, ut diem Sabbati sanctifices &c. Hoc præceptum partim est cerimoniale, partim morale. Cerimonia est, q̄ non aliud q̄ septimus dies hebdomadæ sanctificatus sit in ocium ecclesiasticum. Necessitas autem obseruandæ huius cerimonie in Christianismo sublata est. Filius

est. Filius hominis, inquit Christus, etiam Sabbati Dominus est. Et Paulus: Nemo iudicet uos in parte Sabbatorum. Morale autem est, quod Mathei 19^a Coloffen 2. Sabbati ex^o plicatio. certo tempore a ciuilibus operibus uacandum sit, ut tractando & audiendo uerbo Dei publice uacetur. In hoc igitur praecepto, primum mandatur obseruatio certi temporis in qualibet Rep. ut intermissis ciuilibus negotijs ad tractanda sacra conueniatur. Deinde mandatur diligens conseruatio ministerij uerbi Dei. Postremo mandatur obedientia uerbi Dei, uidelicet, ut ociemur ab omnibus peccatis, & operam demus iustitiae toto uitae nostrae tempore. Contra hoc praeceptum peccant, qui in rebus publicis aut omnes caerimonias indifferenter abrogant, aut de caerimonijs impia docent, hoc est, qui nimirum uel ad dextram uel ad sinistram declinant. Peccant & contra hoc praeceptum, qui contemnunt ministerium uerbi Dei, qui uel impia doctrina, uel turpi uita efficiunt, ut ministerium uerbi Dei in Ecclesijs aut contemnatur aut abrogetur. Et generaliter contra hoc praeceptum peccant, quotquot non perfecta sanctitate uacant obedientiae Dei. Ceterum, quod ad finem huius praecepti additur: Sex enim diebus fecit Deus coelum & terram &c. ratio est partis caerimonialis, non moralis: alioqui enim non Respub. tantum Israelitica, uerum etiam aliae gentes necesse haberent externum Sabbatum, seu septimum diem obseruare. Deus enim quieuit quidem septimo die, a condendo alio mundo sed non quieuit ab administrando hoc mundo iam condito. Sic enim Christus Sabbatum exponit Ioannis v. Pater meus, inquit, ad hoc usque temporis operatur, & ego operor.

QUARTVM PRAECEPTVM.

Honora patrem & matrem &c. Hoc praeceptum Paulus uocat primum in promissione, quia additur: Ut bene sit tibi et sis longeuus in terra. Intelligit autem non simpliciter promissione primum, quia & primum praeceptum habet additam suam promissionem, sed promissione primum in secunda tabula. In hac igitur promissione commendatur gratitudo, & premium eius. Deinde in hoc praecepto tam honorandi uerbum, quam parentum nomen obseruanda sunt. Nam uerbo honorandi primum intelligitur externus & ciuilis honor, quo parentes afficere debemus. Deinde intelligitur & honor beneficiorum, uidelicet, quod debeamus parentes nostra ope indigentes alere, & id genus alia beneficia praestare. Postremo intelligitur & honor mentis, nimirum quod debeamus de parentibus optime sentire, & salutem eorum Domino Deo nostro commendare. Parentum autem nomine intelliguntur primum parentes externi & corporales, deinde ministri uerbi Dei, qui nos in Christo regenerant. Tertio magistratus ciuilis. Quarto praeceptores uel literarum uel opificiorum. Quinto tutores.

Ephes. 6.

Honoris nomen quam late pateat.

Parentum nomen late pateat.

1. Corint. 4.

Ad Philem.

Galat. 4.

Leuit. 19.

Postremo omnes maiores & seniores, de quibus scriptura ait. Coram cano capite consurge, & honora personam senis.

QVINTVM PRAECEPTVM.

*Homicidiorū
genera.*

Non occidas. Hoc praecipit Christus Matthēi v. & Ioannes in prima epistola sua, capite iij. Hoc autem praecipit generale est, quod, quantum ad aliquot eius partes attinet, nihil derogat personali uocationi & praerogatiuæ ciuili magistratus. De hoc enim dicit Paulus: Dei minister est, ultor ad iram ei, qui quod malum est, fecerit. Primum ergo prohibetur externum homicidium, quo priuatim externa uita homini aufertur. Deinde prohibentur maledicta, conuicia, ludibria, & id genus alia. Qui dixerit fratri suo Raha (inquit Christus) obnoxius erit concilio. Et qui dixerit, fatue, obnoxius erit Gehennæ incendio. Et hæc generalis lex nihil derogat personali uocationi, quemadmodum antea diximus. Vnde nec Christus nec Paulus peccauerunt contra hanc legem, quod hic Galatas, ille discipulos suos stultos uocauerit. Adhæc prohibetur omnis priuata uindicta, uindictæ cupiditas, odium, inuidia, & similes affectus. Quisquis irascitur, inquit Christus, fratri suo, obnoxius erit iudicio: Et Ioannes. Qui odit fratrem suum, homicida est. Postremo mandatur dilectio proximi ex animo, comitas, beneficentia, mansuetudo, patientia, clementia, & quicquid est id genus uirtutum.

SEXTVM PRAECEPTVM.

*Adulteri
genera.*

Non mœcheris. Interpretatur & hanc legem Christus, Matth. v. Ac primum prohibetur in ea externum adulterium, quod committitur cum uxore alterius. Deinde prohibetur omnis uaga scortatio, & mollicies. Nam ipsi etiam Iudeorum Rabini in hunc locum dicunt: מלא נאום כמות נות, hoc est, nomine adulteri continetur etiam fornicatio. Et Paulus ad Corinthios diserte exponit: Neque scortatores (inquiens) neque adulteri, neque molles, regni Dei hereditatem accipient. Adhæc prohibetur omnis sermo spurcus, & incessus fractus, item impudicæ choreæ. Præterea prohibetur & ipsa cordis concupiscentia, ut lex ipsa postea exponit, & Christus perspicue declarauit. Postremo mandantur in hac lege uirtutes castitatis & pudicitiae, item temperantia, sobrietas, & quæcunque legitime faciunt ad conseruandam castitatem.

SEPTIMVM.

Furti genera

Non facias furtum. In hoc praecipit primum prohibetur omne externum furtum & rapina. Deinde omnis impostura, & sceneratio. Vnde apud Lucam, Zacheus agnoscit se furem, cum ait: Si aliquem defraudaui reddo quadruplum. Lex enim quadruplum pro furto exigat. Exodi xxij. Adhæc concupiscentia rei alienæ, quam alias auariciam uocamus. Postremo mandatur charitas erga proximum, benefici-
centia, iu

centia, iustitia, gratitudo, eleemosyna, & quicquid est similitum uirtutum. Itaq; furtum coram Deo non tantum in externe alienis, uerumetiam in suis proprijs opibus committitur.

OCTAVVM.

Non loquaris falsum testimonium contra proximum tuum. In hac lege primum prohibetur externum falsum testimonium, quod & lex grauissime punit Deut. xix. Non misereberis, inquit, eius, sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente exiges. Deinde prohibentur omnes calumniae, mendacia, & obtreccationes. Adhaec prohibentur male cordis suspitiones de proximo. Postremo, mandatur candor & ueritas.

NONVM.

Non concupisces domum proximi tui.

DECIMVM.

Non concupisces uxorem eius, non seruum, &c. Hae duae leges non distinguuntur inter se, nisi quod prior aut genus tantum ponit, ut domum pro familia, & ea quae ad possessionem & conseruationem familiae pertinent, intelligas, aut domum simpliciter accipias, pro externa domo, in qua habitatur. Posterior autem genus in species diducit, & contenta in domo enumerat. Caeterum hae duae ultime leges perspicue explicant omnes priores, quod non sint intelligendae de externis tantum factis, sed etiam de affectibus cordis. Paulus enim ad Romanos scribens, has leges generaliter allegat. Peccatum (inquiens) non cognoui, nisi per legem. Nam & concupiscentiam non nouissem, nisi lex diceret. Non concupisces. Peccatur enim non tantum concupiscentia domus aut uxoris proximi, uerumetiam concupiscentia uindictae, concupiscentia impietatis & falsarum religionum. Deinde addit Paulus: Lex spiritalis est, qua uoce manifeste significat, legem non exigere externa tantum opera, sed exigere omnes hominis affectus spirituales, sanctos, & ab omni uitio alienos. Postremo idem etiam testatur compendium legis, quod est: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &c. & proximum sicut teipsum. Ex hoc compendio perspicue uides omnia tam externa quam interna hominis, in toto Decalogo requiri iusta, sancta & diuina. Atque haec est breuissima Decalogi explicatio. Videamus nunc in quem usum Decalogus promulgatus sit.

VSVS DECALOGI.

Cum in quauis re maxime omnium utilitas eius requiri solet, & Decalogus tanta maiestate diuinitus promulgatus sit, quanta nulla unquam in terris uisa fuerit, perspicue significatur, Decalogi usum latissime patere. Sed quo commodius usum eius explicemus, enumerabi-

mus prius aliquot abusus. Ac primum, Decalogus non est ob hanc causam a Deo promulgatus, q̄ præcepta, quæ in eo continentur, ignota prius fuerint. Horum enim præceptorum cognitio insculpta est naturaliter a Deo humanæ rationi. Quod enim ad præcepta primæ tabulæ de cultu Dei attinet, humanæ certe rationi a Deo inditum est, q̄ sit Deus, & q̄ Deus beneficiat pijs, ac puniat impios. Paulus enim de gentibus, in quibus uis & ingenium humanæ rationis maxime elucet, scribens: Quod de Deo, inquit, cognosci potest, manifestum est in illis. Deus enim patefecit illis. Quomodo autem patefecerit, addit. Siquidem quæ sunt inuisibilia illius, ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur, peruidetur etc. Et Cicero: De ipsis quidem hominibus (inquit) nulla gens est, neq̄ tam immanueta, neq̄ tam fera, quæ non etiamsi ignoret, qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat. De hoc argumento uide etiam Ciceronem lib. ij. de natura deorum. Quod autem humanæ rationi cognitum sit, Deum obseruare hominum tum benefacta, tum malefacta, ac illa quidem præmijs honorare, hæc autem supplicijs punire, non solum testantur apud Poetas ἀποθεώσεως, campus Elysius, ac portenta illa inferorum, Styx, Phlegeton, Cocytus, uerum etiam Homerus & Hesiodus uetustissimi & prudentissimi poetarum disertis uerbis scribunt, deos inter homines ignota specie uersari, & hominum facta obseruare, ut quæ recte geruntur, digna mercede compensent, quæ secus puniant.

Rationis humanæ industria.

Gentes Deū cognouerunt.

Cicero in 1. Tusculanarū questu. Et lib. 2. de legibus.

Homerus in Odyssea 9: ita ait.

καί τε θεοὶ φείνοισιν ἰοικότες ἀλλοδαποῖσι
παντοῖοι τελέθοντες ἐπιβρωφῶσι πολῆας,
ἀνθρώπων ὑβρίν τε ἔννομῶν ἐφορῶντες.

Et Hesiodus in Ergis α.

ἔγγυς γὰρ ἐν ἀνθρώποισιν ἔόντες
ἀθάνατοι λυσσοῦσιν ὅσοι σκολίησι δίκησι
ἀλλήλους φίβουσι θεῶν ὅπιν οὐκ ἀλέγοντες.
ἦς γὰρ μύριοι εἰσὶν ἐπιχθονίεσσιν,

Quamquam enim gentes impie errauerint, quod transtulerint humana ad diuina, & affinixerint rebus spiritualibus ac cœlestibus corporalia & terrena, his tamen figmentis satis perspicue significarunt, sensum diuinæ naturæ, & futuræ uitæ, in qua p̄i seruentur, impij autem damnentur, humanæ rationi impressum esse. Atque hoc illud est, quod Paulus de gentibus scribens: Veritatem, inquit, detinent in iniustitia, propterea quod cum Deum cognouerint, non ut Deum glorificauerunt &c. Iam si humanæ rationi cognitum est, Deum esse, & Deum remuneratorem esse bonorum operum, ac punitorem malorum, continuo sequitur, eum Deum esse colendum, nomen eius Dei uenerandum, & uerbum eius Dei obseruandum esse. Hæc sunt præcepta primæ tabulæ Decalogi.

Secunda

Secunda tabula est de diligendo proximo. Inter cuius leges prima est, de honorandis parentibus, ut longo uiuas tempore. Est autem non solum hæc lex, uerumetiam promissio eius humanæ rationi naturaliter à Deo inscripta.

Menander ait:

ἰκανῶς βιώσῃς, γηροβοσκῶν τοὺς γονεῖς.

Extat & apud Homerum carmen Iliados 9. de Hippothoo, quem Ajax adhuc iuuenem interfecit.

ὄνδ' ἐτακεῦσε.

θεῖα φίλοις ἀπέδωκε, μινυθὰ δ' ἰὸς δ' ἐοῖ
αἰών.

ἔωλεθ' ὑπ' αἰαντος μεγαθύμου δουρι δαμέντι.

Quantum & hæc possit esse Homeri sententia, quæ Hippothous non potestauerit parètes alere, propterea quæ iuuenis sit occisus. Est autem hic precipuus Poetarum ac Philosophorum usus, ut cum scriptis ipsorum explicet uis humani ingenij, discamus cognitionem Decalogi humanæ rationi naturam insculptam, adeoque Decalogum esse naturalis legis compendium.

Reliquæ leges, quæ in secunda tabula sequuntur, uidelicet de non occidendo, de non moechando &c. sunt explicatio huius sententiæ, quæ natura cognita est: Omnia quæcunque uolueritis ut faciant uobis homines, sic & uos facite illis. Quæ sententia, ut continet omnia præcepta, quæ lex & prophetæ de dilectione proximi tradunt, quemadmodum Christus ait, ita continet etiam omnes uirtutes, quas poætæ & philosophi, ad conseruationem humanæ societatis exigunt. Sed de huius loci argumento, copiose scribit Philippus Melanchthon, de locis communibus, quem libellum diligenter legas oportet, si rectam diuinarum rerum noticiam consequi uolueris.

Deinde decalogus non est promulgatus, ut significetur hominem posse operibus harum legum mereri remissionem peccatorum, & uitam æternam. Ac precipiuntur quidem in Decalogo, tam sancta, & tam perfecta opera, ut mererentur cælum & uitam æternam, si ea, quæ exiguntur perfectione, a nobis implerentur. Dicit enim lex, Deute. xix. Proposui tibi uitam & bonum, benedictionem & maledictionem. Et Leuitic. xvij. Custodite leges meas, quæ si fecerit homo, uiuet in eis. Et Christus Matt. xix. Si uis ad uitam ingredi, serua mandata Dei. Nunc autem homo natura, seu peccato originali ita corruptus est, ut Decalogum, Rom. 6. etsi intelligat, non tamen perfecte operibus suis impleat. Affectus enim carnis, inquit Paulus, inimicitia est aduersus Deum. Nam legi Dei non subditur, si quidem ne potest quidem. Quare promulgatio Decalogi non probat hominem posse operibus suis mereri peccatorum remissionem, & placare iram Dei. Quod igitur Decalogus tantis miraculis a Deo promulgatus sit, multæ aliæ causæ sunt, quas breuiter re-

cēsebimus. Ac primum, Deus publice promulgauit Decalogum tam horribili uoce, ut confirmaret auctoritatem Mosi in populo suo. Hanc eīm causam Deus ipse in superiori capite indicauit, ad Mosē dicens: Iam nunc ueniam ad te in caligine nubis, ut audiat populus me loquētem ad te, **ET CREDAT TIBI IN PERPETVVM.** Necessarium autē fuit, non solum Israelitis propter legem eorum, sed etiam toti orbi terrarū, propter sacram scripturam, ut auctoritas Mosi diligentissime & manifestissime confirmaretur. Confirmata enim Mosi auctoritate, statim etiam confirmata est auctoritas Prophetarum & promissionum de Christo. Prophetę enim e Mosē pendent, & sunt interpretes Mosi qui non solum Israelitis legem tulit, uerum etiam conscripsit promissiones de Christo, ad Adam, & Abraam, & per patriarcham Iacob dicitas, sed & ipse de Christo prophetauit dicens: Prophetam suscitabit Dñs &c. Confirmata autē auctoritate Prophetarū & promissionum de Christo, statim confirmantur libri noui testamenti, in quibus Christus iam aduenisse probatur. Quare confirmata Mosi auctoritate confirmatur tota sacra scriptura, totaq; religio nostra. Deinde Decalogus promulgatus est tanto miraculo, ut extaret diuinum testimonium, q̄ cognitio naturalis legis, humanę rationi indita, sit diuina, cui etiam tanq̄ diuinę uoci obediendum sit. Adhęc promulgatus est, ut naturalis cognitio legis, per peccatum originale corrupta et obscurata, Decalogo adiuuaretur & illustraretur. Cum enim propter inobedientiam Adę spūs sanctus ablati sit ab oī humano genere, non solum adempta est hoī uis perfectam iustitiam faciendī, uerum etiam uis iustitiam intelligendī, etsi hoī relicta, magna tamen ex parte uiciata, & oppressa est. Quanc̄ enim sciamus q̄ sit Deus, q̄ Deus oīa administret, & q̄ Deo obediendum sit, confusus tamen rerum ordo, & magnitudo afflictionum, quę nobis accidere solent, mentem nostram ita perturbant ac transuersam rapiunt, ut sollicitetur putare aut nullum Deum, aut Deum non habere curam rerū humanarū, aut utilius esse Deo non obedire. Decalogus igitur promulgatus est a Deo, tanta maiestate, ut deprauatio humani iudicij corrigeretur, & naturalis ratio in officio contineretur. Vnde Mosē de lege dicit, Deut. iij. Hęc est uestra sapientia, & intellectus corā populis, ut audientes uniuersi præcepta hęc, dicant: En populus sapiens & intelligens. Et Psal. xviij. Testimonium Domini fidele, sapientiam prestās paruulis. Ac mox: Preceptum Domini lucidum illuminans oculos. Et Psal. cxviij. Super senes intellexi, quia mādāta tua quęsiui. Præterea promulgatus est, ut per ipsum peccata & damnationem nostram agnosceremus. Per peccatum enim originale ita excecati sumus, ut existimemus aut naturam nostram adhuc sanam & integram esse, aut iram Dei non esse tam seueram, quanta prædica-

Mosi auctoritate confirmata, tota scriptura confirmatur.

predicatur, Itaq; proponitur nobis Decalogus, tanq; speculum, ut cōferentes ad eum nostram naturam & opera, perspicue uideamus nos a uera iustitia ita lōge abesse, ut non solum malis uerē etiam bonis operibus peccemus, hoc est, legi nunq; perfecte satisfaciamus. Et quia lex addit: Maledictus omnis, qui non pmanet in uerbis legis huius, nec ea opere perficit, manifestum est, nos perpetuæ damnationi obnoxios esse. Et hoc est, quod Paulus ait: Per legem agnitio peccati. Et lex i^{Rom. 3.}ram operatur. Ac iterum: Lex occidit. Non reuelat autem peccata, nec^{Rom. 4.} occidit, ut in peccatis & morte maneamus. Dicit enim: Nolo mortem^{Rom. 7.} peccatoris. Sed ut ad inquirendum Christum, iustitiam & uitam adi^{2. Corinth. 3.}gamur. Vnde cum populus ad uocem Dei tanto horrore concuteretur, ut fugeret, ac deprecaretur colloquium Dei (quia fuga significauit, hominem odisse potius legem, q̄ ut iustificetur ex lege) Mose consolatur populum: Ut probaret (inquiens) uos, (non ut occideret) uenit Deus, & ut terror illius esset in uobis, & non peccaretis. Et ut Paulus: Conclufit, inquit, scriptura omnia sub peccatū, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Et mox: Lex pædagogus noster fuit ad Christum, ut ex fide iustificaremur. Postremo datus est Decalogus, ut haberemus breue compendium eorum bonorum operum, que necessario fidem consequuntur, & ut sciremus, qui sint ueri ac legitimi fructus fidei. Hactenus de usu Decalogi.

IMPLETIO DECALOGI.

Non solum Mose, uerum etiam Christus & Apostoli exigunt, ut ad consequendam uitam eternam Decalogum operibus nostris perfecte impleamus. Si uis (inquit Christus) ad uitam ingredi, serua mandata. Et Paulus: Redditurus est, inq̄t, unicuiq; iuxta facta sua, his qui perseverant in benefaciendo, uitam eternā &c. Et iterum: Si secundū carnem uixeritis, moriemini. Sed naturā nostrā peccato originali ita corrupta est, ut nec uelit nisi spiritu sancto renouata, nec possit, etiam spiritu sancto prædita, legem Dei perfecte implere. Potest quidem naturalibus suis uiribus externā uitę honestatem exercere. Vnde & hoies ad obseruantiam externæ honestatis tam legibus inuitandi, q̄ supplicis cogendi sunt, non potest autem ueram & perfectam iustitiam coram Deo facere. Dicit enim Paulus: Lex spiritalis est, ego autem carnalis sum, uenditus sub peccatum. Velle adest mihi, at ut faciam bonū, non reperio. Et iterum: Affectus carnis inimicitia est aduersus Deum. Legi em̄ Dei non subditur, siquidem ne potest quidem. Ergo ne damnati sumus: certe si naturam nostram consideres, damnationi obnoxij sumus, propterea q̄ nostra ipsorum iustitia legem Dei nec impleamus, nec implere queamus. Manebimus autem in damnatiōe, & peribimus? Minimē omnium. Etsi enim natura & iustitia nostra non

queamus legē Dei implere, tamen alia nobis ratio proposita est, quæ
 licebit legi Dei ita satisfacere, ut Deus non aliter iudicet de nobis, quæ
 si nostra ipsorum iustitia legem impleuissēmus. Pater enim propolu
 it nobis filium suum Christum, ut quotquot in ipsum credunt, parti
 cipes fiant omnium bonorum eius per fidem. De plenitudine eius, in
 quit Ioannes, nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia. Et Paulus:
 Qui filio suo nō pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, qui
 fieri potest, ut non & cum eodem omnia nobis donet. Et Gal. iij. Qui
 cuius baptisati estis, Christum induistis. Bona autem Christi sunt, quæ
 sit filius Dei, quæ sit hæres oīm bonorum Dei, quæ habeat spiritum san
 ctum, quæ satisfecerit legi perfecte, quæ expiauerit peccata, & id genus in
 numerata. Quare, qui in Christum credit, primum adoptatur per fidem
 in filium Dei & coheredem Christi. Ioan. i. & Rom. viij. Deinde do
 natur hac prerogatiua, quod propter Christum non aliter iudicetur a
 Deo, quæ si ipse suis opibus satisfecisset legi. Atque hoc est, quod Paulus
 ait: Ro. viij. Quod lex præstare non poterat, ea parte, qua imbecillis e
 rat per carnem, hoc Deus proprio filio misso sub specie carnis peccato
 obnoxie, præstitit &c. Et ca. x. Perfectio legis Christus, ad iustificatio
 nem oī credenti, hoc est, Lex exigit a nobis perfectam iustitiā & san
 ctitatem. Cum autē eam non possimus præstare donauit nobis Deus iu
 stitiā Christi, quæ legi perfecte satisfecerit, ut quod lex exigit, in Christo
 habeamus. Ergo ne, quia in Christo habemus impletionem legis, li
 cebit nobis uiuere pro nostra libidine: Nihil minus. Nā una cū pre
 rogatiua iustitię Christi, donamur etiam per fidē spū sancto, qui prin
 cipio, etsi non euellit totū peccatū e carne nostra, tñ resecat, & coercet,
 ne regnet, quemadmodū Paulus ait, in mortali nostro corpore, ut obe
 diamus illi per cupiditates eius. Deinde, mentē ita renouat, ut inchoe
 mus obedientiam legis, ac sectemur eas uirtutes, quas spūs sanctus na
 tura sua secū affert, & quas Paulus recenset ad Gal. v. & Col. iij. Quæ
 inchoatio obedientię, etsi non sit per se perfecta impletio legis, Deus
 tñ agnoscit & approbat eam, & iudicat eam iustitiam, non quidem sa
 tisfactionis pro peccatis, sed gratitudinis pro acceptis beneficijs. Pro
 inde, qui credit in Christum, duabus rationibus satisfacit Decalogo:
 Altera, quæ per fidem ita iustus reputetur, perinde ac si legem operi
 bus suis perfecte impleuisset. Altera, quæ per spiritum sanctum morti
 ficat opera carnis, & inchoat obedientiam, ad testificandam fidem &
 gratitudinem animi sui coram Deo, quæ utraq; ratio homini ad con
 sequendam ueram salutem necessaria est.

CUNCTVS AVTEM POPVLVS VIDEBAT VO
 CES ET LAMPADES.)

Postquæ Dominus finem fecisset recitandi Decalogi, magna & hor
 ribili uo

*Obediētia
 inchoatio*

ribili uoce, nullum ultra uerbum addidit. Populus autem maximo terrore comprehensus, obsecrauit Mosen, ut ipse deinceps solus audiat uocem Dei, & perferat ad ipsos legem Dei: Se autem paratos esse obedire, tantum, ut non cogantur amplius tam terribilem uocem audire. Mose igitur consolato populo, refert uerba populi ad Deum, et fit cōsensu Dei hoc pactum, ut Mose solus deinceps audiat uocem Dei, & sit mediator inter Deum & Israellem, ut Paulus ad Gala. ait: ac deferat legem Dei ad populum. Populus autem non aliter eam legem excipiat & obediat, quā si audiret ipsam tam horribili uoce Dei de monte, quanta audiuit Decalogum. De hoc negotio uide caput quintum Deuteronomij. Sed est hoc loco maius quiddam obseruandum. Nam cum populus audiret Decalogum, non terretur tantum horribilibus illis signis, quibus reuelabatur aduentus Dei, nec terretur tantum externa diuinæ uocis grauitate, sed potius terretur in conscientia seueritate legis. Etsi enim Deus sic paucis commemorabat Decalogum, ut uideretur externa tantum opera exigere (neque enim potuit pluribus Decalogum explicare, cum populus uix hæc pauca tolerare potuerit) hæc tamen uerba ita penetrabant in conscientiam auditorum, ut eam manifeste sentiret, per decalogum exigi perfectissimam sanctitatem, non operum solum externorum, uerum etiam omnium humanorum affectuum. Cum autem uideret se eam sanctitatem nec unquam prestasse, nec etiam præstare uiribus suis posse, ibi tum oriebatur terror mortis, & desperatio. Atque hoc præcipuum illud est, propter quod populus horret uocem Dei, & quærit mediatorem inter se & Deum. Nam si hoies non ferunt uocem reprehensoris, cum uerba aures tantum feriunt, quanto minus lex Dei, quæ arguit peccatores in conscientia, ferri potest: Quare quod attinet ad externæ uocis grauitatem & horrorem, Deus dat populo mediatorem Mosen, ut is deinceps audiat uocem Dei, & afferat a deo leges ad populum. Quod autem attinet ad horrorem conscientiae, ibi certe Mose non potest esse mediator, nec potest sua persona eum horrorem sedare, sed Deus promittit eis aliū mediatorem, uidelicet Dominum nostrum Iesum Christum. Vnde et in Deuter. cap. xviij. de hoc mediatore ita scriptum est: Prophetā, de gente tua & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies, sicut petisti a Domino Deo tuo in Oreb, quando contio congregata est, atque dixisti: Ultra non audiam uocem Domini Dei mei &c. Hic propheta est Iesus Christus, interprete Stephano in Act. cap. viij. Et Petro, Act. iij. Nam Christus solus expiauit peccata, & placauit nobis patrem. Hunc si recipiamus per fidem, tunc sedabitur tumultus & terror conscientie per legem excitatus. Atque hic præcipue ille mediator est, qui obscure a populo petitur.

VOS VIDISTIS QVOD DE COELO LOCVTVS SVM VOBIS.)

*Legum. ordo
triplex.
Moraes le
ges.
Cærimonia
les leg. s.
Iudiciales le
ges.*

Postq̄ constitutum est, ut deinceps Mose solus audiat uocem Domini, populus autem accipiat legem per Mosen, dicit Dñs ad Mosen Deut. v. Vade dic eis. Reuertimini in tentoria uestra. Tu uero hic sta mecum, & loquar tibi omnia mandata & cærimonias atq; iudicia, que docebis eos ut faciant, &c. Nunc igitur capessit Mose officium & ministerium mediatoris, quantum quidem ad legem ferendam attinet, & audita Domino leges, quas populo proponere debeat. Principio autem obseruandum est, triplicem esse ordinem legum. Sunt enim leges morales, quas naturales uocare libet, propterea q̄ hę leges naturaliter insculptę sint a Deo humane rationi, & pertineant ad omnes gētes, & ad omnia tempora. Sunt & leges cærimoniales, quas uocamus ecclesiasticas, seu iura canonica. Sunt etiam leges iudiciales seu forenses. Ac naturales quidem leges comprehenduntur summatim in Decalogo, quemadmodum supra indicauimus. Reliquę autem leges cærimoniales, & iudiciales oriuntur e naturalibus tanq̄ riuuli e fonte, nec sunt aliud q̄ explicatio legum naturalium, & determinatio earum ad loca, tempora, personas aliasq; circumstantias uniuscuiusq; Reipub. & ad certa genera suppliciorum, quo mali coerceantur, & boni defendantur. Postquam igitur Dominus recitauit Decalogum, hoc est, naturales leges, accommodat nũc eas ad Reipub. Israelis, legibus ac circumstantijs cærimonialibus & iudicialibus, ut iusta & legitima politia in Israel constituatur. Ac primum tradit hoc loco quasdam leges cærimoniales seu ecclesiasticas, sed paucas, nam de his postea in hoc libro, & in Leuitico & in Numeris, & in Deuteronomio copiosius disseretur. Prima lex est: Non facietis mecum deos argenteos, nec deos aureos facietis uobis. Hęc est lex cærimonialis, & continetur in primo precepto Decalogi. Existimo autem hanc legem hac occasione repetitam esse, q̄ Israelitę, qui non intellexerunt finem legis, qui est Christus, & non perceperunt fide promissiõem de propheta, qui terrorem conscientię sedaturus est, reuocauerunt in memoriã horrorem illum, quo ex uocẽ Dei in promulgatione Decalogi, comprehensi fuerunt, & humana sua ratione diligenter perscrutati sunt, quibus operibus placarent iram Dei, & sedarent tumultum in conscientia excitatum. Inter alia autem opera etiam illud excogitarunt, ut facerent in honorem Dei imagines, non luteas, non ligneas, non lapideas, sed aureas & argenteas, ut quanto præciosior esset materia, tanto gratior esset cultus Deo, & tanto citius mitigaretur ira Dei. Mox igitur reijcit Deus per Mosen hanc humane rationis uanitatem, & fert legem, ne faciãt imagines uel aureas uel argẽteas. Hęc lex, quatenus est cærimonia, ut supra

ut supra ostendimus, nihil ad nos Christianos, qui liberati sumus per Christum a caerimonijs Israeliticis. Quatenus autem est morale seu naturale, uidelicet, ut nō adoremus idola, etiam ad nos pertinet, quibus naturaliter preceptum est, ut unum solum uerum Deum, non idola aut imagines adoremus. Secunda lex est: Altare de terra facies mihi, & offeres super eo &c. Hanc legem Iudæorū interpretes uarie exponunt, quarum interpretationum fides sit penes autores: Nos simpliciter accipiemus hac lege prohibitum esse, ne ædificetur altare de materia preciosa, aut lapidibus politis, sed aut de terra in aceruum congesta, aut de rudibus & impolitis lapidibus. Videtur autē & hæc lex ad cohibendam superstitionem rudium Israelitarū lata esse. Nam cū Decalogus maxis miraculis in monte Oreb a Deo promulgatus esset, existimauerunt eum montem præ oībus alijs locis ita sanctificatum esse, ut in eo solo Deus habitaret, & illic instituenda essent preciosissima altaria, ad quæ quouis tempore peregrinarentur, & Dño Deo suo sacrificarent. Hanc superstitionem Deus hac lege eximit, & iubet eos uilia altaria uel ex terra uel ex impolitis lapidibus facere. Et addit: In quocūq; loco fecero memoriam nomini meo, ueniam ad te & benedicam tibi, hoc est, Nolo existimetis, me in hoc tantum monte habitare. Elegi quidem hunc montem, ut in eo promulgarem Decalogum, unde concedo uobis, ut in eo offeratis holocausta uestra ad gratiarum actionem, non tñ ita habito in eo, ut uelim huic loco affixus esse, & cupiam, ut uos huc ad colendum Deum peregrinemini, unde etiā nolo ut edificetis altare aliqd preciosum: Sed in quocunq; loco fecero memoriam nomini meo, ubicūq; prædicabitur uerbum meum, & statuetur tabernaculum ac propiciatoriū, ibi ueniam ad uos, & benedicam uos, hoc est, ibi adero uobis præsens beneficijs meis, si promissiones meas per fidem accipiatis, & uerbo meo obediatis. Ex his apparet etiā hanc legem de altari e terra aut rudibus lapidibus facto, ad tempus tantum latam esse. Nam postea edificatur altare holocausti ex lignis Sethim, cap. xxvij. Ceteræ, ut reliquarum legum caerimonie nihil ad nos Christianos pertinent, ita nec caerimonia huius precepti. Cū enim ueritas in Christo aduenerit, figure abolite sunt. Morale autē & significatio huius precepti plurimum ad nos pertinent. Morale enim est, q̄ non sit sentiendum: Deum uno tantum in loco habitare, sed oīa implere & ubicunq; inuocetur nomen eius per fidem, propitium esse, quem admodum Stepha. in Actis vij. dicit. Significationem autē eius explicat epistola ad Hebrg. cap. xij. Altare enim significat Christum, cuius unica oblatione expiata sunt pctā nostra. Et hoc altare constructum est e terra, aut impolitis lapidibus, quia Christus induit hominem abiectum, cuius neq; erat species neq; decor, quemadmodum Esaiæ

Deus omnia
implet.

Altare Christi
adumbrat.

cap. liij. scribit. Tertia lex: Non ascendes per gradus ad altare meum, ne reueletur turpitude &c. Videtur & hæc lex aduersus superstitionē lata esse. Nā cum Dominus apparuerit & promulgauerit Decalogū in alto monte, existimarunt superstitionosi necessarium esse, ut etiam altare altius a terra erigatur, quo sacrificium Deo gratus sit. Reijcit ergo Dominus hanc superstitionem, & iubet altare ita edificare, ne ascēdas per gradus, hoc est, ne uel latius a terra erigatur, uel habeat gradus a se inuicem longe distantes. Et addit causam: Ne reueletur turpitude tua iuxta illud, hoc est, ne dum sacrificulus ascendat per gradus, & in alti ori loco sacrificet, tunica eius aut a pectore disiungatur, aut a pedibus sursum eleuetur, & inhonesti quidpiam coram tota populi multitudine appareat. Dominus enim Deus noster multo magis requirit publicam honestatem, quā ipsa externa sacrificia. Hæc est honestissima lex. Et quatenus quidem est cærimonia, nihil ad nos. Quatenus autem exigit publicam in ecclesijs honestatem, certe plurimum ad nos pertinet. Nam in publico ministerio, coram tota Ecclesie multitudine, ita collocatum esse, ut aut uestium disiunctione, aut alijs rebus nulli offendiculum præbeas, naturalis legis est. Vnde grauius peccant, qui indifferenter omnes ecclesiasticos uestitus, præsertim eos quibus maiores ad conseruandam publicā in Ecclesia honestatem usi sunt, condemnant & abijciunt. Superstitionem in uestibus nullus pius probat, at publicam honestatem, ne in publico ministerio uel scurræ appareas, uel disiunctione uestium eas corporis partes denudes, quæ sunt in publico populi conspectu maxime tegendæ, uel nouitate uestitus, aut inusitato modo publice uestiendi Ecclesie offendiculum præbeas, ipsa lex naturalis, quæ est diuina, requirit, &c.

Honestas publica exigitur

Vestimenta Ecclesiastica.

CAPVT XXI.

HAEC SVNT IVRA QVAE PROPONES.) In præcedenti capite primum enumerata est lex naturalis, quæ continetur in Decalogo, deinde enumeratæ sunt aliquæ leges ecclesiasticæ seu cærimoniales, de quibus postea in hoc libro, & in sequentibus libris Mosi copiosius tractatur. Nunc igitur in hoc & quibusdam sequentibus capitibus enumerantur leges politicæ, quas uocant uel ciuiles uel iudiciales uel forenses. Ac primum obseruandum est, quod quemadmodum leges cærimoniales ducunt originem suam e legibus naturalibus, hoc est, Decalogo. Vnde & quæ sunt contra Decalogum, aut legem naturalem, non merentur nomine legis uocari, ita et leges ciuiles aut forenses, ducunt originem suā e Decalogo. Vnde & quæ ex diametro cū Decalogo pugnant, nō habenda sunt

Cærimoniales leges. Forenses leges.

sunt pro legitimis legibus. Deinde, animaduertendum est, quod cum Deus instituat per Moſen in Republica Iſraelitica, non ſolum caerimoniales, ſed etiam iudiciales leges, manifeſte apparet, Deum non approbare tantum miniſterium eccleſiaſticum, uerumetiam publicum magiſtratum ciuilem, adminiſtrationem legum ciuiliū, & iudicia ciuilia. Et cum Dominus ad Moſen dicat: Hæc ſunt iura quæ propones eis, perſpicue ſignificatur, leges forenſes aut iudiciales, quæ ex Decalogo originem ducunt, eſſe ordinationes diuinas eius Reipublicæ in qua conſtituuntur, quibus etiam non tantum propter externum ſupplicium, ſed & propter conſcientiam, ne deſignetur peccatum aduerſus Deum, obediendum eſt.

Magiſtratus
ciuilis appro-
batur.

Prima lex ciuilis, quæ in hoc capite recenſetur, eſt de ſeruitute hominis Hebræi. Si emeris ſeruum Hebræum &c. Eandem legem habes in Deut. cap. xv. & in Leuit. cap. xxv. Hier. xxxiiij. Ex quibus etiam locis requires, legitimum ſenſum huius legis. Nam quod dicitur. Egredietur liber in ſeptimo anno, alij exponunt de publico & generali anno ſeptimo, alij de priuato anno ſeptimo ſeruitutis. Et quod poſtea dicitur. Erit ei ſeruus perpetuo, exponunt Hebræi, uſque ad Iubilæum, quemadmodum Leuit. xxv. ſcribitur. Similiter, quod dicitur. Offerat eum dijs, obſeruandū eſt, iudices & magiſtratus intelligi per deos. Vnde Chaldaeus pro אלהים reponit דינים, id eſt, iudices. Aut ſimpliciter exponas Elohim pro Deo, ut ſit ſenſus: Offerat eum Dñs ad Deum, hoc eſt, ad domum iudicij diuina ordinatione ad hæc negotia inſtitutū. Vnde Græcus uertit, προς τὸ δικαστήριον τοῦ θεοῦ. Quod uero aures ſeruo perforantur ſubula, externum ſignum ſeruitutis eſt. De quo uide D. Martinum Lutherum in commentario ſuper Deut. cap. xv. Ceterum hæc lex, quatenus eſt politica, ad Iſraelitas tantum pertinet, non ad nos Chriſtianos, quibus alię leges de ſeruitute in Romano iure præſcriptę ſunt. Quatenus autem continet ea quę ſunt iuris naturalis, & dilectionis proximi, etiam ad nos pertinet. De ſeruitute ergo, quam nunc uocamus additionem corporis queritur, num ſeruitus conueniat etiam cum iure naturali, & num pio homini bona conſcientia licuerit in Rep. Iſraelitica, aut liceat nunc in Chriſtianismo poſſidere ſeruos et ancillas. Tameſi autem, iuxta ſententiam iuriſconſultorum, omnes homines naturali iure liberi naſcantur, tamen afferunt ſecum natiuitate ſua cauſas, propter quas ſeruitus in genus humanū introducta eſt. Homines enim naſcantur in peccatis, & afferunt ſecum ex peccato originali naturalem quandam ferotiam in hunc mundum. Et hæc ferotia opprimenda, aut ſaltem coercenda eſt, ne erumpat in manifeſta ſcœlera, & diſſipet ſtatum uitę politicę. Coercetur autem, uel uerbo Dei, uel educatione, uel legibus, uel ſeruitute. Quare ſeruitus non eſt

Dijs, pro magiſ-
tratu.

Seruitutis
ratio.

contra legem naturæ, sed quia homines sunt natura feroces, seruitus commodum organon est, quo in obsequio naturalis legis conseruantur. Lex enim naturalis dicit: Non occidas. Non fureris. Non committas adulterium &c. Sunt autem multi homines tam feroces, qui nec uerbo Dei, nec legibus, nec honesta educatione in officio horum & similium præceptorum contineri possunt. Necessaria igitur est seruitus, qua laboribus ita obruantur, ut ne spatium quidem de his peccatis deliberandi relinquatur. Præterea lex naturalis dicit: Honora patrem & matrem. Quo præcepto ut liberi subiiciuntur parentibus, ita serui dominis. Itaque seruitus non pugnat cum lege nature, sed habet potius originem ex ea. Huc accedit, quod Paulus ad Corinthios scribens: Seruus (inquit) uocatus es, ne tibi sit curæ &c. Et alias subiicit seruos dominis, & præscribit dominis præcepta, non ut abiciant, aut mittere cogantur seruos, sed ut humaniter seruos tractent. Quare nec est contra legem naturalem, nec contra uerbum Dei, seruos possidere. Hoc tamen obseruandum est, ut serui non habeantur pro iumentis, sed ut tractentur iuxta eum modum, quem Paulus præscribit dominis, Eph. vi. & Coloss. iij. &c. Quanquam enim extent in rebus publicis alias duriores, alias mitiores leges de seruitutibus, tamen pio homini semper ob oculos uersandum est illud naturæ. Omnia quecumque uolueritis ut faciant uobis homines, sic & uos facite illis. Et bene retinendum est, Christum etiam pro seruis mortuum esse. Deinde, quod in hac lege conceditur seruo, ut eam uxorem quam Dominus ei dederit, derelinquat apud Dominum, si uoluerit septimo anno liber egredi, præbet fortassis otioso cuidam homini materiam cogitandi, quomodo pius seruus bona conscientia potuerit derelinquere uxorem suam, & liberos, etiam si leges ciuiles coniugium seruorum & ancillarum uocent, non matrimonium, sed contubernium. Sed quia talis forma seruitutis & coniugiorum apud nos abrogata est, ac maxime gratiæ Deo agenda sunt, pro libertate nostra quæ licumque, non libet nunc has res curiosius perscrutari. Nam fortassis etiam huius legis pars referenda est in catalogum earum legum, quæ fuerunt Israelitis concessæ propter duritiam cordis eorum. Hoc autem ita obseruandum est in hac lege, quod qui in rebus ciuilibus sua sponte onus in se recipit, necesse etiam habeat illud sufferre, donec legitime liberetur. Vnde seruus, qui post septimum annum, ius libertatis suæ resignat, debet perpetuo usque ad annum Iubilæum seruus manere.

Seruorum
coniugium

Secunda lex est: Si quis uendiderit filiam suam pro famula, non egredietur sicut serui &c. In hac lege uides, quanta olim permessa fuerit parentibus potestas in liberos. Et necesse habuerunt liberi parentibus obedire, iuxta illud: Honora patrem & matrem &c. Quanquam
autem

autem durissimum sit, ut parens uendat filiam, tamen uides legem istud permittentem multam admiscere humanitatem. Vnde docemur, quod duris imperijs semper admiscenda sit humanitas, quia durities ferri queat:

Tertia lex: Qui percusserit hominem, & mortuus fuerit, morte moriatur. Primum obserua hanc legem non permittere cuiuis, ut occidat homicidam, sed loquitur ad populū, in quo legitimus magistratus ordinatus est, ut intelligas, morte moriatur, uidelicet, per legitimum magistratum. Deinde uide num hæc lex sit contra legem naturalem, in qua dicitur: Non occidas. Sed si rem probe discutias, tantū abest, ut pugnet cum lege naturali, ut potius e lege naturali oriatur, Homicidij
lex. & sit legis naturalis munimentum. Nam lex dicit: Non occidas. Si autem hanc legem uiolaueris, & occideris hominem, eadem certe lex innuit te legitime occidendum, ne plures occidantur. Etenim, sicut in medicina præceptum: Ne noceas membris, non hoc uult, ut singulis membris siue sanis siue putridis parcas, sed potius uult, ut si aliter fieri non possit, putridum membrum abscindatur, ut reliqua conseruentur, ita cum in lege dicitur: Non occidas, non intelligendum est, homicidam non esse legitime occidendum sed potius intelligitur homicidam esse interficiendum, quo obedientia huius legis, Non occidas, conseruetur &c.

Sequitur huius legis exceptio. Qui autem non est ei insidiatus, sed Deus illum tradiderit in manus eius &c. Extat hæc lex paulo clarius Deut. xix. Huc etiam conueniunt Romanæ leges in Codice lib. ix. Titulo Ad legem Corneliam de Sicarijs. Ea (inquit Imperator) quæ ex improuiso casu potius quæ fraude accidunt, fato plerumque non noxæ imputantur. Cæterum pro ciuitatibus, quæ fuerunt in politeia Mosaica ad asyla infontium deputatæ, in Romana politeia sunt Ecclesiæ & domus religiosorum, de qua re extant leges in Codice lib. i. Titulo, Priuilegia ecclē
lesiastica De his qui confugiunt ad Ecclesias. In hac ergo exceptione legis principio nobis obseruandum est, quod priuilegia, quibus Ecclesiæ ad asyla publice deputantur, non sint supersticio, sed diuina ordinatio, qua insons ab iniusta & illegitima uiolentia defenditur. Quare hæc priuilegia non sunt temere abroganda, sed tanquam Reipub. necessaria, & tanquam diuina ordinatio conseruanda. Deinde uides externa facta non esse iudicanda iuxta externam facti speciem, sed iuxta internum facientis animum. Nam, si quis ferro e manu fortuna quadam e lapso, interficit hominem, designat certe homicidium, si externam speciem respicias. Sed quia abest animus occidendi, non iudicatur homicidium supplicio dignum. Hoc & magistratibus obseruandum est, ut discant diligenter inter speciem facti & animum facientis discernere

re, & omnibus etiam hoibus notandum est, ut hoc exemplo uideant, qui fiat, quod opera nostra, quamuis in speciem optima, non tamen iudicentur coram Deo perfecta iustitia. Animus enim noster coram Deo impurus est, propterea quod simus in peccatis concepti & nati. Ab animo autem estimantur externa facta. Quare opera nostra non possunt in conspectu Dei pro uera & perfecta iustitia haberi. Postremo diligenter animaduertenda sunt hæc uerba legis (sed Deus tradiderit illum in manus eius) Significant enim Dominum omnia administrare, & sicut non cadit capillus de capite sine uoluntate patris, ita non elabitur ferrum e manu secantis ligna sine administratiõe Dei. Quare quicquid tibi incommodi acciderit, hoc excipias tanquam manu Domini immissum. Quod autem Dominus immittit, hoc immittit aut ut nos probet, aut ut nos ad resipiscentiam inuitet. Inuoca igitur Dñm in oibus afflictionibus quæ tibi accidunt, & resipisce, ut serueris.

Sed quid fiet de fontibus? num & hi habent publica asyla? De hac re audi quæ fuerit lex in politia Mosaica. Si quis (inquit) temerarius fuerit in proximum suum, ut occidat eum dolo, ab altari meo auelles eum, ut moriatur. Et huius legis exemplum habes in tercio Regum secundo de loab.

Quarta lex in hoc capite. Qui percusserit patrem suum aut matrem, morte moriatur. Hæc lex munit illam. Honora patrem &c. Cæterum e se uero legis supplicio uides grauitatem eius peccati quod designatur in parentes. Et tamen hoc supplicium ciuile tantum est ac corporale, in hoc institutum, ut externa disciplina inter parentes & liberos conseruetur. Nisi enim resipueris, & consequaris remissionem peccati propter Christum per fidem, tunc multo grauius supplicium manebit te in altero seculo, nimirum perpetuus ignis.

Quinta lex: Qui furatus fuerit hominem & uendiderit eum &c. Vides ex hac lege furtum, secundum circumstantias, aut seuerius, aut mitius puniri.

Sexta: Qui maledixerit patri suo &c. Munit & hæc lex reuerentiam, quæ debetur parentibus. Extat eadem lex Leuit. capite xx.

Septima: Si rixati fuerint uiri, & percusserit alter proximum suum &c. Hæc lex munit publicam pacem & tranquillitatem. Sed quid est, quod dicit: Innocens erit qui percusserit? num innocens est, qui proximum percutit & uulnerat, tantum ut non occidat? Memineris legem loqui de humano, externo, non de diuino spiritali iudicio. Nam percussor, qui non occiderit proximum, non iudicatur quidem in forensi iudicio homicida, sed tantum condemnatur in expensis & selsionibus, hoc est, cogitur soluere percusso, quod in medicos expendit, & quod interim labore suo neglexit, coram Deo autem designat peccatum homi-

tum homicidij, non tantum percussione, uerumetiam ira & amarulenta, qua in proximum inuehitur, quemadmodum Matthæi quinto explicatur. Quare nisi resipiscat, obnoxius est etiam coram Deo supplicio homicidij, quod est ignis infernalis.

Octaua: Qui percusserit seruum suum uel ancillam uirga &c. Altera huius legis pars: Si autem uno die uel duobus superuixerit &c. apudulo durior est in seruos et ancillas. Romanæ leges hac in parte mitiores sunt. Dicunt enim: Hoc tempore nullis hominibus, qui sub imperio nostro sunt, licet sine causa legibus cognita in seruos suos supra modum sæuire. Nam ex constitutione diui p̄ij Antonij, qui sine causa seruum suum occiderit, non minus puniri iubetur, quam si alienum occiderit. Lex tamen Mosi multo æquior fuit suo tempore, quam aliæ leges, quæ eo tempore inter gentes extiterunt, & concesserunt simpliciter dominis in seruos, tanquam in iumenta, uite necisque potestatem. Ergo ne licuit patrifamilias in politia Mosaica impune in seruum suum sequi, modo non statim occidat ipsum? Licuit quidem impune, quantum attinet ad forētia supplicia. Quia, inquit lex, pecunia illius est. Sed minime omnium licuit, quantum attinet ad peccata & supplicia coram Deo. Nam qui ita crudeliter sequit in seruum suum, is designauit homicidium coram Deo, & obnoxius fuit supplicio homicidij, uidelicet poena æterni ignis.

Seruatorum uilitas in lege.

Nona lex: Si rixati fuerint uiri, & læserit quis mulierem pregnantem &c. In hac lege obseruanda est lex talionis: Animam pro anima, oculum pro oculo &c. Eadem lex talionis scripta est Leuitici xxiij. & Deut. xix. Sed quomodo intelligenda sit, exponit Christus Matth. v. Audistis (inquit) quod dictum fuerit, oculum pro oculo, & dentem pro dente. At ego dico uobis: Ne resistatis malo, sed quisquis impegit alapam &c. Quid ergo? num Christus abrogat ueterem legem? minime, sed interpretatur eam. Cum enim in lege scriptum sit: Animam pro anima, oculum pro oculo, & intelligendum sit de legitima uindicta, quæ solummodo a magistratu inferitur, existimabant homines, sibi priuatim licere iniuriam uiscisci, & par pari referre. Christus igitur exponit legem & distinguit inter magistratus & priuatos, inter legitimam uindictam, & inter illegitimam ac priuatam. Audistis (inquiens) quod dictum fuerit, oculum pro oculo, dentem pro dente, hoc est, Lex proponit uindictam, & recte facit, si intelligatur de legitima uindicta, quæ ab ordinario magistratu exercetur. Iustum enim est, ut qui alteri exculserit oculum, etiam ipsi excutiatur oculus, nimirum cognita causa a magistratu. Vobis autem priuatis hominibus, nullo magistratu fungentibus, dico minime licere pro uestro arbitrio iniuriam pro iniuria referre. Hoc enim lex ipsa perspicue docet Leui. xix. Non odies fratrem

Talionis lex

tuum in corde tuo. Et mox: Non ulciscaris neq̄ obserues iniuriam contra filios populi tui, sed diliges proximum tuum sicut te ipsum. Et aliàs: Mea est ultio & ego rependam &c. Cæterum, ab hac talionis lege excipitur Dominus percutiens seruum suum. Vnde sequitur. Si percusserit quispiam oculum serui aut ancillæ, ut pereat &c. Hæc est prudentissima lex: Nam quod non exigit a domino oculum pro oculo, sed libertatem serui, consulit salutem serui, & tamen non dimittit dominum impunem. Si enim exigeret a domino oculum pro oculo, & non libertatem serui, uix unquam posset inter dominum & seruum conuenire, præsertim si dominus admoneretur oculi sui propter seruum effossi.

Decima. Si bos cornu percusserit &c. In hac lege primum uide, quanto odio prosequatur Deus homicidia, ut ea nec in brutis inulta esse uelit. Bos, inquit, lapidibus obruetur, & carnes eius nõ comedentur. Simile est, quod Gene. ix. dicitur: Sanguinem animarum uestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis. Deinde obserua quod neglectori et cessatori imputetur id peccatum, quod negligentia ipsius ab alio designatum est. Si bos, inquit, cornu petra fuerit ab heri & nudius tertius, & contestati sunt dominum eius &c. bos lapidibus obruetur, & dominum eius occident &c. Memorabilis lex, e qua discendum est, quod Deus imputet peccata filiorum parentibus, & subditorum magistratibus, si negligentia & cessatione parentum ac magistratum peccatum fuerit. Exempla habes in Eli, i. Regum iij. Item Ahab, ij. Regum xx. Huc facit quod Ezechielis. ij. dicitur: Si dicente me ad impium morte morieris &c. Et Ezech. decimo tertio de Speculatore &c.

*Neglectoris
& cessatoris
pœna.*

Vndecima. Si quis aperuerit cisternam, & foderit &c. Quid est an Domino Deo nostro hæc minuta curæ sunt, ne bos cadat in cisternam? Quid tantam bouum aut asinorum curam habet? At non existimes hæc & similes leges frustra & temere a Deo latas, & a Mose conscriptas esse. Primum enim deus uoluit his rerum minutis significare ordinationes ciuiles, de rebus etiamnum uilissimis, diuinas ordinationes, ac minime contemnendas esse. Deinde cum Deus habeat curam bouum, significat sibi maxime omnium curæ esse hominem, propter quem boues creati sunt, adeoq̄ ex hac lege declaratur, Deum etiã capillos capitis nostri numerasse. Quid ergo formidamus, ne aliquid mali nobis accidat, nesciente Deo? Si autem non nescit, quid nobis accidit, quomodo non adiuuaret sperantem in ipsum, præsertim cum scriptum sit: Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Postremo hac lege indicat Deus, quanta seueritate exigit, ne quid incõmodi proximo inferamus. Non magnum est, q̄ bos in cisterna moriat̄, magnum aut̄ est, quod

BOVVM CURA.

est, quod proximus nostra negligentia lædatur, & damnū patiatur.

Duodecima. Si bos alienus, bouem alterius &c. Vides iterum in hac lege, quanta sollicitudine Deus exigat, ne quid damni proximus nostra ignauia patiatur. Adeoq; hæc leges, quid aliud sunt, q̄ explicatio huius: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Et, quæcunq; uolueritis ut faciānt uobis homines, sic & uos facite illis.

CAPVT XXII

SI QVIS FVRATVS FVERIT.)

Naturalis lex est: Non facies furtum. Ac de spiritali quidem supplicio furti, Paulus ait: Neq; fures neq; raptores habent hereditatem regni Dei. De externo aut & corporali furti supplicio uariatū est, apud oēs pene gentes. Nam lex Mosi, ut hoc loco habes, condemnat manifestum furem ouis, quadruplo, bouis aut quincuplo. Vnde Zacheus in Euangelio dicit, se quadruplum redditurum, si quem defraudauerit, hoc est, recipit se defraudatis satisfacturum iuxta leges ciuiles. Draco Atheniensis decreuit furem cuiuscunq; furti supplicio capitis puniendum. Solon mitiorem poenam furibus intulit. Nam si qs super manifesto furto iure & ordine experiri uelit, actio in quadruplum dabatur. Pro furto aut concepto & oblato, poena tripli constituta est. Alijs deinde furtis oibus quæ nec manifesta appellant, poena dupli. Romanæ leges puniunt furtum ciuilitate, et criminaliter. Ciuilis poena, manifesti furti, quadrupli est. Nec manifesti, dupli. Quid aut sit furtum manifestum, quid necmanifestum, uide Instituta de obligationibus, quæ ex delicto nascuntur. Criminaliter aut furtum alias punitur oculorū effossione, alias scopis & forpice, alias laqueo. De qua re uide in ij. lib. Feudorū, de pa. tenen. & eius uiolatoribus, §. Si quinque. Et in glo. de pace tenenda & iura, fir. §. Iniuria seu furtum. Quam q̄ aut ultimū supplicium furibus inferendum uideatur esse crudelius q̄ Deus in lege Mosi ordinauit, lex tamen Mosi non pertinet ad politian Romanam, & supplicia externa possunt a magistratu bona conscientia augeri, si ratio temporis, feritas gentis, & aliæ circumstantiæ delicti id exegerint. Magistratus enim Dei minister est, ultor ad iram ei, qui quod malum est, fecerit. Ceterum non est sentiendum, q̄ fur etiam si laqueo suspendatur, expiet eo supplicio peccatum suum coram Deo. Nullum enim humanum supplicium potest pro peccatis in iudicio Dei satisfacere: Sed expiat tantum coram hoibus, uidelicet, ut et ipse deinceps non furetur, & alij a furto deterreantur. Quid ergo faciat fur iam suspendendus: num desperet de salute sua? minime oim. Sed agnoscat pctū suum, agnoscat se hoc supplicium meritum, & credat

Furti uaria
supplicia.
Libro 4.

in Christum, q̄ ipsius passio expiauerit p̄ctā sua. Quod si hoc fecerit, tm̄ abest, ut supplicium laquei afferat salutē ipsius aliquid incommodi ut potius eo supplicio seruiat Deo, & ministr̄ Dei agat. Concionatur em̄ supplicio suo: Non esse furādum, & deterret alios a furto. Concionari autem, & deterrere homines a furto, est cultus & ministerium Dei. Quare qui ob furta suspenduntur, animum minime despondere debent, sed potius confidere propter Christum &c.

SI EFFRINGENS FVR DOMVM FVERIT INVENTVS.)

Hæc lex conuenit cum lege duodecim tabularum. Nam duodecim tabulæ (inquit Cicero) nocturnum furem quoquo modo, diurnū autem si se telo defenderit, interfici impune uoluerunt. Verba eius legis sunt: Furem, qui manifesto furto prehensus erit, si furtum, aut noctu faciat, aut interdū comprehenderetur, se telo defendat, occidito. E ceteris manifestis furibus liberos uerberato, & ei cui factū luci furtum erit, si se telo non defendāt, addicito. Quid autem dicemus de iudicio Dei? Homicida furis iudicatur quidem innocens coram humano iudicio, num autem pius homo possit bona conscientia furem nocturnum aut diurnum telo se defendentem occidere? Consultissimum est, ut caueat pius quoquo modo possit, ne quenq̄ priuato arbitrio, etiam si id impune queat, occidat. Sed si in eam necessitatem adactus fuerit, ut nisi se defendat, a fure aut latrone periculum immineat, tūc obseruandum est, quid naturali lege permissum sit. Aduersus periculū (inquit lex ff. ad L. Aquiliam) naturalis ratio permittit se defendere. De hac lege audi etiam Ciceronem pro Milone. Hæc non est scripta sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, uerum etiam ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus, ad quam nō docti, sed facti, non instituti sed imbuti sumus, ut si uita nostra in aliquas insidias, in uim, in tela, aut latronum aut inimicorum incidisset, omnibus honesta ratio esset expediendæ salutis. Silent enim leges inter arma: Nec se expectari iubent, cum ei qui expectare uelit, ante iniusta p̄cena luenda sit, quam iusta repetenda, & quodammodo dat ipsa lex potestatem defendendi, quæ non modo hominem occidi &c. Hæc et si Ethnicus scribit, tamen sentiendum est etiam Ethnicos dono Dei uidisse ea, quæ sunt naturalis legis, quam sacræ literæ intantum non abolent, ut etiam eam illustrent. Quid ergo Christus dicit: Malo ne resistas? Hæc uerba, cum non sint noua lex, sed tantum ueteris legis explicatio, haud obscure significant, non resistendum esse malo illegitime, & priuato arbitrio. Quod autem fit iubentibus & recte permittentibus legibus, hoc iam diuina ordinatione fit.

QVANDO AUT FVR ALIQVIS NON HABVERIT.)

Hæc

Defensio iuris naturalis,

Imò non silēt sed clamant potius ex iubent, ut nos defendamus.

Hæc lex ad eam Remp. pertinet, in qua solenne fuit hoies uendere.

SI LAESERIT QVISPIAM AGRVM.)

De hac re extat etiam lex in duodecim tabulis. Si quadrupes pauperiem fecerit, animal quod commisit noxam dato, aut noxe estimationem ferto. Vide etiam Instituta in Titulo, Si quadrupes pauperiem &c.

Lib. 4.

SI EGRESSVS IGNIS INVENERIT SPINAS &c.)

Hæc lex perspicue declarat, quanta cura Deus uelit nos sollicitos esse, ne proximo negligentia nostra incommodum afferamus. Et dicit hæc lex originem suam ex illa generali: Diliges proximum tuum sicut teipsum.

SI QVIS COMMENDAVERIT AMICO PECUNIAM.)

Hæc est lex de deposito pecunie & aliarum id genus rerum. Extat et de eadem re in Romanis legibus, Titulis: Depositi uel contra. In quo titulo inuenies leges cum hac lege Mosi conuenientes. Sed hæc pertinent ad forensia. Nos ecclesiastica in hac lege obseruabimus. Primum ergo, cum hæc lex de deposito diuinitus lata sit, haud obscure significatur, quod non solum homo deponens res suas apud amicum, uerum etiam Deus ipse commendat depositum, ut fideliter ac diligenter custodiatur. Quare qui ignaua socordia aut dolo malo depositum tractat, is non solum in amicum, sed etiam in Deum ipsum peccat, & uiolat hoc præceptum: Non fureris. Deinde, cum dicitur: Dominus domus applicabitur ad deos. Et mox: Veniat causa utriusque ad deos, indicat legitimum magistratum esse ordinationem diuinam. Dij enim hoc loco sunt ciuiles magistratus diuina seu legitima ordinatione constituti. Postremo hæc lex docet nos, quanta seueritate Dominus Deus noster exacturus sit ab unoquoque nostrum rationem eorum depositorum, que ipse apud nos deposuit. Nam quecumque dona uel corporalia uel spiritualia possidemus, ea nobis depositi nomine a Deo data sunt. Sic diuitie, sic iuuentus, sic dignitas & magistratus, sic liberi, sic prudentia, sic innumera alia, depositi nomine ueniunt. Quare si his abutimur, quid reliquum est, nisi ut in duplo condemnemur? Utamur ergo donis Dei bene, ut audiamus illud patrisfamilias: Euge serue bene, super pauca fuisti fidelis super multa te constituam.

in Codi. li. 4.

Deorum nomine magi-
stratus intelligitur.

SI QVIS COMMENDAVERIT PROXIMO SVO BOVEM.)

Est & hæc lex de deposito, non autem pecunie, aut uestium, & aliarum id genus rerum, sed bouum, ouium, & aliorum iumentorum. Ceterum, in hac lege præcipue nobis obseruandum est, quod de iureiurando dicitur: Iusiurandum (inquit) DOMINI ponatur inter eos. Et mox: Suscipiet Dominus rei iuramentum. Ex his apparet ciuilem magistratum.

Iuramentum legitimum.

stratum posse bona conscientia iuramentum ad explorandam ueritatem exigere, & eum, a quo iuramentum legitime exigitur, posse bona conscientia illud prestare, modo uerè dicat, & non mentiatur. Nam q̄ Christus dixit: Ne omnino iuretis, alias explicatum est.

QVI A PROXIMO SVO ALIQVID MUTVO POSTVLAVERIT.)

Lex de mutuo, de quo extat & in Romanis legibus, Titulus: Commodati uel contra.

SI PERSVASERIT QVIS VIRGINEM NEC DVM DESPONSATAM.)

Habes de hoc stupro uirginum etiam in Romano iure legem, sed paulo duriozem. Eadem, inquit, lege Iulia etiam stupri flagitium punitur, cum quis sine ui uel uirginem uel uiduam honeste uiuentem stuprauerit. Poenam autem eadem lex irrogat, peccatoribus, si honesti sunt, publicationem partis dimidie eorum bonorum, si humiles, corporis coertionem cum relegatione. Sed et hæc lex postea mitigata est in iure canonico. Ac forum quidem ciuile sua habeat iura, nos autem obseruemus ea quæ ad conscientiam pertinent. Primum em̄, qui stuprauerit uirginem, non existimet se peccatum expiassè coram Deo uel dote, uel coniugio. Hoc enim scelus dignum est eterno supplicio. Adulteri (inquit Paulus) & fornicatores regni Dei hæreditatem non accipient. Sed expiatur tantum resipiscentia, hoc est, agnitione peccatorum, & fide in Christum, qui solus est expiator peccatorum nostrorum. Fidem autem sequuntur opera & fructus fidei. Inter fructus autem fidei etiam hic enumeratur, ut quod quisq; alteri abstulit, hoc, si fieri potest, restituat. Iam stuprator abstulit uirgini suum decus, & honorem. Et hunc honorem non potest commode uirgini reddere, nisi ducat eam in uxorem. Quare, etsi in Romana politia stuprator non cogitur stupratam in uxorem ducere, ipsa tamen conscientia hortatur eum, ut si legitime & non magno incommodo fieri possit, stupratam in uxorem retineat. Deinde uides etiam in hac lege, q̄ parentum consensus ad coniugium, suo modo necessarius sit. Dicit enim lex: Si pater uirginis dare noluerit &c.

MALEFICAS NON PATIERIS VIVERE.)

Similis est lex in Codice, Titulo De maleficis & mathematicis. Multi, inquit, magicis artibus usi elementa turbare, uitas insontium labefactare non dubitant, & manes accitos audent uentilare, ut quisque suos conficiat malis artibus inimicos. Hos, quoniam naturæ peregrini sunt, feralis pestis absumat. Huc accedit lex duodecim tabularum: Qui fruges excantassit, poenas dato, neue alienum segetem pellexeris excantando, ne incantando.

QUI DORMIERIT CVM IUMENTO MORTE MORIATVR.)

Iustissimum enim est ut insurgant leges, & iura armentur gladio aduersus eos, qui relicto naturali usu, perpetrant fœditatem & ignominia afficiunt sua ipsorum corpora. C. ad L. Iuliam, de stupro & adulter. L. cum uir nubit.

QUI IMMOLAT DIIS PRAETERQVAM DOMINO SOLI ANATHEMA SIT.)

Hæc lex clarius explicatur Deutero. xiiij. Extat & similis lex in Codice, Titulo de sacrificijs paganorum & templis. Volumus cunctos sacrificijs abstinere. Quod si aliquid forte huiusmodi perpetraverint, gladio ultore sternantur &c. Hic uides, quod magistratus ciuilis interficit, non solum externa huius seculi flagitia, ut sunt adulteria, furta, & homicidia, sed etiam publicam impietatem & idololatriam punire & abrogare.

ADVENAM NON DEGLVBES NEQVE AFFLIGES EVM, ADVENAE ENIM ET IPSI &c.)

VIDVAM ET PVPILLVM NON AFFLIGES.)

Adueng, quia carent cognatis et affinibus. Viduæ & pupilli, quia carent patribusfamilias & patronis, facile cuiusuis improbe libidini patent. Et rari sunt homines, qui horum miseria & calamitate afficiantur. Ipse igitur Dñs Deus noster suscipit hos in suam curã, & fert pro eis legem plenam humanitatis. Nō addit autem hoc loco ciuilem poenam, quemadmodum in legibus supra commemoratis. Cum em̄ sint uaria crudelitatis genera, quibus peregrini, uiduæ & pupilli ab improbis opprimuntur, magistratus inter est poenam pro delicti qualitate inferre. Ceterum, hæc lex sepe alias repetita est, ut in sequenti capi. Et in Deute. x. dicitur. Facit iudicium pupillo & uidue, amat peregrinum, & dat ei uictum atq; uestitum &c. Et Prouer. xxiij. Ne attingas paruulorum terminos, & agrum pupillorū ne introeas. Propinquus enim illorum fortis est &c. Sunt enim multe rationes, quibus deterri debemus, ne quicq; iniurię inferamus aduenis uiduis & pupillis. Primo, Aduenæ, uidue & pupilli, continentur non secus in nomine proximi, q̄ amici cognati & affines. Quare sicut hos, ita & illos debemus diligere perinde atq; nos ipsos. Secundo, Natura affert, ut eis faueamus, qui eadem pericula, quibus nos aut perfuncti sumus, aut obrui possumus, sustinent. Natura etiam affert, ut quecunq; uoluerimus ut faciant nobis homines, sic & nos faciamus illis. Nos aut uel exules aliquando fuimus, sicut Israelitæ in Aegypto, uel exilium nos preforibus manet. Et optamus nostras uiduas ac pupillos ab omni iniuriã tutos. Quare natura nos monet, ut & nos ab iniuriã his inferenda

*Aduene.
Pupilli.
Vidue.*

abstineamus. Tertio: si affligantur, habent Deum uindicem. Vnde ait hoc loco: Si afflixeris eos, uociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus. Et alias Deus dicitur amare peregrinos, & esse iudex uiduarum, ac pater pupillorum. Deus enim poenam infert his, qui afficiunt aduenas, uiduas & pupillos iniuria, etiam si magistratus civilis non puniat. Percutiam, inquit, uos gladio, & erunt uxores uestrae uiduae, & filij uestri pupilli. Deum autem exigere poenam ab his, qui peregrinis & aduenis iniuriam inferunt, non solum sacrae, uerum etiam philosophicae literae, quae sunt magna ex parte legis naturae interpretes, testantur. Plato enim libro quinto de legibus ita dicit:

προς δ' αὐ τοὺς ξένους διαουτίον ὡς ἀγνώτατα ξυμβόλαια ἄντα· σχεδὸν γὰρ πάντ' ἐστὶ τὰ τῶν ξένων. Ὁ εἰς τοὺς ξένους ἀμαρτήματα παρὰ τῶν πολιτῶν εἰς θεὸν ἀνηγορευμένα τιμωρὸν μάλλον. ἔρκμος γὰρ ὢν ὁ ξένος ἐτάριον τε ἢ συγγενῶν, ἐλεηνότερος ἀνθρώποις ἢ θεοῖς. ὁ δ' ὑνάμενος οὖν τιμωρεῖν μάλλον, βοηθεῖ προθυμότερον &c.

Sed ut horribilis poena manet eos, qui inferunt iniuriam, ita exitium premium manet eos, qui benefaciunt illis. Benedictus, inquit, erit fructus uentris tui, benedictus eris ingrediens & egrediens &c.

SI PECVNIAM MVTVAM DEDERIS.)

pauperum contemptus. Vt aduenae uiduae & pupilli, ita et pauperes ubique iacent. Et pauperibus nihil est coram hominibus abiectius. Quare assumit & hos deus in suam ipsius curam, & fert pro eis humanissimam legem, ac iubet ne pauperes urgeantur, & opprimantur usuris. Nam & pauperes continentur in nomine proximi, ac tanto magis in eo continentur, quanto paupiores sunt. Quare diligendi sunt, ut nos ipsos diligimus. In Deut. cap. xv. additur etiam comminatio: Ne clamet contra te ad Dñm, & sit tibi in peccatum. Vide & hanc legem Deute. xxiiij. & Leuitici xxv.

SI PIGNVS A PROXIMO TVO ACCEPERIS VESTIMENTVM &c.)

pignorum exactio. Est & haec lex pro pauperibus lata. Et repetitur Deut. xxiiij. Sed hoc loco additur comminatio: Si clamauerit ad me exaudiam eum. Quia misericors sum. Obseruandum dictum, e quo discamus Dominum Deum nostrum maxime omnium respicere calamitates miserorum, & uindicare duritiam ac crudelitatem hominum, qui miseras miserorum augent. In Deuterono, autem additur promissio. Vt dormiens, inquit, in uestimento suo benedicat tibi, & habeas iustitiam coram Domino Deo tuo. Sed cur in totum non prohibetur repetitio debitorum aut pignorum? In Euangelio enim dicitur: Mutuum date, nihil inde sperantes. Et ab eo qui aufert, quae tua sunt ne reposcas. Respondeo: Haec dicta explicuimus in Homilijs, quas conscripsimus in Lucam. Non enim prohibetur legitimus usus ciuiliū ordinationū in repetendis debitis, aut accipiendis pignoribus, sed cum

sed cum dicitur: Ab eo qui aufert quæ tua sunt ne reposcas, prohibetur, ne malum malo referamus. Cum autem dicitur: Mutuum date nihil inde sperantes, non prohibet Christus repetitionem debitorum ab his qui sunt soluendo, sed docet qua humanitate pauperes, qui omnino non sunt soluendo, tractare debeamus. Nam propter eos qui sunt soluendo, & ut publica conseruetur tranquillitas in Rep. institutæ sunt ciuiles ordinationes, quibus repetuntur debita, & accipiuntur pignora. Et his ordinationibus pius homo bona conscientia uti potest, tantummodo ut habeat rationem charitatis proximi, ac presertim pauperis.

DIIS NON MALEDICES, ET PRINCIPEM &c.)

Hæc lex munit auctoritatem Iudicum & Principum in populo. Nam dii hoc loco intelligendi sunt pro מַלְאָכִים, ut Chaldaeus interpretatur, hoc est, pro iudicibus diuina ordinatione constitutis. Est autem solentis uulgi mos, ut maledicat & excretur iudices, si non pronunciarint sententias iuxta ipsius libidinem. Quare necesse fuit, ut Deus auctoritatem iudicum publica lege munitet, & improborum licentiam coerceret. In Ecclesiasta dicitur: Regi ne detrahas, & in secreto cubiculi tui ne maledixeris diuiti, quia aues cœli portabunt uocem tuam, & qui habent pennas annunciabunt sententiam. Hanc legem Iosephus contra Appionem, ita interpretatur. Noster, inquit, mos est propria custodire, non aliena accusare. Et ut neque irridere, neque blasphemare debeamus eis, qui apud alios putantur dii, aperte nobis legislator interdixit, propter ipsam appellationem. Haec Iosephus. Sed fides huius interpretationis sit penes auctorem. Cur enim alienos deos non liceret daemones appellare, cum id perspicue sacra scriptura doceat.

Ecclesiast. 19.

PLENITVDINEM TVAM ET LACRYMAM TVAM.)

Hanc legem alij aliter interpretantur. Quidam pro plenitudine intelligunt תירוש, hoc est, uinum nouum & indigestum. Et pro lacryma, יצור, hoc est, oleum. Alij, intelligunt pro plenitudine בכורים, hoc est, primitias. Alij pro plenitudine, arida, pro lacrymis, liquida intelligunt. Habent & alij alias expositiones, quas non est opus hic recensere. lubet autem hæc lex Leuitis & sacerdotibus in tempore dare, quæ ex frugibus tam aridis quam liquidis debentur. Quanquam autem hæc lex sit caerimonialis, tamen pertinet etiam ad leges iudiciales, propterea quod magistratus ciuilis intersit hanc legem tueri, & operam dare, ut quæ populus debet ministris Ecclesiae, in tempore persoluantur.

Ministorum
Ecclesie stia
pendia

PRIMOGENITVM FILIORVM TVORVM.)

De hac lege uide supra capite xij. Ceterum hic additur circumstantia temporis, quo debeant primogenita bouum & ouium offerri. Septem,

Leuit. 22.

inquit, diebus sit cū matre sua, die octauo reddes eum mihi. Ex repetitione harum legum, & determinatione temporis, quo primogenita bouum offerri debent, facile conijci potest, uulgum improbissime debita sua Leuitis persoluisse, & primogenita ante legitimum tempus obrufisse. Necessse igitur fuit legislatori, ut stipendia ministris Ecclesie debita publicis legibus muniret.

HOMINES SANCTI ERITIS MIHI, CARNEM IGLTVR QVAE A BESTIIS.)

Hæc lex repetitur postea Leuit. xxiij. Et Deut. xiiij. Quanquam autem & hæc lex sit cærimonialis, ponitur tamen inter iudiciales, quia magistratus interest publicas cærimonias tueri. Cæterum, quod caro a bestijs lacerata iudicatur immunda, ciuilibus disciplina fuit. Et qui ab hac carne abstinuit, ciuilibus sanctus, hoc est, mundus fuit. Coram deo autem, mundities aut sanctitas non pendet ex carne, ex cibo aut potu. Regnum Dei, inquit Paulus, non est esca &c. Sed pendet ex fide in Iesum Christum, propter quem solum reputamur iusti & sancti in iudicio Dei, si credimus in ipsum.

CAPVT XXIII.

NON SVSCIPIES RVMOREM VANVM &c.)

Nulla publica fama, nullæ blanditiæ, nulla promissa moueant te, ut falsum testimonium pro impio dicas. Hæc lex instituit primum homines priuatos, ut nullam malam famam de proximo spargant. Quemadmodum enim genus homicidij est, si quis hominem, quamuis latronem, priuata temeritate sine publica uocatione interficit, ita genus est falsi testimonij: spargere malam famam, quamuis ueram de proximo. Charitatis enim est proximi delicta tegere, & pro ipsius Dominum orare. Deinde instituit hæc lex eos, qui publice ad ferenda de proximis testimonia uocati sunt. Hi enim ut non debent mētiri, ita non debent falsa testimonia ferre pro impio aduersus innocentem, ex uanis hominum rumoribus. Est enim rumor, sermo, sine ullo certo autore dispersus, cui malignitas dedit initium, credulitas incrementum. Et ille ait: Fama, malum, quo non aliud uelocius ullum &c.

*Testimonij
falsi genera.*

NON SEQVERIS MVLTOS ET MAGNOS.)

Hac lege primum erudiuntur iudices in controuersijs ciuilibus, ut non moueantur nec multitudine nec autoritate aliorum, ad pronunciamdam iniquam sententiam aduersus innocentem. Deinde erudiuntur etiam homines priuati in causa religionis, ut non moueantur uel hominum multitudine, uel autoritate ad sectandam impietatem. Necessaria lex, ne quis iniquitati aut impietati suæ patrociniū quærat ex aliorum

ex aliorum uel multitudine uel magnitudine seu autoritate.

PAUPEREM QVOQVE NON ORNABIS IN CAUSA SUA.)

Vt nec multitudo nec autoritas aliorum debet iudicem mouere ad dicendam iniquam sententiam, ita nec quenquam iudicium mouere debet iniqui & nocentis paupertas, ut iudicet causam eius æquam & iustam. Vult enim Deus iudicem non esse personarum respectorem. Quare ut nec propter diuitias, ita nec propter paupertatem iniqua causa, æqua iudicari debet. Est quidem, quando maxima paupertatis ratio habenda est, uidelicet, cum agitur de adiuuando paupere, ne inedia aut miseria pereat. Hic maxime respicienda est paupertas. Sed cum agitur in iudicio, de æquitate & iniquitate causarum, ibi tum nullus est habendus respectus paupertatis, sed tantum ipsius cause, & circumstantiarum, quæ proprie ad causam pertinet.

SI OCCVRRERIS BOVI INIMICI.)

SI VIDERIS ASINVM ODIENTIS.)

Hæ duæ leges exponunt, quis nomine proximi intelligendus sit. Et hic uides, quod cum Christus in Euangelio præcipiat, etiam inimicos diligendos, non ferat nouam legem, sed ueterem tantum exponat, ac plane idem doceat, quod uerbis harum duarum legum diserte explicatur. Nam proximi, quem ut nos ipsos iubemur diligere, nomine, non continetur tantum amicus, uerum etiam inimicus. Quare etiam inimico benefaciendum est. Eadem scripta sunt Deute. xxij. Conuenit & huic legi carmen Phocylidæ:

κλίνωσ δ' ἂν ἐχθροῦ πρὸς καὶ ὁδ' ἂν συνέγχεον.

NON INCLINABIS IVS PAUPERIS IN CAUSA SUA.)

Supra tulit legem, iniquitatem pauperis non esse iudicandam equitatem, propter paupertatem. Nunc fert legem, æquitatem pauperis non esse iudicandam iniquitatem propter paupertatem. Vt enim multi sunt supersticiosi iudices, qui cum audiant in scriptura, pauperibus esse misericordiam præstandam, existiment etiam in iudicio ad iniustitiam pauperum conuiuendum, & iniquitatem eorum approbandam esse, ita sunt multi ætherei iudices, qui etiam iustissimas causas, quas habent pauperes aduersus diuites aut potentes, iudicent iniustas propter paupertatem, & putent nihil referre, etiam si pauper opprimatur. Quis enim ultor tam abiecti hominis existeret? Dominus igitur Deus noster his duabus legibus canet, ne iudices de pauperibus nimium declinent aut ad dextram aut ad sinistram &c.

LONGE ESTO A FALSIS NEGOTIIS, ET INSONTEM AC IVSTVM NON OCCIDES, QVIA

NON IUSTIFICO IMPIVM.)

Sunt magistratus quidam, qui cum liceat ipsis occidere nocentes, existiment sibi etiam licere occidere innocentes, tantummodo ut obseruent externam quandam legitimi iudicij formam. Sunt alij, qui si a superiori magistratu iubeantur occidere innocentem, existiment se haudquaquam peccare, si obediant, quemadmodum ciues Iezreelitæ occiderunt Naboth ex præcepto reginæ Isabellæ &c. Sed his ponitur lex ista: Longe esto a falsis negotijs, & non occides infontem ac iustum, etiamsi iustus fueris a superiori magistratu. Quia non iustifico, inquit Deus, impium, hoc est, quicumq; impie facit, siue suo siue alieno arbitrio, siue honesta siue inhonesta specie, is aduersus Deum peccat, & punietur propter peccatum.

NEC ACCIPIES MVNERA.)

1. Reg. 8.
2. Paralip.
Esa. 1. & 5.
Mich. 2.

Hæc est uulgaris lex, sed obseruatio eius non est uulgaris. Repetitur autem Deu. xvi. Et in Prophetis sepiissime inculcatur. In primo autem libro Digestorum, Titulo: De officio proconsulis & legati, citatur hic uersiculus de accipiendis xenijs: *δύτ' ἐ πάντ' α, δύτ' ἐ πάντ' οτ' ε. δύτ' ἐ παρὰ πάντων.* Et additur: Valde inhumanum est, a nemine accipere, sed pessimum uilissimum est, & per omnia auarissimum. Munera igitur accipere, per se non est impium, ut est ij. Paralip. ix. sed in iudice est periculosum, et si propter munera iudicium peruertat, impium est.

PEREGRINVM NE AFFLIGES.)

Eadem lex supra quoq; posita est. Repetitur autem, ut uideas quantæ cure sint Domino peregrini & aduenæ.

SEX ANNIS SEMINABIS.)

Agriculturæ
ordinatio.

Hæc lex ad agriculturam pertinet, de qua etiam scribitur Leuitici xxv. Dices autem: Quid ordinatio agriculturæ tanti momenti est, ut Dominus Deus noster, qui est maxima omnium maiestas, pro ea sollicitus sit: an non humana ratio suo apte ingenio uidere potest, qua ordinatione terra colenda sit: Recte. Et ob hanc causam, Deus ordinauit lege sua etiam agriculturam, ut tanquam publico testimonio confirmet autoritatem humanæ rationis in ordinationibus rerum ciuiliū, quæ pertinent ad corporalem uitam, ut sciamus publicas politiarum ordinationes, a prudentibus hominibus, iuxta rectam rationem constitutas, esse diuinas ordinationes. Vnde Deus addit promissiones suas obseruationi harum ordinationum de agricultura. In Leuitico enim ca. xxv. ita scribitur. Quod si dixeritis quid comedemus anno septimo, si non seuerimus neq; collegerimus fruges nostras, dabo benedictionem meam uobis anno sexto, & faciet fructus trium annorum, seretisq; anno octauo, & comedetis ueteres fruges usq; ad annum nonum, donec noua nascantur, edetis uetera &c. Eadem pene habeas

Deuter.

Deutero. xv. Vt benedicat, inquit, tibi Dominus Deus tuus in omni tempore, & in cunctis ad quæ manum miseris. Addit & grauissimas minas uiolationi harum ordinationum. Leuit. cap. xxvi. Disperdam in gentes & euaginabo post uos gladium, eritq; terra uestra deserta, & ciuitates uestre diruta. Tunc placebunt terre sabbata sua cunctis diebus solitudinis suæ. Quando fueritis in terra hostili, sabbatizabit & requiescet in sabbatis solitudinis sue, eo quod non requieuerit in sabbatis suis, quando habitabitis in ea &c. Deinde Dominus ordinat agriculturam uerbo suo, ut publice significet, se non tantum gubernare cœlestia sed etiam terrestria, & non solum membra hominis uere etiam agros terræ, adeoq; totum orbem terrarum in manu sua habere atq; administrare. Quare si quid benedictionis ex agro tibi contingit, age Domino gratias, quia agrum gubernat. Si autem ager maledicatur, fer manum Domini patienter, & respisce, ut maledictio uertatur in benedictionem. Postremo significat etiam Dominus hac ordinatione, quantæ curæ sibi sint pauperes & aduenæ. Dicit em̄: Dimittes eam, & requiescere facies, ut comedant pauperes populi tui &c. Et in Leuitico: Erunt uobis in cibum tibi & seruo tuo, ancille & mercenario tuo, & ADVENÆ, qui peregrinantur apud te &c. Cæterum, quod fuit septimus annus in terra Canaan, hoc est tertius annus in quibusdam partibus Germaniæ, in quibus agri tertio quoque anno quiescunt. Est enim regio nostra multo sterilior, quam terra Canaan. Quare necesse habet sæpius a ferendis frugibus quiescere. Interim tamen obseruandæ sunt & nobis promissiones Dei, si ex fide obseruauerimus publicas nostrarum regionum ordinationes in agriculturâ, similiter & minæ ac maledictiones, si ordinationes illas ex auaritiâ & infidelitate uiolauerimus.

Germaniæ
sterilior.

SEX DIEBUS OPERABERIS, SEPTIMA.)

Iterum repetitur lex de Sabbato, quæ supra sepe commemorata est. Repetitur autem, ut sciamus quanta seueritate Deus exigat publicas politiarum ordinationes. Sabbatum enim institutum est, non solum, ut habeamus ocium ad discendum uerbum Dei, sed etiam ut familia & iumenta nostra habeant alternam quietem a laboribus suis. Vt requiescat, inquit, bos & asinus tuus, & refrigeretur filius ancillæ tuæ & aduena. Sed de Sabbato supra plura diximus.

Sabbati ob
seruatio.

OMNIA QVAE DIXI VOBIS CVSTODITE, ET NOMEN ALIENORVM DEORVM NON RECORDEMINI &c.

Hec lex intelligi potest specialiter de cultibus & iuramentis, quod non sint alieni dij colendi, nec per nomen alienorum deorum iurandum. Sed quia preponitur (Oia quæ dixi uobis custodite) facile conijci

potest, quod hæc lex sit generaliter intelligenda de politicis & ecclesiasticis ordinationibus Ethnicorum, qui alienos deos colunt, ut sit sensus: Instituo nunc publicis legibus in Republica uestra, politicam ordinationem, quæ uobis in terra uestra Canaan obseruanda est. Quare diligentissime uobis cauendum est, ne hac ordinatione neglecta, usurpetis leges alienorum deorum, hoc est, externarum gentium & Ethnicorum, qui colunt alienos deos, & habent etiam politia a pietate magna ex parte alienas. Horum leges uolo, ne meminertis quidem. Sed uolo omnino, ut ex præscripto uestrarum legum uiuatis. Ponitur autem hæc lex, non quod Gentium politia in totum damnentur. Sunt enim in his multa egregie & honestissime instituta. Et reuelato Euangelio, licet omnium gentium politia uti, si modo fuerint recta ratione constituta, & non pugnent aduersus naturalem legem. Sed quod non licuerit Israelitis in terra sua Canaan, alijs legibus tantisper uti, dum Christus non aduenerit.

Politia Gentium.

TRIBVS VICIBVS PER SINGVLOS.)

Pascha festum Preter Sabbatum, instituuntur etiam alia celebria festa in Rep. Israelitica. Primum est festum Pasche, & uocatur festum azymorum, propterea quod præceptum erat, ut septem diebus uescerentur azymis. Et celebratum est, tempore mensis Abib, qui aliàs dicitur Nisan, correspondens partim Martio, partim Aprili: De quo festo supra ca. xij. Secundum est festum Pentecostes, quod hoc loco uocatur, festum messis primitiuorum, & alias festum hebdomadarum. Hoc festum celebratum est in monumentum legis datæ in monte Synai. Lex enim data est quinquagesimo die, postquam Israelitæ egressi sunt ex Aegypto. Tertium est festum tabernaculorum, quod hic dicitur festum collectionis. Et fuit institutum, ut posteri discerent, quod Deus fecerit habitare filios Israel in tabernaculis, cum ex Aegypto proficiscerentur. Additur & alias quartum festum, uidelicet tubarum seu expiationis. De his festis copiosius scribitur Leuit. xxiij. Num. xxviij. & Deut. xvi. Ceterum, ut tria priora festa frequentiori & celebriori hominum turba obseruarentur, addite sunt duæ leges. Harum prior est: Ter in anno, apparebit omne masculinum tuum coram Domino dominatore. Hoc clarius explicat in Deut. cap. xvi. Tribus uicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit. In solennitate azymorum, & in solennitate hebdomadarum, & in solennitate tabernaculorum. Locus autem a domino electus dicebatur is, in quo erat arca propiciatorij, quæ fuit primum in Silo, postremo translata est ad urbem Hierusalem. Et qui ad hunc locum uenerat, is dicebatur apparere ante conspectum Domini Dei sui, propterea quod Dominus dicebatur habitare supra propiciatorium, de quo postea Exodi xxv.

Pentecostes festum.

Tabernaculorum festum.

Leuit. 23.

Psalm. 77.

Fuit ergo

Fuit ergo una tantum Parochia, ut uocant, in toto regno Israelis, ad quam necesse habuerunt omnes uiri Israelite quotannis ter, tribus uelicet summis festis, proficisci. Quod institutum, habuit honestas ac necessarias causas. Primum, ut memorabilia & illustriora Dei miracula obseruatione festorum, & uisitatione loci a Deo electi, in memoria conseruarentur, & fides aleretur. Deinde una tantum fuit parochia in Israel, ne multitudine parochiarum, Israelite inter medias gentes habitantes, a uera religione, ad idololatriam deficerent. Ac postea, xxxiiij. additur huic legi promissio: Cum tulerō gentes à facie tua, & dilata uero terminos tuos, nullus insidiabitur terræ tuæ ascendente &c. Posterior lex de festis est. Non apparebitis in conspectu meo uacui, sed offeret unusquisque secundum quod habuerit, iuxta benedictionem Domini Dei sui, quam dederit ei. Hoc institutum est, tum ut Israelite declararent se gratos erga Deum hac oblatione, tum ut alerentur Sacerdotes & Leuite, qui non acceperant partem terræ, in diuisione Canaan, sicut aliæ tribus, & ut conseruarentur ministeria ecclesiastica. Hæc oīa imitati sunt quidam in ecclesia Christi, & instituerunt quatuor summa festa, ac exegerunt sub peccato mortali, ut quicumque ad annos discretionis peruenerit, sic enim loquuntur, ac cœnam Dñi sumperit, quotannis in quatuor summis festis suam propriam parochiam uisitet, ac numum offerat, ne iuxta legem appareat uacuus in conspectu Domini. Quanquam autem omnino obseruanda sint festa in Christianismo, pro sua ratione, & pro pædagogia, ut his ritibus uulgi melius de doctrina Christiana, & de precipuis articulis fidei nostræ erudiat, tamen postquam Euangelion uulgatum est in totum orbem terrarum, non iam unā tantum externa parochia est in ecclesia Christi, quemadmodum in Israel, sed parochia est, ubicumque prædicatur Euangelion, & distribuuntur Sacramenta. Non igitur cogit te Christus, ut quotannis ad unum tantum locum quater proficiscaris, sed hoc exigit, ut omnibus locis & temporibus, quibus hoc fieri licet, Euangelion diligenter discas, & sacramento cœnæ fideliter & legitime utaris, quo & fidem habeas, & in fide confirmeris. Adhæc, non necesse quidem habes ex ordinatione Christi, externas in ecclesiam Christi oblationes afferre, quemadmodum Israelitæ, necesse tamen habes ministros ecclesie alere, & pauperibus benefacere. Necesse item habes in ecclesiam spirituales oblationes afferre, quæ sunt, oratio, gratiarum actio, obedientia, item cor contritum & humiliatum, & si quæ sunt alia genera oblationum spiritualium.

NON SACRIFICABIS CVM FERMENTO SANGVINEM SACRIFICII MEI, NEC REMANEBIT ADEPS &c.

Hæc lex pertinet ad festum Pasche, & est sensus: Non sacrifices sa

crificium Paschæ, nisi prius expurgaueris ab habitationibus tuis omne fermentum, nec reserues de illo sacrificio adipem usq; ad mane. Nam hunc esse sensum, paraphrastes Chaldeus perspicue indicat. Sic enim transtulit hunc locum: Non mactes super fermentum sanguinem Paschæ meæ, & non remaneant extra sacrificium adipem mactationis festi usq; ad mane. Similiter & Rabi Salomon ita interpretatur: Non mactes, inquit, pæsa in decimaquarta die mensis Nisan, donec eieceris fermentum. Ceterum q̄ seueriter prohibeatur, ne fermentum referuetur in festo Paschæ, & ne quicq; usq; ad mane remaneat, supra scriptum est Exodi xij. & xij. Similiter Deuter. xvi. Hoc autem loco repetitur lex illa cærimonialis inter iudiciales seu forenses, ut significetur non solum sacerdotum, sed etiam magistratus ciuilibus in Reipub. Israelitica interesse, ut has cærimonias etiam publica poena tueantur. Nobis uero, sanguinem non esse offerendum cum fermento, significat, sanguinem Christi, pro peccatis nostris effusum, non esse ita contaminandum, ut addamns ei tanquam supplementum, humanas traditiones, & sentiamus sanguinem Christi non sufficienter expiassent nostra peccata, sed nos etiam necesse habere expiare ea meritis nostrorum operum. Quod autem nihil de sacrificio Paschali, ne adeps quidem, referuandum sit usq; ad crastinum, significat Christum unica oblatione perfectos effecisse in perpetuum eos, qui sanctificantur, nec reuerauasse alijs quicquam expiandum, sed tantum credendum, quod ipse perfecte peccata expiauerit, & ex hac fide bene operandum.

PRIMITIAS FRVGVM TERRAE TVAE DEFERES IN DOMVM.)

Vt primogenita hominum & pecorum, ita & primitiæ frugum offeruntur Domino. Cur autem hoc in Reipub. Israelitica institutum fuerit, & quid nobis significet, supra capite xij. dictum est.

NON COQVES HOEDVM IN LACTE MATRIS SVAE.)

Hæc lex repetitur postea Exod. xxxiiij. & Deut. xiiij. Exponit autem uarie. Quidam pro hoedo generaliter carnem interpretantur, et putant hac lege præcipi, ut nulla caro coquat in lacte, & comedatur una cum lacte. Vnde & Iudæi, ne caseo quidem, qui ex lacte constat, cum carne in eadem mensa uescuntur. Alij putant tantum dici de hoedo paschali, quod non sit immolandum dum adhuc ex lacte matris nutritur, sed cum est anniculus. Alij sub nomine hoedi intelligunt etiam uitulum & agnum, ac sentiunt hac lege præcipi, ut Israelitæ nec uescantur hoedibus uitulis & agnis, nec offerant ea ante legitimum tempus ab lactatione: Vnde supra de primitijs bouum & ouium dictum est: Septem diebus sit cum matre sua. Die octaua reddes illum mihi. Hæc sententia uidetur mi-

uidetur mihi reliquis probabilior. Et est utilis lex, qua primum con-
sulitur munditiei ciborum, ne uescamur carnibus a uentre matris ad
huc recentibus, quæ non solum sunt abominatio, uerum etiam offici-
unt hominis sanitati. Deinde admonet hæc lex, ut infirmis parcamus,
& imbecillitates eorum patienter feramus. Sicut enim hæc ante
legitimum tempus ablactationis infirmior est, quàm ut possit nobis
in cibum usui esse, ita multi sunt in fide uel recentes uel infirmi, qui
nobis magis oneri quàm usui uidentur. Hi tolerandi sunt, non oppri-
mendi. Postremo uult etiam hæc lex ut in animantibus brutis disca-
mus humanitatem, quam debemus proximo exhibere. Nam mater
hæc tolerauit dueros dolores in partu. Crudele igitur est, si mox a
partu hæc a matre auferres, quia adderes calamitatem calamita-
ti. Sic etiam magna crudelitas est afflicto addere aliam afflictionem.
De eadem re admonemur etiam Deuterono, xxij. in lege, quæ præci-
pit, ne capiamus matrem cum pullis &c.

ECCE EGO MITTO ANGELVM MEVM, QVI
PRAECEDAT TE ET CVSTODIAT &c.

Post commemoratas aliquot leges, adduntur nunc promissiones
obseruantibus, & minæ uiolantibus eas. Et quæ hic paucis dicuntur,
ea postea Leuit. xxvi. & Deut. vii. & xxviii. pluribus explicantur. Pri-
mum ergo, cum dicit Dominus: Ecce mitto angelum meum &c. signi-
ficat se per administrationem angelorum, in exercitu Israelis præsen-
tem esse, ac defendere & gubernare eos. Ex hoc loco sumptum est quod
Psal. xxiij. scribitur: Immittitur angelus Domini in circuitu timentium
eum. Et testatur Daniel, Dominum gubernare regna per angelos, Dan.
xi. & xij. Deinde exhortatur ad obseruationem legis per minas & pro-
missiones. Minæ sunt: Obserua eum & audi uocem eius, nec offendas
eum. Quia non dimittet, cum peccaueritis, & est nomen meum in il-
lo, hoc est, Si quis peccauerit aduersus leges, non impune feret, etiã si
magistratus civilis non animaduertat in ipsum. Angelus enim, qui
meo imperio, tuetur exercitum Israelis, obseruabit preuaricationes, et
punit uiolatores legis meo ipsius mandato, & mea ipsius potentia.
Hic mihi illud obserua, quod Paulus ad Roma. xiiij. scribit: Oportet,
inquiens, esse subditos, non solum propter iram, uerum etiam propter
conscientiam. Etsi enim homo non uidet nec resciscit peccatum, Deus
tamen, qui omnia adimplet, & omnia administrat, uidet peccatum, &
animaduertit in ipsum suo tempore. Promissiones sunt: Si audieris
uocem eius & feceris oia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, &
aduersarius aduersariorum tuorum. Item benedicam panibus tuis &
aquis, & auferam infirmitatem de medio tui. Item: Non erit orba nec
sterilis in terra tua. Numerum dierum tuorum implebo: Terrorem

meum mittam in præcursum tuum &c. Hæc minæ & promiffiones generaliter pertinent ad oēs Resp. diuina ordinatione constitutas. Vbi cunq; enim est publica legum ciuiliū cōferuatio, & honesta religionis administratio, ibi Deus effundit benedictionem suam, et largitur rerum abundantiam, aeris salubritatem, longitudinem uite, uictoriam super hostes, gloriam, et alia Reip. commoda atq; ornamenta. Sed cum loquendum est, de perfecta legis obseruatione, quæ diuinitus ab unoquoque priuatim exigitur, ibi tam minæ q̄ promiffiones non solum de corporalibus, uerum etiam de spiritualibus, & æternis maledictionibus & benedictionibus intelligendæ sunt, quemadmodum Christus interpretatur, Matth. xix, & Mar. x: Si uis, inquires, ad uitam ingredi, serua mandata. Et alias: hoc fac & uiues, nimirum uita æterna. Quisquis enim legem perfecte obseruat, is meretur in hoc seculo benedictionem, & in futuro fœlicitatem æternam. Quisquis autem eam uel in uno apice uiolauerit, is reus est perpetuæ maledictionis in hoc & futuro seculo. Ait enim Christus: Amen dico uobis, donec prætereat cœlum & terra, iota unum aut unus apex non præteribit ex lege, donec omnia facta fuerint. Quis ergo, inquires, saluabitur, cum nemo totam legem perfecte obseruare possit? Respondeo. Nemo saluabitur sua ipsius iustitia. Sed proposita est nobis iusticia Domini nostri Iesu Christi. Hæc si fide accipiat, ita nos acceptos Deo reddit, ut iudicet etiam nos iustos, ac saluet propter Christum. De qua re alias copiosius diximus.

CVM ERGO PRÆCESSERIT TE ANGELVS MEVS ET INTRODUXERIT TE,)

Quæ hic scribuntur, copiosius explicantur Deuter. vii. Nam cum Deus dederit antea generales quasdam leges, quæ in Rep. Israelis semper obseruandæ sunt, nunc fert leges quasdam personales, quæ obseruandæ sunt in occupatione terræ Canaan erga gentes habitantes in ea, & erga deos & cultus diuinos earum. Prima lex uetat, ne Israelitæ quicquid commune habeant cum Cananæis in politia ciuili. Non in his cum gentibus illis, uidelicet Amorrhæo, Hethæo &c. fœdus, nec misereberis earum, nec sociabis cum eis coniugia. Filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo, sed percuties eos usq; ad interitionem. Quid autem, inquires, sibi uult hæc crudelitas Dei, q̄ præcipiat tot gentes deleri? Et si natu grandiores peccauerunt, quid infantes commeruerunt, q̄ & ipsi necesse habeant una cum parentibus trucidari? Hic habes memorabile exemplum maxime seueritatis Dei, quod illustrius erit, si repetas harum gentium originem. Descendunt enim a Canaan, qui fuit filius Cham filij Noe. Hic Cham cū uidisset Noe parentem suum nudatum præ ebrietate, tantum abfuit ut uerenda eius

eius obtexerit, ut etiam parentem palam traduxerit, & omnibus deridendum propinauerit. Noe igitur diuino spiritu impulsus, maledixit Cham, & maxime omnium filium eius Canaan. Maledictus (inquiens) Canaan, seruus seruorum erit fratribus suis. Et contra benedixit Sem, qui una cum Iaphet uerenda eius honeste contexerat. Benedictus, inquiens, Dominus Deus Sem, sit Canaan seruus eius. Porro executio huius maledictionis dilata est a Deo plusq̄ octingētis annis, a diluuiō uidelicet, usq̄ ad introitum filiorum Israel in terram Canaan. Conniuit aut̄ Deus tanto tempore ad impietatem Cham & posteror̄ eius, ut inuitarentur ad resipiscētiā, & haberent spacium poenitentiae. Primum enim audierunt uerum uerbū Dei, & uiderunt etiam uerum cultum Dei a patriarcha suo Noe. Deinde audierunt & uiderunt uerā religionem ab Abraham, Isaac & Iacob, qui multo tempore inter ipsos habitauerunt. Postremo cum filij Israel ex Aegypto profecti essent, & uagarētur incertis sedibus in deserto quadraginta annis, peruenit fama ad has gentes, q̄ Deus esset ipsas per Israelitas deleturus propter impietates eorum. Quid ergo factum est? num resipuerunt? Intantum non resipuerūt, ut subinde in peius profecerint. Nam cum pater eorum Cham impius in parentem suū Noe fuerit, non requisiiuit etiā religionem Noe. Itaq̄ Canaan filius Cham didicit a parente suo contemptū Dei & parentum. Ab hoc deinceps posterū didicerunt contemptum oīs religionis et honestatis. Hinc factum est, ut in terra Canaan instituerentur prodigiosissima genera idololatrię, nec ulla conseruaretur honestas in ciuilibus generibus uite, in connubijs, & alijs, quemadmodum scriptū est Leui. xviij. & xx. Quare cum nulla amplius spes resipiscētię de gentibus illis reliqua esset, mandauit Dñs Israelitis, tanq̄ ministris suis, ut delerent eas usq̄ ad internitionem, ac ne paruulis quidem parcerent, propterea q̄ omnis caro, quæ a Canaan descenderat, maledicta & corrupta esset. Hic ergo uide mihi, primum quidem bonitatem & tolerantiam Dei, qua tanto tempore expectat resipiscētiā. Et hanc tolerantiam non solum declarauit Deus in Cananis, priusq̄ Israelitæ ingressi sunt in terram Canaan, sed etiam postq̄ eam terram occupauerunt. Dicit enim hoc loco: Nō enīciam eos a facie tua anno uno, sed paulatim expellam eos de conspectu tuo. Quod etsi præcipue factū est in gratiam Israelitarum, ne terra deuastata in solitudinem redigatur, tamen hoc etiam factum est in commodum reliquiarum gentis Cananę, ut adhuc haberent aliquod spacium poenitentię. Tanta est tolerantia Dei, etiam erga perditissimos & obstinatissimos. Deinde uide memorabilē seueritatem Dei, qua iubet totam gentem, quor̄ parentes maledicti erant, & qui nunquam poenitentiam agere uoluerunt, usque ad internitionem deleri.

*Cananei ad
resipiscētiā
inuitati.*

*Canani eorū
impietas.*

Ex quo re ipsa comperimus, quod ira dei tanto grauior sit, quanto ta-
 dius procedit. Ac illud plane confirmatur, quod in proemio Deac-
 logi dicitur: Visitans iniquitatem patrum in tertiam & quartam gene-
 rationem &c. In hoc igitur exemplo habent parentes & liberi, quod
 diligenter discant. Parentes, ne peccent aduersus Deum, ut non & li-
 beri discant peccatum, & a Deo in posteris suis deleantur. Liberi, ut
 non irrideant nec peccent aduersus parentes suos, ne maledicantur ip-
 si & posteris eorum, sicut Canaan maledictus fuit. Est & alia causa, pro-
 pter quam iubet Deus delere gentem Canaanam, uidelicet, ut Deus ser-
 uaret pactum, quod cum Patriarchis inierat. Vnde Deute. ix. dicitur:
 Non propter iustitias tuas & equitatem cordis tui ingredieris, ut pos-
 sideas terram earum. Sed quia illae egerunt impie, introeunte te dele-
 te sunt, & ut compleret uerbum suum Dominus, quod sub iuramento
 pollicitus est patribus &c. Hoc ergo loco discenda est ueritas & firmi-
 tas promissionum Dei, quod Deus tam constans sit in uerbis suis, ut
 potius necesse sit totam gentem perire, quam ut in uerbis suis men-
 dax deprehendatur. Quare, cum habemus promissionem Dei, intan-
 tum non debemus de ea dubitare, ut sentiamus caelum & terram citi-
 us peritura, quam ut promissio Dei non seruetur.

Secunda lex uetat ne Israelite quicquam commune habeant cum Cana-
 neis, in religione seu politica ecclesiastica. Non in ibis foedus cum dijs
 eorum. Non adorabis eos, nec seruias eis, non facies secundum opera
 eorum, sed destrues eos, & confringes statuas eorum: Seruietis autem
 soli Domino Deo uestro. Hac lege precipitur abrogatio et demolitio
 omni idolorum, & idololatriae in terra Canaan, ut solus uerus cultus
 Dei, qui uerbo Domini institutus est obseruetur. Exemplum est, quod
 magistratus civilis, non dico in aliena dictione, sed in sua dictione, &
 apud suos, qui in legitima ipsius potestate sunt, abrogare debet pro
 ratione suae uocationis omnes impios cultus. Caeterum dicent Isra-
 elitae: lubet nos occupare terram Canaan & delere gentes, sed cum haec
 gentes sint fortissimae, nos autem populus imbecillis, qui possumus
 mandato tuo obedire? Dominus igitur munit nunc cor Israelitarum
 fiducia, primum promissionibus. Terrorem, inquit, meum mittam
 in praecursum tuum. Et mox: Cunctorum inimicorum tuorum coram
 te terga uertam, emittens crabrones &c. Crabronum meminit etiam
 Mose Deut. vii. Et in Iosua xxiiij. scribitur hoc impletum esse. Mose,
 inquit, ante uos crabrones, & eieci eos de locis suis, duos reges Amor-
 reorum &c. Siue autem de bestiolis illis externis intelligatur, siue figu-
 rate dicatur de repentinis terroribus, certe manifestum est, populos
 terrae Canaan magnis miraculis diuinitus ad introitum Israelitarum terri-
 tos, stupefactos & deuictos esse. Deinde munit eos consolatione: Non
 erisiam;

Parentum di-
 sciplina.

Liberorum
 disciplina

Magistratus
 officium

Vide Deute.
 s. Iosua. 2.

eniam, inquit, eos uno anno, ne terra in solitudinem redigatur &c: Hæc est consolatio, quæ etsi Israelitæ non statim delere queant omnes Canangos, non tamen despondeant animum, quia hoc non fit fortitudine Cananæorum, sed clementia Dei erga Israelitas, ne uidelicet terra redigatur in uastam solitudinem, & bestię terram occupent, si uno anno oēs habitatores eius interficerentur, Deuter. vii. & Iudi. ij. & iij. Hic locus docet nos patientiam in expectandis promissis Dei, & sufferendis aduersis. Quod enim inter promissa Dei, calamitates adhuc nobis molestę sint, non fit ira Dei, sed clementia eius et commodo nostro. Quid aut commodi nobis ex calamitatibus accedat, alias sepe dictum est. Postremo munit eos promissionis amplificatione. Definit enim longitudinem & latitudinem regionis Canaan, ut quanto maiori amplitudine regio Israelitis promittatur, tanto certius cognoscant clementiam & liberalitatem Dei, ac confirmet fidutiã cordis sui. Ponam, inquit, terminos tuos a mari rubro, usque ad mare Palestinorũ, & a deserto usque ad fluuium, scilicet Euphratem. Sic unaqueque regio habet suos terminos a Domino definitos. Sic enim Psal. lxxxiii. ait: In manu eius sunt omnes fines terræ. Et Dani. ij. Transfert regna, & constituit. Et cap. iij. Dominatur excelsus in regno hominum et cuiuscunque uoluerit dabit illud. Quod autem dominus constituit & ordinat, hoc etiam fauore & benedictione sua complectitur. Quare si magistratus administrauerit Rempub. suam legitime, & operam dederit, ut abrogata impietate, uera religio doceatur & cõseruetur, eadem habet promissiones, quas hoc loco Mose describit. Benedicetur enim panibus & aquis, hoc est, non erit fames. Auferetur infirmitas, hoc est, non erit pestis aut alia genera publicorum morborum. Terror mittetur in præcursum eius, hoc est, finitimæ gentes timebunt talem magistratum & populum. Et si bella mouerint, tamen uictoria erit penes primum magistratum & populum. Ut non addam interim eas benedictiones, quæ consecuturæ sunt in futuro seculo, in perpetua foelicitate.

*Rerumpub.
legitimarum
benedictiones*

CAPVT XXIII.

MOSI QVOQVE DIXIT: ASCENDE AD DOMINUM TV ET AHERON.)

In tribus præcedentibus capitibus recensuit Deus Mosi in monte leges iudiciales, quas Israelitis proponere debeat. In principio autem huius uicesimiquarti capitũ, indicat scriptura quo ordine inter se distincti fuerint Israelite, cum Deus has leges Mosi reuelaret. Primum enim solus Mose appropinquauit ad Dominum, hoc est, ascendit in summitatem montis & intrauit in caliginẽ, in qua erat Deus. Deinde

in inferiori parte montis constituerunt Aaron, Nadab, Abihu, qui fuerunt filij Aaronis, de quibus Leui. x. & septuaginta seniores. Postremo, ad radices montis in ualle constitit tota turba Israelis. Vnde quod ait scriptura (Mosi quoque dixit) ὅς ἐστιν πρότερον est, & sic uertendum erat. Mosi enim dixerat Deus, uidelicet, eo tempore, quo uocauit Mosē ut audiret leges iudiciales, quæ a capite uicesimo primo hucusque commemoratæ sunt. Postquam enim Decalogus horrenda Dei ipsius uoce, audiente & extrema omnia metuente tota Israelitarum multitudine promulgatus esset, conuenit inter populum & Mosē, ut deinceps solus Mosē audiret uocem Dei, & ferret ab ipso leges.

VENIT ERGO MOSE ET NARRAVIT POPULO OMNIA VERBA DOMINI ET IVRA &c.)

Mosē commemorat populo leges iudiciales supra dictas. Populus autem agnoscit eas, & consentit, ut Respub. eorum iuxta has leges administraretur. Omnia, inquit, uerba Domini quæ locutus est, faciemus, hoc est, Quas leges forenses nunc proposuisti nobis, eas omnes agnoscimus & consentimus ut Respub. nostra secundum eas constituantur, & administraretur. Igitur quo hæ leges habeant deinceps publicam autoritatem, confirmat Mosē eas publicis ritibus & cærimonijs. Sed opere precium est has cærimonias audire. Primum ergo scripsit Mosē has omnes leges in uolumen. Deinde indixit publicum festum, & mane consurgens ædificauit altare ad radices montis, & duo decim titulos seu statuas iuxta duodecim tribus Israel. Postea iussit iuuenes, hoc est, primogenitos de filijs Israel, offerre holocausta & pacifica. Deinde tulit Mosē dimidiam partem sanguinis de sacrificio, & infudit in crateres, residuam autem partem sparsit super altare. Postea, legit ex uolumine leges quas cōscripserat, audiente toto populo. Postremo, cum populus iterum in has leges, sicut scriptæ erant, consentiret, accepit sanguinem in crateris reseruatum, & respersit super librum & in populum, dicens. Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus uobiscum super cunctis his sermonibus. Hæ fuerint cærimoniæ, quibus autoritas forensium legum apud Israelitas publice ita confirmata est, ut deinceps magistratus & iudices in Israel Rempub. suam iuxta has leges perpetuo administrarent. Primum igitur obserua, has leges per se non ita infirmas esse, ut indiguerint humana confirmatione. Ducunt enim originem suam ex naturalibus legibus, & sunt diuinitus promulgatæ, ac sunt timori malis operibus, & ualent ad conseruandam publicam tranquillitatem & honestatem. Quare per se satis superque firmæ fuerunt. Sed hæ cærimoniæ necessariae fuerunt propter populum, ut quod perpetuo in Repub. ualere debet, publice coram populo confirmetur, & irretactabile declaratur. Sed Sacerdotes &

Legum in Israel confirmatio.

Cærimonia uero necessitas

sacerdotes & Leuitæ publicis cærimonijs postea consecrabuntur. Sic
 Reges publicis ritibus in Israel confirmabantur. Sic apud nos coniu-
 gia publicis cærimonijs sanctificantur, uidelicet, ut quod publice du-
 rare debet, publica quoq; autoritate confirmatum declaretur. Dein ^{sanguis di-}
 de uidendum est, quid sibi uelit cærimonia aspersi sanguinis. Cur e- ^{persio quid}
 nim Mose ad confirmationem legum forensium iubet offerre holo- ^{signifet.}
 causta, & spargit sanguinem in populum? cur non potius sumit aquã
 aut uinum? Nihil temere factum esse credamus. Et quæ sit huius cæri-
 moniæ causa, epistola ad Hebræos capite nono perspicue explicat:
 Testamentum (inquiens) in mortuis ratum est, quandoquidem non-
 dum ualet, cum uiuit testator. Vnde ne prius quidem illud absq; san-
 guine dedicatum fuit. Cum enim Moses omne præceptum iuxta legē
 exposuisset omni populo, sumpto sanguine uitulorum & hircorum,
 cum aqua & lana coccinea & hyssopo, simul & ipsum librum & totum
 populum aspersit dicens: Hic est sanguis testamenti (seu foederis) quod
 mandauit uobis Deus &c. Et paulo ante: Si sanguis taurorum & hircō-
 rum, & cinis iuuençæ aspergens inquinatos, sanctificat ad carnis puri-
 ficationem, quanto magis sanguis Christi &c. Etenim Dominus De-
 us noster promisit statim, postq; peccauerat Adam, se remissurum
 peccatum, & redditurum homini perpetuam foelicitatem. Et statuit
 in animo se hanc promissionem, seu libet uocare testamentum, confir-
 maturum per sanguinem unigeniti filij sui, adeoq; omnes in filium ^{Sacrificia Pa-}
 credentes sanctificaturum per sanguinem ipsius, ut habeant remissi- ^{triarcharum}
 onem peccatorum & uitam æternam. Hic autem filius Dei non potu- ^{unde originē}
 it sanguinem suum fundere, donec fieret homo. Igitur priusquam fa- ^{sumpserint.}
 ctus esset homo, & sanguinem suum funderet pro peccatis, iam inde
 ab initio orbis terrarū adumbratio huius sanguinis celebrata est per
 sanguinem pecorum, ut publicis, ijsq; sacris cærimonijs significare-
 tur, sanguinem filij Dei, qui suo tempore effundendus esset, confir-
 maturæ pacta Dei, & purificaturum nos ab omnibus peccatis. Hinc
 est, q; Abel statim obtulit primogenita gregis sui, hoc est, effudit san-
 guinem primogenitorum in sacrificium, qua cærimonia concionaba-
 tur de passione Christi, quia audiuerat a parente suo, futurum ut san-
 guis filij Dei purificaret nos a peccatis. Sic patriarchæ obtulerunt sa-
 crificia, significante spiritu, sacrificium Christi futurum, cuius sangui- ^{sacrificia}
 ne peccata uere expiarentur. Sic & Gentes retinuerunt sacrificia, non ^{Gentium:}
 q; pie sacrificauerint, quia seruiuerunt idolis, sed q; sacrificia a patriar-
 cha Noe & filijs eius (ab his enim humanum genus in totum orbem
 terrarum sparsum est) ueluti per manus accepta, conseruauerint iuxta
 externam speciem, & amissa fide, imitati sint tantum opus Patriarcha-
 rum. Vnde & alicubi apud gentes idololatrias mos inoleuerat sacrifi-

Esa. 19.
Esa. 45.
Hierem. 51.
Sacrificia hy
pocritarum.

tandi homines, quod etsi fuit crudelissimum, & instinctu Satana factum, apparet tamen id factum esse hac occasione. quia à patriarchis prædicatum fuerat, hominem uenturum, qui sacrificio & sanguine suo placaret iram Dei, & expiaret peccata nostra. Itaque gentes, ut Paulus ait, detinuerunt ueritatem in iniustitia. Postquam ergo Iesus Christus uenit in hunc mundum, et expiauit sacrificio suo peccata, mox sacrificia tam Iudeorum quam Gentium ita abrogari coepta sunt, ut hoc tempore ne reliquiae quidem eorum sacrificiorum, in ulla publica gente, in toto orbe terrarum supersint. Id quod maximum argumentum est, Christum uenisse, & sacrificium suum, in quod omnia alia respexerunt, peregrisse. De qua re etiam Prophetæ, multa uaticinati sunt. Vna sola gens superest, quæ sua sacrificia pro peccatis uiuorum & mortuorum mordicus retinet. Ea autem est gens Papistica, quæ cum sacrificia sua celebret, perspicue significat, se necque in Christum recte credere, & peiorem esse gentibus idololatriæ, propterea quod hæ sacrificijs suis cesserint uni & perfecto sacrificio Christi. Papistæ autem, quamuis admoniti & de ueritate edocti, nolunt tamen tantum honoris sacrificio Christi exhibere, ut sua sacrificia abijciant. Vt autem redeam ad propositum, quemadmodum sanguis Christi adumbratus est in sacrificijs Patriarcharum, ita etiam adumbratus est in hac caeremonia, qua Mose legem suam dedicat, & publice confirmat. Vt enim populus foedere cum Domino coniungitur per hoc, quod aspergitur sanguine sacrificij, quo deinceps sit populus Dei, & seruet legem eius, ita nos coniungimur cum Deo patre nostro, si aspergamur in conscientia sanguine Christi, id quod fit per prædicationem Euangelij fide acceptam. Et ita coniuncti ac confederati, efficiamur filij Dei, habebimus remissionem peccatorum & uitam æternam &c.

VIDERVNT DEVM ISRAEL, SVB PEDIBVS EIVS ERAT QVASI OPVS.)

1. Regum 5.
Esa. 5.
Esa. 14.

Quod hoc loco dicitur: Super principes filiorum Israel non misit manum suam, grammatici Hebræorum uarie interpretantur. Sed quia mittere manum Hebræa phrasi interdum significat affligere, et populus Israel antea uoce Dei ita exterritus est, ut si deinceps audierit, mortem sibi subeundam existimauerit, nunc autem principes Israelis hac manifesta Dei uisione, cuius hoc loco fit mentio, intantum non exterrantur, ut potius comedant & bibant, hoc est, magna læticia afficiantur, ideo aptissima interpretatio est, ut intelligamus, Dominum hac apparitione non misisse manum super principes Israelis, hoc est, non exterruisse eos, sicut antea, sed potius gaudio affecisse. Viderunt, inquit, Deum Israel. Non uiderunt Deum secundum essentiã suam. Sic enim homini incomprehensibilis est, Sed Deus exhibuit eis manife-

stum spe

stum spectaculum, quo testatus est suam presentiam. Erat autem huiusmodi spectaculum. Apparuit in monte forma quaedam uel nubis, uel alterius id genus rei, quasi opus confectum ex lapide Sapphirino. Sapphirus autem collucet aureis punctis. Ergo & hoc opus collucebat aureis notis, & apparebat quasi coelum, cum est serenum, hoc est, ualde splendidum. Hoc spectaculum factum est diuino miraculo, & senioribus Israel obiectum, quo Deus significauit se approbare & confirmare foedus, quod populus iniit cum ipso, de instituenda politia Israelitica iuxta leges antea praescriptas. Vnde additur postea: Comederunt & biberunt, quod etsi Hebraeorum grammatici intelligant per antithesin ad Moisen, qui postea quadraginta diebus & noctibus nihil comedit, attamen quia Deus hoc miraculo significauit se approbare foedus Israelitarum, sentiendum est, quod his uerbis exprimat publicam leticia Israelitarum, qui legis confirmationem & dedicationem publico festo & magno gaudio celebrarunt. Sic Dominus publico miraculo confirmauit consecrationem, & ministerium Sacerdotum Leui. ix. Sic confirmauit dedicationem templi. ij. Paralip. vij.

DIXIT AUTEM DOMINVS AD MOSEN, ASCENDE AD ME IN MONTEM.)

Postquam foedus inter Deum & Israelitas initum, publico consensu et diuino miraculo confirmatum est, euocauit Deus iterum Moisen in montem, ut det ei Decalogum descriptum in tabulas lapideas, & ut doceat eum reliquas leges, ac praecipue ceremoniales, quae praeter priores ad constituendam Remp. Israeliticam necessariae sunt. Primum ergo Mose, quia ad tempus adfuturus erat, ordinat loco sui in magistratum, Aheronem & Hur. Ad hos, inquit, si aliquis habuerit causas, referatis. In multitudine enim populi nihil est aut periculosius aut pernitiosius *ἀναγκία*. Deinde Mose ascendit in montem, & cum nubes operuisset ipsum sex diebus, uocauit eum Dominus septimo die de medio nubis. Erat autem, inquit scriptura, species gloriae Domini quasi ignis deuorans super uerticem montis, in conspectu filiorum Israel. Hoc necessario additur, ut obstruatur os loquentium iniqua aduersus Moisen, & autoritas Mosi iterum confirmetur. Sunt enim quidam *ἀθεοι*, qui epicureica impietate eleuant autoritatem Mosi, & dicunt Moisen fuisse impostorem, ac ingressum quidem in nubem, paulo post autem regressum ad populum, finxisse sibi cum Deo colloquium fuisse, & ab eo leges accepisse, quemadmodum legislatores Ethnicorum etiam retulerunt leges suas ad oracula deorum. Sed horum impietas manifesta est. Primum enim Mosi autoritas magnis & stupendis miraculis, quae per ipsum in Aegypto, in mari rubro & in deserto edita sunt, confirmata est, ut supra ostendimus. Deinde confirmauit Deus ipse autoritatem

sapphirus.

Mosi autori
tas.

Mosi, in publica congregatione Israelitarum, quando promulgatus est Decalogus, & Deus ipse manifesta uoce commemorauit decalogū audiente tota Israelitarum multitudine, quorum erant plusq̄ sexcenta millia, quemadmodum supra cap. xix. scriptum est. Et additur illic. Iā nunc ueniam ad te in caligine nubis, ut audiat populus me loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum. His accedit & hoc publicum miraculum, quod in hoc capite scribitur. Apparuit enim in monte species glorię Domini, quasi ignis deuorans super uerticem montis, in conspectu filiorum Israel. Hoc miraculo testatur Dominus publice corā tota populi congregatione, q̄ sit præsens cum Mose in monte, q̄ colloquatur cum ipso, & det ei leges populo offerendas. Non addam interim alia testimonia autoritatis Mosi, quæ supra partim recensita sunt, & non est in hoc loco opportunum ea commemorare. Ceterum q̄ Mose necesse habet ingredi in nubem, significat Deum habitare in abscondito, & nubem ac caliginem esse in circuitu eius, nec posse ab humano captu comprehendī, nisi per uerbum & sacramenta sua. Si cut enim sol per se quidē clarissimus est, attamen si obijciatur nubes, uidetur quidem aliqua solis claritudo, ipse tamen sol non potest uideri, ita Deus per se est splendidissimus. Sed quia nobis captus imbecillior est, q̄ ut possit tantum splendorem comprehendere, ideo inuoluit se Deus, quod ad nos attinet, in caliginem, & obijcit nobis ueluti nubes, uerbum, sacramenta & opera sua, per quę oportet nos Deum cognoscere, & per fidem apprehendere. Quare abijciamus speculationes de Deo quę fiunt absq̄ uerbo Dei, proponamus autē nobis uerbū Dei, ut per illud Deum ipsum comprehendamus. Quod autē species maiestatis diuinę appareat quasi ignis deuorans, pertinet ad explicandam naturam legis. Lex enim, ut Paulus ait, occidit. Et Deus per legē nullum hoīem infontem iudicat, sed omnes deuorat & absumit, ueluti ignis. Quare, ne ab hoc igne deuoremur, a lege ad Euangelion per fidem diuertendū est. Postremo Mose ingressus in nubem mansit in monte quadraginta diebus & quadraginta noctibus, panem nō comedens, & aquam non bibens. Vide Deut. ca. ix. Est autē hoc ingens miraculum, quale etiam scriptura editum testatur in Elia. iij. Reg. xix. & in Iesu Christo, Matt. iij. Hoc autem miraculum non est editum, ut instituat & confirmetur ieiunium quadragesimale, quemadmodum hypocritæ nugantur. Non enim naturaliter fieri potest, ut exemplo nostro sectemur horum trium ieiunia. Sed æditum est, ut Deus hoc miraculo præpararet illos, ut forti & magno animo caperent eam uocationem, ad quam Deus ipsos missurus erat, uidelicet Mosē ad constituendum & absoluendum statum Reipub. Israeliticę, Eliam ad mutandum & renouandum regnum Israelis. Et Christum ad inchoandum &

Leuit. 16.
2. Paralip. 6.
Psalm. 96.
1. Timoth. 6.

Deus habitat
in nube.

Röm. 7.
Legis natura

Ieiunium qua
dragesimale.

dum & peragendum officium Messie. Cæterum Dominus dedit hoc tempore Mosi duas tabulas lapideas, in quarum altera scriptæ erant *Legis duæ tabule.* leges Decalogi, quæ pertinent ad cultum Dei, in altera, quæ pertinent ad dilectionem proximi. Et erant hæ tabulæ scriptæ digito Dei, quæ admodum testatur liber Deuterono, capite nono. Quid autem significet, quod Deus scripserit Decalogum in tabulas lapideas, non in ligneas, non in cereas, non in corticem, non in papyrum, interpretatur Ezechiel capite xi. & Paulus ij. Corinth. ij. Dabo eis (inquit Ezechiel) cor unum, & spiritum nouum tribuam in uisceribus eorum, & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, ut in præceptis meis ambulent. Paulus autem dicit: Vos estis epistola scripta, non atramento sed spiritu Dei uiuentis, non in tabulis lapideis sed in tabulis cordis carneis. Ex his apparet, quod Deus scripserit Decalogum in tabulas lapideas, ut significet tale esse cor humanum ad seruandam & implendam legem, quales sunt tabulæ legis, nimirum, lapideæ, duræ. Sic & corda humana sint natura sua ad implendam legem lapidea, dura, incuruicera, & inflexibilia. Quare Decalogus datus est, non ut significet naturam nostram esse sanam, & posse legem perfecte implere, sed potius ut significet naturam nostram tam imbecilem esse, ut suis uiribus ne possit quidem legem perfecte implere, adeoque per legem magis uenire agnitionem peccati, quam impletionem iustitiæ. Ergo necesse est, a lege ad Christum diuerti per fidem, ut in ipso habeamus impletionem legis, & concipiamus spiritum, qui faciat nos ex fide in præceptis Dei ambulare.

CAPVT XXV.

LOCVTVS EST DOMINVS AD MOSEN DICENS: LOQVERE FILIIS ISRAEL VT ACCIPiant MIHI LEVANDAM.)

Moralibus & iudicialibus legibus subiicitur descriptio legum ceremonialium seu ecclesiasticarum. Nam & hæ ad constitutionem rectæ ac perfectæ politiæ necessariae sunt. Et antea promisit Deus Israelitis publica sacra, cum ait: Eritis mihi in regnum sacerdotale & gens sancta. Non expectabis autem in hoc libro descriptionem legum sacrificialium, & aliorum id genus ecclesiasticorum rituum, de quibus copiose in Leuitico tractatur, sed ædificationem sacri tabernaculi, in quo cultus diuinus perageretur, & institutionem ac consecrationem sacerdotum, qui sacra facerent. Cæterum publica sacra instituuntur in politeia Israelitica, non ut meritis horum sacrorum expiantur peccata eorum Deo, qua opinione hypocritæ sacra faciunt, sed quia uera iusti

*Sacrorum publicorum in
stuitio.*

cia contingit nobis tantum per fidem in Iesum Christum, & Christus eo tempore nondum per carnem reuelatus erat, instituuntur sacra in Israel, ut adumbrarent Christum, ut concionarentur de Christo, ut quod nunc post incarnationem Christi disertis uerbis de ipso prædicatur, hoc ante incarnationem eius publicis ritibus ut cunctæ exprimeretur, atq; adeo ut his sacris, ueluti publicis de Christo concionibus & promissionibus, fides in Christum conciperetur, aleretur, & confirmaretur. Per solam enim fidem in Christum iustificamur, cui fidei omnia sacra tam quondam Israelitarum, q̄ nunc Christianorum seruire debent. Nam q̄ hoc tantum spectet institutio tabernaculi, sacerdotij, & aliorum sacrorum in Israel, scriptura satis perspicue explicat. In hoc enim capite Dominus ad Moysen ita dicit: Facient mihi sanctuarium, & habitabo in medio eorum, iuxta omnem similitudinem tabernaculi, quod ostendam tibi. Et iterum, in fine huius capituli: Inspice & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est. Ac postea cap. xxij. Eriges tabernaculum iuxta exemplar, quod tibi in monte monstratum est: Exemplar autem & forma, quæ ostensa est Moysi reuelatione spiritus sancti in monte, non fuit externum aliquod edificium, sed cœleste, uidelicet, Christus, ecclesia, prædicatio Euangelij de Christo, & quæcunq; ad Christum & ecclesiam eius pertinent. Sic enim scribit epistola ad Heb. cap. viij. Sacerdotes (inquiens) offerunt iuxta legem donaria, quæ quidem exemplari & umbræ delerunt cœlestium, quemadmodum oraculo respõsum est Moysi, cum esset tabernaculum absoluturus &c. Quare quæcunq; traduntur de tabernaculo, de sacerdotio, de publicis sacris & ceremonijs in politia Mosaica, ea non sunt, nisi conciones de rebus cœlestibus, ac maxime omnium de Christo, propter quem solum, per fidem, iustificamur. Quanc̄q; autem aduentu Christi, sacra Mosaica ita abolita sunt, ut maiestas Christi publica Euangelij prædicatione multo clarius illustretur, q̄ ritibus Mosaicorum sacrorum adumbratus sit, pijs tamen mentibus, non solum iuxta, ueræ etiam ad confirmandam fidem utile est, e sacris illis ueterum, Christum & beneficia eius agnoscere. Sic enim perspicue uidemus eandem esse patriarcharum & nostram religionem, & solū Christum, ueram esse & iustitiã ac redemptionem nostram. Igitur, ut externa horum sacrorum obseruatio hoc tẽpore plane superuacanea esset, ita interpretatio eorum ad illustrandum Christum plurimum conducit.

TOLLANT MIHI PRIMITIAS.)

Pro primitijs, Hebræus habet תרומה Thruma, cui alias apponit תנופה Thnupha, quæ dictiones, cum in oblationibus frequenter sese offerant, paucis explicandæ sunt. Nam apud Hebræos oblationes, non uno tantum ritu offerbantur Dño. Aliquoties enim, quod oblatum erat, ele-

Exemplar
Moysi in monte
monstratum.

Diuersa sacra,
sed eadẽ religio.

erat, eleuabatur coram Domino in altum. Vnde ea oblatio dicta est *Leuanda ritus oblatiois* תרומה Thruma, quod Leuandam dicere posses. רום enim est eleuare aut exaltare. Aliquoties, quod oblatum erat, mouebatur coram dño ad quatuor fines mundi, scilicet, uersus orientem, occidentem, meridiem & septentrionem. Vnde ea oblatio dicta est תנופה Thnupha, quod *Mouenda:* Mouendam dicere posses. נוה enim est hinc inde mouere, aut uentilare. Habent autem hi offerendi ritus suam significationem. Cum enim oblationes & sacrificia legis maxime omnium Christum adumbrent, & adnuncient, significat Leuanda, exaltationem Christi in cruce, qua oblatione expiauit peccata nostra. Mouenda autem significat eā Christi oblationem & expiationem prædicatione spargendam esse in omnes fines terre, quemadmodum Psalmus ait: *Psalms. 18.* In omnem terram exiuit *Roma. 10.* sonus eorum, & in fines orbis terre uerba eorum. Cum igitur in ecclesijs hinc inde dispersis predicatur Euangelion de sacrificio Christi, re ipsa uere id peragitur, quod quondam ritibus Leuandæ & Mouendæ significatum est. Ceterum hoc in loco תרומה Thruma accipitur generaliter pro quauis spontanea oblatione, quam Israelitæ mandato Domini ad ædificationem tabernaculi & institutionem sacrorum faciebant, quæ & coram Domino iuxta uocabuli significationem, & solennem ritus consuetudinem, in altum eleuanda erat.

HAEC AVTEM EST LEVANDA QVAM ACCIPIETIS AB EIS, AVRVM ARGENTVM.)

Pro hyacintho Hebræus habet תכלת, quod interpretantur Hebræi pro lana tincta sanguine uermis, quem תולדות uocant, e quo fit color croceus, seu flauus & pallidus ut aurum. Pro purpura Hebræis est תרומה, quod pro serico rutilo aut subrucco interpretantur. Pro cocco bis tincto תודעת שני, quod significat coccinum rubeum, & sumitur pro lana aut serico coloris Carmesini, ut uocant, qui lucidior est quam purpura. Pro hoc enim Chaldæus habet טבע זרוי, hoc est, color carmesinus. Pro bysso est שש, quod scribunt esse speciem lini, quæ tantum in Aegypto reperiat, & quæ sit coloris albi, & alijs coloribus minime tincti. Suidas autem dicit βύσσον significare βαφιν ἐν πορφύρας. Pro pellibus hyacinthinis Hebræus habet, שרות תהשים, hoc est, pellestaxorum. Quod animantis genus etiam nostris regionibus notum est. Sed Rabi Salomon scribit, huius animantis non fuisse alium usum, quæ in delicijs, & habere uarios colores. Vnde pro תהשים, Chaldæus reposuit טטטט quasi exhilarantem uarietate colorum suorum. Ligna autem Sittim Iudæi Cedros intelligunt. Sed apud Esaiam cap. xli. צרר, hoc est, Cedrus distinguitur à Sitta. Alij sentiunt esse genus arboris piceæ, qualis apud nos est quædam species abietis. Græcus transfudit φύλα αουπτα

Ligna Sittim

ligna imputribilia. Et Iosephus scribit materiam horum lignorum eiusmodi fuisse, ut non potuerit putredine uiolari. De Ephod & Hosien seu rationali postea. Habes, quæ ad grammaticam explicationem pertinent. Nunc audiamus nostrâ. Ac primum, quod Deus exigat oblationes Israelitarum ad ædificandum tabernaculum, & instituenda sacra, significat, opera eorum, qui uel externo suo sumptu, uel consilio, uel alio quouis officij genere ecclesiam adiuuant, & ministerium Euangelij, adeoque ueram Christianismi religionem conseruant, cultum Deo gratissimum esse. Deinde, quod Deus exigat oblationes non coactas, sed spontaneas & uoluntarias, id est quod Paulus ij. Corinth. ix. scribit: Hilarum, inquit, datorem diligit Deus. Ex hoc fonte manat, quod omnis iustitia nostrorum operum sit imperfecta. Propterea quod non diligimus Deum toto spontaneo corde &c. Postremo, cum non tantum aurum & argentum, hoc est, res præciosæ, uerum etiam pili caprarum & ligna, hoc est, res per se uiles ad ædificationem tabernaculi exigantur, perspicue admonemur, ut unusquisque pro facultate sui doni diuinitus concessi ecclesiam adiuuet, alius doctrina, alius explicatione scripturæ, alius consolatione, alius administratione sacramentorum, alius administratione gladii seu ciuilibis magistratus, alius externo suo sumptu, alius alio quodam genere officij, siue id preciosum, siue uile appareat, modo ad conseruationem religionis, & ecclesiæ aliquid faciat. Qui enim non potest aurum & argentum offerre, offerat saltem pilos caprinos & ligna, & munere suo defunctus est. Diuisiones (inquit Paulus) donorum sunt, sed idem spiritus, diuisiones ministeriorum sunt, sed idem Dominus, & diuisiones operationum sunt, sed idem est Deus efficiens omnia in omnibus. Et ad Ephesios: Idem dedit, alios quidem Apostolos, alios uero Prophetas, alios Euangelistas, alios autem pastores & doctores, ad instaurationem sanctorum in opus administrationis, in ædificationem corporis Christi, donec perueniamus omnes in unitatem fidei & agnitionis filij Dei &c. Huc pertinet etiam parabola de patrefamilias, qui peregre profectus, dedit omnia bona sua seruis ut negociarentur.

i. Corint. 12.

Ephes. 4.

FACIENT MIHI SANCTUARIVM, ET HABITABO IN MEDIO EORVM.)

שְׁכֵנִי sanctuarium, generale uocabulum, quo tam tabernaculum a Mose constructum, quàm templum postea a Salomone edificatum intelligitur. Sic dictum, quod sacra in eo peragantur. Et additur sanctuario promissio: Habitabo in medio eorum. Quæ promissio repetitur postea in fine cap. xxix. Explicatur autem copiosissime in dedicatione templi in Reg. vii. Deus enim dicit habitasse in tabernaculo, aut templo, non quod in manu factis ædificijs, ita includatur, ut non & alia loca impleat.

Cœlum

Coelum em̄ & terrā ego impleo, dicit Dominus. Sed quod in eo loco publica sacra tractentur, & Deus tam uerbo suo q̄ sacrificijs reueletur. *Esa. 66. Hierem. 23.*

ARCAM DE LIGNIS SITTIM COMPINGITE:)

Præcipua sanctuarij pars est Arca cum propiciatorio. Primum igitur omnium uideamus compositionem arcæ. Deinde usum arcæ politicum seu externum. Postremo usum eius Ethicum seu spirituales. *Arca propiciatorij.*

COMPOSITIO ARCAE.

Arca compingitur è lignis Sittim, longitudine duorum cubitorum & dimidij, latitudine cubiti unius & dimidij, & eadem altitudine, uidelicet cubiti unius & dimidij. Vestitur autem auro mundissimo intus & foris. Ornatur et in superiori parte corona aurea per circuitum. Adijciuntur quatuor circuli in quatuor angulis, in quos circulos introducuntur uectes lignei, sed auro obducti, qui cum perpetuo in circulis maneant, apti sunt, quibus arca gestetur, & de loco in locū transferatur. Non licebat autem quibusuis arcam gestare, sed tantum Leuitis ad hoc officium publice ordinatis, quemadmodū scribitur Num. iij. & i. Paralippome. xv. Vnde cum Bethsamitæ conspexissent eam curiose, & Vsa contrectasset eam tenere, grauissimis a Deo supplicis affecti sunt. De qua re uide i. Regum vi. & ij. Regum vi.

POLITICVS SEV EXTERNVS VSVS ARCAE.

Primum arca fabricata est in hunc usum, ut esset sustentaculum propiciatorij, de quo postea. Deinde ut esset receptaculum tabulae Decalogi, Mannæ, & uirgæ Aheronis. Sic enim mox dicit: Pones in arca testamentum, quam dabo tibi. Et capite xl. Similiter Deuter. x. Et ij. Regum viij. De Manna uide supra cap. xvi. Sume (inquit Dominus) uas unum, & mitte ibi Man, quantum potest capere Gomer, & repone coram Domino &c. De uirga Aheron Num. xvij. Et Heb. ix. Post secundum, inquit, uelum, erat tabernaculum, aureum habens thuribulum, & arcam testamenti, undiq̄ circumtectam auro, in qua urna aurea habens Manna, & uirga Aheron, quæ germinauerat, & tabulae testamenti. Postremo, fabricata est arca in hunc politicum usum, ut esset designatio publicæ parochiæ in Israel. Vbicunq̄ enim erat arca, ibi licebat publica, ordinaria & legitima sacra peragere. Deut. xij. Caue, inquit, ne offeras holocausta tua in omni loco quem uideris, sed in eo, quem elegerit Dominus in una tribuum tuarum, offeras hostias, & facies quæcunq̄ præcipio tibi &c.

ETHICVS SEV SPIRITVALIS VSVS ARCAE.

Cum Mose construxerit arcam iuxta exemplar, quod ipsi autore spiritus sancto in monte demonstratum est, cumq̄ hoc exemplar fuerit

Iesus Christus Dominus noster & ecclesia eius, quemadmodum supra indicauimus, manifestum est, spiritum sanctum edificio arce Christum adumbrasse, & Christi conditiones per arcam explicuisse, atque ob oculos posuisse. Primum enim arca compingitur quidem e lignis piceis, uestitur autem auro mundissimo, ita et Christus assumpsit quidem humanam carnem, quæ, ut picea ligna facile ab igni arripiuntur et deuorantur, ita corruptioni natura sua obnoxia est. Sed quia fuit obducta auro mundo, quod non potest igni consumi, & quo significatur diuina natura, ad quã humana caro in unitatē personę in Christo assumpta est, aptissime, etiam per ipsam arce materiam, persona Christi explicatur, de quo Petrus Actorum ij. ita ait: Deus suscitauit Christum solutis doloribus mortis, quatenus impossibile erat teneri illū ab ea. Dauid enim dicit de eo: Quoniam non derelinques animā meam in inferno, nec sines ut sanctus tuus uideat corruptionem &c. Deinde ornatur arca in superiori parte corona aurea per circuitum. Hęc corona significat in Christo aut diuinam naturam, quę, ut circulus, in initio & fine caret, aut maiestatem regni, de qua passim scriptura preclare concionatur. Circuli uero in angulis & uestes lignei sed auro obducti, quibus arca gestata, & de loco in locum translata est, significat prædicationē Euangelij de Christo. Hac enim Christus gestatur, & per hanc ad omnes gentes, in totum orbem terrarum transfertur. Unde & uestes perpetuo in circulis arcę affixis manent, quia prædicatione Euangelij nunquā a Christo seiungi debet. Non iudicauī, inquit Paulus, me quicquē scire inter uos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixū. Et iterū: Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter hoc, quod positum est, Iesus Christus. Quare, qui ita Euangelion concionantur, ut maiestatem Christi de expiatione peccatorum transferant in merita operum nostrorum, hi abstrahunt uestes ab arca, & designant sacrilegium. Sed & quaternarius numerus circularum significat quatuor orbis partes, orientem, occidentem, meridiem & septentrionem, ad quas prædicatione Euangelij de Christo uulganda erat. Deinde, quod sacerdotum tantum & Leuitarum officium fuerit arcam tractare & portare, hoc illud est, quod Petrus scribit: Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta &c. Et Apoca. i. Qui lauit nos a peccatis nostris per sanguinem ipsius, & fecit nos reges & sacerdotes Deo & patri suo &c. Nam quod Betfamitæ & Vsa diuinitus puniti fuerint, propterea quod illi arcam curiose conspexerant, hic temere attigerat, hoc ipsum est, quod Christus Ioannis iij. ait: Qui non credit in eum, iam condemnatus est. Matth. xxi. Qui ceciderit super lapidem illum, confringetur, super quē uero ceciderit, conteret eum. Exempla habes Act. v. in Anania & Sapphira: Et Act. viij. in Simone mago. Adhęc in arcam

Psalm. 17.

*Circularum
significatio.*

2. Corinth. 2.

6. Petri 2.

in arcam repositæ sunt tabulæ Decalogi, quia Christus est uera legis <sup>Legis imple-
tio, Christus;</sup> impletio. Is enim nō solum perfecte satisfecit legi diuine, uerumetiam impetrauit sua passione, ut quotquot in ipsum credunt, communem habeant cum ipso impletionem & iustitiam legis, nec aliter iudicentur coram Deo, q̄ si ipsi legem suis operibus impleuissent. Et est Maria in arcam repositum. Hoc ipse Christus perspicue interpretatur Ioan. vi. Ego sum panis uitę. Et Hic est panis ille de cœlo descendens, ut ex ipso edat aliquis & non moriatur. Iam & uirga Aheron in arcam reposita est. Hęc autem est uirga, quę cum esset arida, miraculo tamen quodam iterum germinauit ac declarauit Aheronem & familiam eius diuinitus ad sacerdotium electum esse, quemadmodum habes Num. xviij. Atq; hęc uirga Christum aptissime delineat. Cum enim uideretur, tanq̄ aridus, & traderetur morti, non tamen perijt <sup>Aheronis uir-
ga quid signi-
ficet.</sup> morte, sed iterum germinauit ac resurrexit in perpetuam uitam, & cōsecutus est summum sacerdotium, qui, ut est ad Hebręos, una pro peccatis oblata uictima, perpetuo sedet ad dextram Dei, & intercedit pro ^{Hebr. 10.} nobis. Postremo, q̄ in nullo alio loco licuerit ordinarię publica sacra facere, præterq̄ in eo loco, in quo arca sita erat, significat, partim unū tantum esse sacrificium Christi, quod Deo patri pro peccatis placeat, nec aliam esse pro peccatis expiationem, partim, nullum opus extra Christum, Deo patri placere. Quod enim non est ex fide, peccatum est, inquit Paulus, Ac in suo quidem genere non displicent Deo morales uirtutes incredulorum, quas Deus & commendat, et premijs quibusdam corporalibus honorat. Sed quę fiunt ex fide in Christum, ita placent Deo, ut ea in nouissimo die publice commemoraturus sit, quemadmodum Christus ait Matth. uigesimo quinto. Habes explicationem arcę breuissimis, cuius tractatio, cum nobis Christum clarissime ob oculos ponat, non est inutilis aut superuacanea in Ecclesia iudicanda. Vt enim ueteres per spiritualem arcę usum confirmarunt fidem suam in futurum Christum, ita & nos per explicationem arcę discamus Christum iam præsentem certius cognoscere, & admoneamur de beneficijs eius, ut fide confirmati, ad omne opus bonum parati sumus &c.

FACIES ET PROPICIATORIVM.)

Pro propiciatorio Hebræis est כפרת, Græcis *ἱλαστήριον*. Factum <sup>Propiciatio-
rij explicatio
Cherubim.</sup> est autem propiciatorium ex auro mundissimo, eiusdem longitudinis & latitudinis cum arca. Et additi sunt ei duo aurei Cherubim, ex-
pendentes alas suas. Fuerunt autem Cherubim imagines alate, & ut Hebręi interpretes sentiunt, habuerunt formam pueri. Vt Iosephus <sup>Ioseph. lib. 3.
Antiquita.</sup> autem scribit fuerunt animalia uolatilia, quę talem habuerunt figuram, qualis à nullo hominum conspecta est. Sed Ezechiel uidit simili

tudinem quatuor animalium, quam uocat Cherubim. Et cum in primo capite commemoret quatuor facies animalium, uidelicet, hominis, leonis, bouis, & aquilæ. Postea capite x. pro facie bouis substituit faciem Cherub. Deinde autem uocat totum animal, quatuor facibus constans, Cherubim. Item capite xli. dicit Cherub habuisse duas facies, hominis & leonis.

VSVS PROPICIATORII.

Principio, propiciatorium cum Cherubim in hunc usum constructum est, ut esset operculum arcæ. Pones, inquit, illud super arcam. Deinde, institutum est, ut quemadmodum Deus antea collocutus est cum Mose e rubo, postea e nube, ita nunc deinceps colloqueretur cum ipso de propiciatorio ac medio duorum Cherubim, & reuelaret ei leges, ac statuta, quæ in Repub. Israelitica obseruanda essent. Sic enim mox sequitur: Inde, inquit Dominus, testificabor tibi & loquar ad te, nempe de propiciatorio ac medio duorum Cherubim, qui erant supra arcam testimonij, cuncta quæ mandabo per te ad filios Israel. Et in Nume. capite viij. Cum ingrederetur Mose tabernaculum foederis, ut consuleret oraculum, audiebat uocem loquentis ad se de propiciatorio &c. Quo stupendo miraculo propiciatorium consecratum est in publicum sacramentum, quo Israelitæ certificarentur, Deum tam præsentem quam propicium esse Israelitis, ac uelle ipsos defendere, & tueri in omnibus aduersis. Vnde & ei nomen propiciatorij inditum est, & dictus est Deus habitare aut sedere super Cherubim, Psalmi. lxxix. & Esa. xxxvij. & tabernaculum, in quo propiciatorium situm erat, uocatum est tabernaculum foederis Domini. Postremo, propiciatorium institutum est, ut adumbraret Christum, & concionaretur de Christo & beneficijs eius, prius quàm humanam carnem assumeret. Sic enim Paulus ad Romanos capite iij. interpretatur: Christum (inquiens) proposuit Deus ἱλασθῆτον, hoc est, propiciatorium, per fidem, interueniente ipsius sanguine. Et Ioannes in prima epistola, cap. iij. Deus misit filium suum propiciationem pro peccatis nostris. Adumbrat autem propiciatorium Mosis Christum, non minus apte quàm commode. Primum enim Deus collocutus est cum Mose de propiciatorio, ita & palam ac multo præsentius collocutus est nobiscum per Christum filium suum, dum is prædicaret Euangelion in Galilæa & Iudæa. Ego, inquit, in patre sum, & pater in me. Verba quæ ego loquor a meipso non loquor, Pater autem in me manens, ipse facit opera. Deinde testatum est sacramento propiciatorij, Deum uelle Israelitis præsentem & propicium esse, multo magis autem id testatum est per Christum filium Dei, qui solus est, propter quem Deus nobis ita propitius factus est, ut non solum uelit eos, qui in Christum credunt, in omnibus malis huius seculi

Christus, propiciatorium.

Ioan. 14.

huius seculi tueri, uerumetiam foelicitate æterna & regno cœlesti donare. Ad extremum, ut Cherubim expandunt alas suas & obumbrant propiciatorium, ita multo magis diuina protectio obumbrat tã Christum, q̃ omnes, qui in Christum credunt. Deus autem protegit per angelos suos. Vnde & Christus angelorum custodia defensus, aut potius obseruatus & adoratus esse dicitur. Christus enim scala illa est, quam Iacob uidit in somnis, & super qua angeli descendunt & ascendant. Gene. xxvii. & Ioan. i. Huc pertinet quod in Psalm. lxxx. dicitur. Angelis suis mandauit de te, ut custodiant te in omnibus uijs tuis. Et Danie. vii. Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei. Nam Cherubim protectionem aut defensionem significare, scriptura perspicue indicat, cum ait, Deum posuisse Cherubim ante paradysum, ad custodiendam uiam ligni uitæ. Ezech. uigesimo octauo uocatur rex Tyri Cherub magnus protector, quod fuerit populi sui egregius defensor.

FACIES ET MENSAM DE LIGNIS SETHIM.)

Pro labio, quod ex Iosepho huc tralatum est, & significat more Hebræo, extremitatem cuiusq̃ rei, Hebræus habet *ר*. Græcus interpretatus est *σεπτὰ κύματα*, hoc est, uertibiles undas. Et deduxerunt fortassis *ר* a uerbo *ר*, quod significat dispergere. Hoc autem loco *ר* proprie significat *קורונה* seu coronam, quemadmodum alij interpretati sunt.

Pro corona interrasili Hebræus habet *מסורה*, Græcus *σεφάτυρον* *λαίσου*, hoc est, coronam pugilis. Significat autem *מסורה* clausuram seu ambitum connectentem & constringentem. Mensa igitur ita facta est, ut circumdata sit ambitu, quasi clausura, qui ambitus exornatus fuit aurea corona.

VSVS MENSÆ POLITICVS.

Hęc mensa auro obducta ad hunc usum in Ecclesiastica politia Israëlis parata est, ut ponerentur, quemadmodum mox sequitur, super eã duodecim panes, quos supra hoc loco & i. Reg. xxi. uocat *פנים לחם*, hoc est, panes propositionis seu facierum, propterea q̃ hi panes ponebantur suo ritu in mensa ante conspectum propiciatorii, qui dicebatur conspectus seu facies Domini. Vnde & mensa, dicta est mensa propositionis, Num. iii. Cæterum hi panes ponebantur in conspectum Domini, una cum thure, ut essent publicum memoriale, quo admonebantur Israelitę sacrificij placationis, quod uocauerunt *מורה*. Sic enim scribitur Leuit. uigesimo quarto. Accipies similam & coques ex ea duodecim panes, qui singuli habebunt duas decimas, quorum senos altrinsecus super mensam purissimam statues, & pones super thus luci

*Mensa usus
in tabernack
lo.*

*Panes propo
sitionis.*

dissimum, ut sit panis in monumentum oblationis Domini. De oblatione autem, quam uocant *מנחה*, habes Leuit. ij: & vi.

SIGNIFICATIO MENSÆ ET PANUM PROPOSITIONIS.

Alij ex mensa faciunt sacram scripturam, alij ecclesiam, & e duodecim panibus, sacramentum eucharistiæ. Iosephus putat mensam cum panibus significare annum duodecim mensibus distinctum. Sed ut arca propiciatori, ita & mensa Christum adumbrat. Hic enim propositus est nobis à Deo patre suo, ueluti mensa uarijs, ijsq; lautissimis ferulis preparata. Vnde & mensa Hebrejs dicitur *משלח*, quasi dicas munus seu donum missum. Panes aut propositionis significant prædicationem Euangelij de Christo. Vt enim panis pascit corpus, ita Euangelion pascit animum. Vt panes in Rep. Israelitica perpetuo fuerunt propositi ante conspectum Domini, ita prædicatione Euangelij perpetuo in orbe terrarum uulganda & inculcanda est. Vt semper quidem panes in mensa propositi fuerunt, subinde tamen singulis sabbatis mutati sunt, ita semper quidem idem Euangelion urgendum est, sed cum uarietas delectet, idem illud Euangelion uarijs modis, figuris & rationibus dicendi explicandum & illustrandum est. Vt thus impositum fuerit panibus in monumentum oblationis Mincha, ita Euangelion debet in nobis excitare spiritum orationis, qua placatio Christi semp in memoria conseruetur, & fides in nobis alatur. Postremo, ut non licebat nisi sacerdotibus uesci panibus propositionis, quemadmodum scribitur Leuit. xxiij. i. Reg. xxi. & Matt. xij. ita quotq; Euangelio Christi fidem adhibent, sanctificantur in sacerdotes, ut fiat participes sacrificij Christi, & habeant placatum patrem in coelis. In mensa igitur & panibus propositionis ita exercuerunt & confirmarunt fidem suam in Christum uenturum, pñ Israelitæ, ut his cerimonia admonerentur non iustitiam operum legis, sed benedictum semen Abrahæ, hoc est, Christum uenturum exatiare animum, & conseruare credentem in uitam æternam. Nobis autem beneficia Christi explicatione harum caerimoniarum ita illustrantur, ut perspicue uideamus Christum eum esse panem, quem quisquis per fidem ederit, uiuat in æternum.

PARABIS ET ACETABVLA AC PHIALAS.)

Pro acetabulis Hebræus habet *קערות*, Græcus *τροβλία*, & significant scutellas seu catinos, quibus panes propositionis super mensam positi fuerunt.

Pro thuribus Hebræus habet *כפות*, Græcus *θυσιας*, coclearia, seu uascula, quibus thus positum fuit super panes propositionis, Leui. xxiiij.

Pro phialis, in Hebræo est *קשות*, in Græco *σπονδεια*.

Pro cyathis *מנקיות*. Quidam inter Hebræos interpretes sentiunt

קשות

קשות & מנקיות fuisse dimidiatos calamos suppositos singulis panibus propositionis, ut aere inter illos ingresso, conseruarentur panes a mucore, ac furculas instar palorum in terra defixas, & supra mensam eleuatas, ut continerent calamos, ne pondere panis frangerentur: Sed huius rei fides sit penes autores Nam cum Chaldaeus pro מנקיות reposuerit מכילות, quod significat modium seu mensuram Ephraim, probabilius est קשות fuisse cantharos, quibus hauriebatur aqua ad coquendos panes propositionis. מנקיות autem uascula certae mensurae, quibus continebatur farina, ex qua panes propositionis cocti sunt. Leuitic. uigesimo quarto.

Admirabitur autem quispiam, qui fiat, quod diuina maiestas demittat sese ad curandas res illas, ut uideatur, uilissimas, & praecipiat, ut praeter mensam, etiam scutellae & cochlearia fiant. Sed nihil temere hic factum existimes. Primum enim Deus uoluit hac munitissimarum rerum cura significare, in instituendo cultu diuino, nihil prorsus, quantumuis uile aut abiectum uideatur, absque certo uerbo Dei agendum esse: Deinde his instrumentis, admonentur Christiani suae quisque uocationis. Sicut enim mensa & panes adumbrant Christum, & Euangelion eius, ita haec instrumenta adumbrant Christianos, & admonent eos, ut unusquisque iuxta modum sui doni conferat operam suam ad illustrandum Christum & praedicandum Euangelion.

FACIES ET CANDELABRVM DVCTILE.)

Candelabri tam opus, quam externus eius usus e textu, si modo in gra^{Candelabri significatio,} matica dictionum intelligentia non aberraueris, satis perspicue nota sunt. Et si enim interpretes non per omnia conueniunt in grammaticae explicatione, in praecipua tamen forma candelabri describenda conueniunt. Habuit enim candelabrum basim & hastile, e quo tres calami seu rami, seu brachia dextorsum, & tres calami sinistrorsum educti erant. Et tam hastile quam calami ornati erant scyphis, amygdali forma habentibus, similiter sphaerulis seu nodis, atque rosis aut germinibus. Externus candelabri usus fuit, ut unusquisque calamus sustineret lampadem suam, ut postea sequitur. Est & significatio eius non obscura. Adumbrat enim hastile Christum, qui est ueri luminis sustentaculum Calami autem significant uniuersitatem Apostolorum, & omnium eorum, qui Christum & Euangelion eius praedicant. Septenarius enim numerus uniuersitatis est. Porro, quod praecipitur, ut calami sint ex ipso candelabro ductiles, nec constituent diuersas partes cum candelabro, illud significat, quod Christus Ioan. xv. ait de Apostolis: Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in uite, sic nec uos nisi in me manseritis &c. Ornamenta autem scyphorum, sphaerularum, & rosarum, sunt tam in Christo, quam

in Apostolis Christi uaria dona spiritus sancti. Vide Paulum i. Corinth. xij. Ex hac legis figura uides non usum duntaxat, uerumetiam necessitatem externi ministerij in Ecclesia. Præterea spiritus confirmat fidem Apostolorum, & concionatorum Euangelij in omnibus aduersis. Cum enim Deus tanto tempore ante reuelationem Euangelij, Apostolos & concionatores Euangelij adumbrarit, perspicue significauit se in omnibus aduersis conseruaturum ipsos, ut munere suo defungi possint.

FACIES ET LVCERNAS SEPTEM.)

Lucernarum
usus.

Lucernarum usus in tabernaculo fuit, ut illustrarent locum, qui erat intra uelum, Num. viij. Significat autem, primum, Christum, qui est lux uera illuminans oem hoïem uenientem in hunc mundum. Deinde significant uerbum Dei seu Euangelion Christi. Psal. cxvij. Lucerna pedibus meis uerbū tuum. Et ij. Pet. i. Habemus firmiorem sermonem propheticum, cui dum attenditis, ceu lucernę apparenti in obscuro loco &c. Postremo significat etiam Apostolos & predicatores Euangelij, de quibus Christus dicit: Vos estis lux mundi. Sed qd est, qd Deus iubet etiam emunctoria & receptacula extinguendorum ellychniorū fieri? Scilicet Deus ista tam abiecta curat? Sed iterū docet Deus hac minutissimarum rerum cura, qd citra præscriptum uerbi Dei in cultu diuino nihil agendum sit. Et consolatur obscuros, & non præclaris donis præditos in Ecclesia. Et si enim quispiā non uersat in summo Apostolorum ordine, tamen non est opera eius tabernaculo inutilis, si saltem inter extrema uasa seu instrumenta tabernaculi locum aliquem obtineat. Admonet etiam Dominus hoc instrumento, ut unusquisq; operam suam conferat, quo pura, perspicua, & tenebris humanarum traditionum non obfuscata doctrina uerbi Dei in Ecclesia conseruetur. Vnde non solum ij qui publice docent Euangelion in ecclesia, uerumetiam qui sacram scripturam de lingua in linguam transferunt, qui obscuras phrasas in scriptura explicant, qui collatis ueterum exemplaribus, scripturam genuinæ suæ lectioni restitunt, optimam & necessariam ecclesiæ operam nauare iudicandi sunt.

CAPVT XXVI.

TABERNACVLVM VERO ITA FACIES.)

Priusq; explicemus significationem tabernaculi, ostendenda erit forma & structura eius. Nam cum non solum iura ciuilia, sed & publica sacra religionis in Israel instituerentur, necesse erat, ut & publicus locus designaretur, in quo sacra peragi possent: Cum autem Israelitis in deserto quadraginta annis errandum, & locus subinde mutandus

tandus esset, non fuit eis integrum, ut in deserto domum fixam & immobilem, pro templo, aut loco sacrorum edificarent. Quare præcepit eis Dñs per Moſen, ut conſtruerent tabernaculum, quod de loco in locum transferri poſſit, quo etiam pro templo, non in deserto tm̄, uerz etiam in terra Canaan tantisper uſi ſunt, dum Salomon ſuum illud memorabile templum edificaret. Habuit igitur hoc ſacræ tabernaculum ſeu tentorium, tres præcipue partes. Prima pars dicta eſt: Sanctum ſanctorum. Et in hanc partem reſoſita eſt arca teſtamenti, cum propitiatorio, ut poſtea ſequitur in hoc cap. & cap. xl. Erat & in hoc loco aureum thuribulum, quemadmodum ſcribitur in epiſtola ad Hebr. capite ix. Et additur, q̄ in hunc locum ſemel tantum quotannis ſolus pontifex ingreſſus ſit, non ſine ſanguine, quem obtulerit pro ſeipſo & pro populi ignorantibz. Vide Leuit. xvi. Secunda tabernaculi pars dicta eſt: Sanctum. Et in hunc locum reſoſita erant, Altare aureum incenſi, menſa panum propoſitionis, & candelabrum aureum. Hæc autem pars, uel quatuor columnis ſuſpenſo, a prima diſtinguebatur. Tertia pars dicta eſt, Atrium, de quo in ſequenti capite. Et in hunc locum reſoſita erant: altare æneum holocauſti, & labrum æneum ſeu lauacræ, ut eſt in cap. xl. Ceterum duæ priores tabernaculi partes fuerunt conſtructæ e tabulis auro obductis, & ornatae ac tectæ decem uenustiſſimis cortinis ſibi inuicem connexis, quibus addita fuerunt adhuc triplicia operimenta, quorum aliud fuit e pilis capraræ, aliud e pellibus arietum, aliud e pellibus taxoræ, ut his opculis tabernaculū ab iniuria imbrium tutum eſſet. Tameſi aut tabernaculum inſtitutum fuerit in populo Iſraelitico ad hunc uſum, ut eſſet certus locus in quo publica ſacra perageretur, tamen habuit ſuam quoq; ſignificationem ſpiritualem. Non in manufacta ſancta (inquit epiſtola ad Heb.) ingreſſus eſt Chriſtus, exemplaria uerorū. Et mox: Lex umbram obtinens futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum. Igitur tabernaculum ea ſignificat, quæ ad Chriſtum & Eccleſiam Chriſti pertinent. Nam q̄ ſanctum in quod ſemper ingreſſi ſunt ſacerdotes, qui ſacrorum ritus peregerunt, a ſancto ſanctorum uelamento ſeparatum fuerit, & q̄ in ſanctum ſanctorum ſolus pontifex quotannis ſemel cum ſanguine introierit, ſignificauit ſpiritus ſanctus, quemadmodum diſerte explicat epiſtola ad Hebræos, nondum manifeſtatam eſſe ſanctorum uiam, ad huc priore tabernaculo conſiſtente. Sacerdotes enim, qui quotidie ſacrificia ſua, in ſancto repetebant, manifeſte hoc ritu indicarunt, q̄ hæc ſacrificia non poſſint iuxta cōſcientiam perfectum reddere cultorem, alioqui ſemel peracta, deſiſſent offerri. Similiter pontifex, qui ſingulis annis eadem ſacrificia in ſancto ſanctorum repetebat, haud obſcure ſignificauit ſacrificia ſua non expurgare peccata, ſed alium eſſe fu-

Tabernaculi
partes

Tabernaculi
uſus.

Hebr. 9.

IN CAPVT XXVI. EXODI

Hebræ. 9.

turum pontificem, qui per maius et perfectius tabernaculum, non manufactum, neq; per sanguinem hircorum aut uitulorum, sed per proprium sanguinem ingressurus sit semel in ipsum coelum, summum Dei tabernaculum, ut appareat in conspectu Dei, & reconciliet nos cum patre. Cæterum, tres tabernaculi partes adumbrant totum corpus Christi, quod è Christo & ecclesia eius constat. In hoc enim Christus, caput est, ueluti sanctum sanctorum. Ecclesia autem, membra sunt, inter quæ alius alio dono præditus est. Ac qui administrant ecclesiã uerbo Euangelij, per sanctũ adumbrantur. Hinc Paulus uocat se ἀποστολὸν Iesu Christi ἰερουεργου̅ντα Euāgelion Dei, Rom. xv. Reliqua turba in Christum credentium, per atrium significatur. Quanquam autem tota ecclesia in tres ordines diuisa sit, omnes tamen unum sunt corpus Christi, quemadmodum & omnes Israelitæ, unus tantum populus Dei erat, etiã si in uarios ordines distributus fuerit. Hæc ut per se uidentur non tam uulgaria quàm ociosa, ita ad usum translata, maximam afferunt consolationem pijs in omnibus afflictionibus eorum, & confirmant fidem. Nam cum spiritus sanctus tot annis ante reuelationem Euangelij adumbrauerit in tabernaculo Ecclesiã, p̄spicue significat iam tum Christũ pro summo sacerdote, pro summo sacrificio, pro remissione peccatorum & iustitia Ecclesiæ ordinatum, ac membra Ecclesiæ Deo curæ fuisse, priusquam nascerentur, adeoq; id plane hac figura exprimitur, quod Dauid Psalm. trigesimo octauo disertis uerbis explicat. Imperfectum meum uiderunt oculi tui. Et in libro tuo omnes scribentur, dies formabuntur, & nemo in eis. Et Paulus Ephe. primo. Elegit nos in ipso antequam iacerentur fundamenta mundi. Cum autem deus tanta cura credentes in Christum, (qui soli sunt uera Ecclesiæ membra) nondum natos complexus sit, quomodo dereliqueret eos in afflictionibus, aut etiam morte, nunc non solum natos uerum etiam renatos, & ipsum ut patrem inuocantes? Vides ergo quanto solatio sint pijs, umbræ legis.

DECEM CORTINAS DE BYSSO.)

Pro cortinis Hebræus habet קריתים. Græcus ἀνλάϊας. Et ubi nos habemus uariatas opere plumario facies, Hebræus legit, facies in eis Cherubim, opere artificioso, seu acu pictorio.

Pro ansulis, Hebræis est ללאות, Græcis ἀγκύλας, quæ sunt laqueoli rotundi. Chaldæus transtulit עזרביי colligacula.

Pro circulis Hebræus habet קרסים, Græcus κείκους fibulas, seu uncinos, quibus laqueoli continebant, ut cortinæ sibijnuicẽ iungerentur.

Cortinarum
usus.

Decem igitur cortinæ e bysso, hyacintho, & alijs rebus confectæ & sibijnuicem connexæ, paratæ sunt non tam ad operimentum quàm ornamentum tabernaculi, & significant uaria uirtutum genera in Christo

Christo & Ecclesia, quæ genera etsi diuersa sunt, coniunguntur ta- Coloss. 3.
men in Ecclesia per charitatem, quæ est, ut Paulus ait, uinculum per-
fectionis. Nam connexus cortinarum concionatur nobis communio-
nem sanctorum in Ecclesia

FACIES ET SAGA CILICINA VNDECIM.)

Pro sagis eadem est dictio apud Hebræos, quæ supra pro cortinis
רריעות. Pro cilicinis habet Hebræus צרעו caprarum, aut de pilis capra-
rum. Fuerunt autem hæ undecim cortinæ paratæ in hunc usum, ut es-
sent tectum tabernaculi, quibus adhuc duo genera operimentorum inie-
cta sunt, de quibus mox sequitur, alterum de pellibus arietum ruffis,
alterum de pellibus taxorum, pro quo nostra translatio habet, de pel-
libus hyacinthinis. Significant autem ecclesiam aduersus insultum o-
mnium afflictionum, probe in Christo munitam esse. Quare cum Sa-
tan per ministros suos aduersus uel totam Ecclesiam, uel unum tantum
membrum Ecclesiæ ita sequit, ut uideatur πανολεθρία imminere, confir-
memus fidem ex hoc loco, & cogitemus tabernaculum triplici, aut eti-
am quadruplici tecto ita munitum, ut nulla quantumuis ualida uentor-
um aut imbrum tempestate concuti aut dissipari queat.

FACIES ET TABVLAS STANTES.)

Pro tabulis Hebræus habet פדו, Græcus σύλους, asses, seu co-
lumnulas. Pro incastraturis Hebræus habet ידו manus, Græcus ἀγκυ-
νίσκου. Fuerunt autem duo prominentes quasi clauis aut pedes in infe-
riori parte tabulæ ex ferratura relictis, qui basibus immixti continebant
tabulam erectam. Et quod nostra translatio habet: quibus tabula alte-
ri tabulæ connectatur, Hebræus legit: Unusquisque pes sit gradatim
ab altero distinctus. Pro basibus est ידו, sustentacula & fundamen-
ta. Hinc Hebræis Dominus, Adonai dicitur, sicut Græcis, Rex,
βασιλεύς, quod sit basis & sustentaculum populi.

Tabulæ igitur basibus suis immixtæ constituerunt parietes taber-
naculi, ut firmiter constarent, & tabernaculum a uentis non concutere
tur. Quid ergo: num Deus tantum propter externum illud tabernacu-
lum tam diligenter prescripsit Mosi structuram tabularum? & num
cultus Dei ad iustitiam perfecte absolutus fuit, postquam tabulæ ere-
ctæ, tabernaculum constructum, & sacrificia peracta sunt? Minime o-
mnium. Deus enim non tam propter externum & Mosaicum usum, tan-
ta diligentia formam & erectionem tabularum in tabernaculo prescri-
psit, sed multo magis propter ueræ & spirituales usum, uidelicet, ut
non tam Israelitæ quæ nos ex harum tabularum sacramento confirme-
mus fidem nostram in omnibus aduersis, & sciamus ueram Ecclesiam
tutum nobis asyllum esse, in omnibus afflictionibus. Hæ enim tabu-
læ cum basibus suis, significant membra Ecclesiæ in Christo firma.

Tabularum
usus in taber-
naculo.

fixa, adeoq; aduersus omnia mala tuta esse. Persuasum mihi habeo (inquit Paulus) q; neq; mors, neq; uita neq; angeli, neq; principatus neq; potestates, neq; instantia, neq; futura, neq; altitudo neq; profunditas, neq; ulla creatura alia poterit nos separare a dilectiōe Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Vnde & Christus ait: Oues meæ uocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego uitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, nec rapiet eas quisquam de manu mea. Et i. Timoth. iij. Paulus uocat ecclesiam columnam & stabilimentum ueritatis, hoc est, quæ uere in Christo stabilita, & aduersus omnia malorum genera firmata sit. Jam dicuntur et Apostoli, columnæ Ecclesiæ, quod doctrina eorum Ecclesia suffulta sit. Et Ecclesia dicitur esse ædificata super petram, hoc est, ministerium Apostolorum, aduersus quam petram, ne portæ quidem inferi preualere queant: Dicuntur & qui uis credentes in Christum, & per fidem Satanam superantes, columnæ Ecclesiæ. Apocal. iij. Qui uicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.

Gal. 2.
Ecclesiæ columna.

FACIES ET VECTES DE LIGNIS SETHIM.)

Vectium significatio.

Vectes, quibus continentur tabulæ, adumbrant, quemadmodum & supra meminimus, prædicationem Euangelij de Christo. Hac enim continentur membra Ecclesiæ in unitate fidei & charitatis. Ephe. iij. Et ex his uectibus iterum uidemus, quantæ necessitatis sit usus Ecclesiastici ministerij, seu prædicationis Euangelij in Ecclesia.

FACIES ET VELVM DE HYACINTHO.)

Ueli usus & significatio.

Huius ueli externus usus fuit, ut distingueret in tabernaculo Sanctum sanctorum a Sancto. Significauit autem, q; eo tempore, quo externum fuit tabernaculum, Christus nondum aduenisset, nec sanctorum uia patefacta esset. Sic enim inquit epistola ad Hebræos cap. ix. Post secundum uelum erat tabernaculum, quod uocatur sanctum sanctorum. Et mox: Illud significante spiritu sancto, nondum manifestatam esse sanctorum uiam adhuc priore tabernaculo consistente &c. Postq; autem uenit Christus, & expiauit morte sua peccata nostra, tunc uelum templi, quemadmodum Matthæus ait, scissum est a summo usq; deorsum, & Euangelion sparsum est in totum orbem terrarum, quo uia ad cælum ita patefacta est, ut iam etiam pueris ac pene infantibus perspicuum sit, Iesum Christum esse iustitiam & redemptionem nostram.

PONES ET PROPICIATORIUM SVPER ARCAM.)

Arca cum propiciatorio ponitur intra uelum, in sanctum sanctorum, partim q; consistente adhuc tabernaculo, ut paulo ante dictum est, uia sanctorum nondum fuerit manifestata, partim quod maiestas propiciationis soli Christo competat. Propiciatorium enim & Sanctum sanctorum adumbrare Christum, supra diximus.

MENSA

MENSAMQUE EXTRA VELVM &c.

Mensam & candelabræ significare Christum & prædicationem *Mensa signi-
ficatio* Euangelij de Christo antea ostendimus. Ponuntur ergo extra uelum, in locum, qui dicebatur Sanctum, ut significetur, q̄ etsi cōsistente adhuc tabernaculo, Christus nōdum fuit orbi terrarum manifestatus, semper tñ extiterint promissioēs de semine Abraę & Dauid, hoc est, de Christo, in Israel, quę ueluti lampades luxerunt non solum in cordibus p̄iorum Israelitarum, uer̄etiam aliquo modo inter gentes, ad quas Israelitæ dispersi fuerunt, ut quotquot eas per spiritum sanctum fide exceperint, ad ueram salutem conseruati & perducti sint.

FACIES ET TENTORIVM (SEV OPERIMENTVM) IN INTROITV TABERNACVLI.)

Alterum uelum, quod suspensum est ante locum tabernaculi, qui dicebatur, Sanctum, idem plane significat quod prius illud ante Sanctum sanctorum suspensum. Quanq̄ enim extiterint promissiones de Christo, consistente adhuc tabernaculo, tamen quantum ad exter- *Rom4.13* nam & publicam prædicationem attinet, ita obscuræ fuerunt, ut necesse habuerint luce Euangelij illustrari, ac n̄ quidem, qui promissionibus de Christo fidem adhibuerunt, salutem consecuti sunt, nunc autem propius adest nobis salus, quemadmodum Paulus ait, q̄ tum cum credebamus, uelo adhuc ad introitum tabernaculi suspensio.

CAPVT XXVII.

FACIES ET ALTARE DE LIGNIS SETHIM.)

In tabernaculo duo fuerunt altaria constituta. Alterum, thymi *Altaria taber-
naculi.* amatis, aureum, quod positum est ante uelum, in locum, qui dictus est Sanctum, de quo altari cap. xxx. Alterum holocausti, æneum, quod est positum in atrium, de quo in hoc capite. Hoc igitur altare holocausti, quod ad formam eius attinet, quadratum fuit, & in quatuor angulis cornutum. Habuit enim in unoquouis angulo columnulam, quam scriptura cornu uocat. Præterea, circumdatū fuit cancellis in modum retis ænei, ab inferiori parte usq̄ ad dimidiam altaris altitudinem, fortassis ut hi cancelli non tã ornarent altare, q̄ ut continerent annulos seu circulos, quibus, immisis uectibus, altare de loco in locum transferreretur. Nam ubi nos habemus: Quos pones subter arulā altaris, eritq̄ craticula usq̄ ad altaris medium, Hebręus legit: Pones ipsam (craticulam) subter ambitum seu circuitum altaris, deorsum, ut sit rete usq̄ ad dimidium altaris. Fuit autem hoc altare intra tabulas gre obductas, uacuum & inang, ut quoties usus postularet, terra impleretur, ac super eam holocausta incenderentur. Quanquam sint,

qui, quod ad hanc partem attinet, aliam altaris formam intra tabulas describant. Sed terra fuisse suo tempore impletum, cum multa alia tū & illud indicat, quod supra dictum est cap. xx. Altare de terra facies mihi, & sacrificabis super illud holocausta tua. Reliqua de materia & forma huius altaris e textu perspicua sunt. Nos usum eius tam externū q̄ spiritualement pstringemus. Hoc em̄ altare institutū fuit, ut singulis diebus duo agni in eo offerretur, alter mane, alter uesperis. De quo iugi sacrificio uide infra ca. xxix. Ad hæc institutum fuit, ut in eo etiam reliqua holocausta & uictimæ, de quibus fit mētio in Leuitico, offerrentur. Sed hæc reuera non fuerunt, nisi conciones de Christo, & ijs, qui in Christum credunt. Nam altare adumbrasse Christum, perspicue significat epistola ad Hebr. cap. xij. Habemus, inquit, altare, de quo non est fas edere his qui seruiunt tabernaculo. Et cum altare Leuiticum terra impletum fuit, ad sustinenda holocausta, significatum est, Christum assumpturum terrenum seu humanum corpus, quo caritas fieret afflictionum & passionum. Sed & ipsa sacrificia aut holocausta, Christum & sacrificium eius significarunt, ut perspicue uideas, etiam ipsa legis opera docuisse, q̄ propter solum Christum per fidem iustificemur & saluemur, tantum abest, ut opera legis sint merita, quibus expientur peccata, & comparetur æterna fœlicitas. Nam q̄ iuge sacrificium quotidie super altare oblatum sit, partim significat sacrificia legis non expiare peccata, alioqui eadem toties nō essent repetita, quemadmodum ad Heb. scribitur, partim significat Christi sacrificium ita perfectum esse, ut etsi extrinsecus in oculis hoim̄ semel peractū & consummatū est, uirtus tamen ius perpetuo duret. Vnde Malach. i. dicit. In oī loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda. Quod certe non est dictum de sacrificio Missæ, cuius merito putant hypocritæ se consequi remissionem peccatorum, quæ est mera blasphemia in sanguinem Christi. Sed dictum est de prædicatione Euangelij, qua in toto orbe terrarū reuelatur uirtus ueræ & unici sacrificij semel per Christum peracti. Huc faciunt etiam cornua altaris, quæ erant colummulæ in quatuor extremitatibus altaris erectæ, & quæ sacrificij sanguine aspergebantur. Nam cum spargere sanguinem sit prædicare Euangelion de sanguine Christi pro peccatis nostris effuso, significatum est hoc ritu, uirtutem sanguinis Christi spargendam esse in totū orbem terrarū per prædicationē Euangelij. Sed quia hi qui credunt in Christū, fiunt per fidem membra Christi, ideo præter Christum, sacrificia etiā Christianos, actā actiones q̄ passionem eorū significant. Nihil em̄ uel operū uel afflictionum Deo uere gratum est, nisi offeratur super altare diuinitus ordinatū, hoc est, nisi in fide Christi, uel opera fiant, uel afflictiones sufferantur. Vnde Roma. xij. corpora nostra

*Altaris usus**Altare umbra Christi.**Sacrificia significant Christum**Altaris cornua,*

hostia uocantur hostiæ. Et Philip. iij. dona Apostolis data dicuntur hostia accepta & Deo grata. Et Heb. xij. confessio et gratiarum actio, similiter beneficentia & liberalitas dicuntur hostiæ & uictimæ. Ac Psal. I. Sacrificium Deo spiritus contribulatus dicitur. Hæc omnia tunc Deo uere grata sunt, cum in fide fiant, aut ferantur. In fide autem fieri dicitur, non id simpliciter, quod fit secundum externum sonum uerbi aut mandati Dei, quemadmodum hypocritæ multa bona opera faciunt, etiam ea, quæ uerbo Domini præcepta sunt, sed quod fit præcepta gratuita remissione peccatorum propter Christum.

FACIESQUE IN VSVS EIVS LEBETES.)

Pro lebetibus Hebræus habet *סירור*, hoc est, ollas. Et harum usus in tabernaculo fuit, ut exciperent cineres holocausti ab altari. Pro forcipibus est *יעים*, quæ sunt scopæ aut palæ, quibus cinis ab altari purgatur. *יעה* enim purgare significat, Post *יעים* sequitur *מזרקות* cuius tralatio in latino & uulgato textu omissa est. Significat autem pelues aut Phialas, quibus excipiebatur cinis ab altari, & e quibus effundebatur in ollas. Pro fuscinulis est *מזלקות*, quod significat tridentes, instrumenta ferrea, quibus uel ligna uel carbones, aut in igne cõponebant, aut de igne altaris extrahebantur. Pro ignium receptaculis Hebræus habet *מזרות*, quæ sunt instrumenta aut uasa in quibus accendebatur aut sustentabatur ignis, seu prunæ. Cæterum hæc altaris instrumenta, ut singula habuerunt suum externum usum, ita habent etiam usum spiritualem. Significant enim ministros Ecclesiæ, qui diligenti sua opera & labore conseruant puritatem doctrinæ Euangelicæ, purgant Ecclesiam a sordibus in carne relictis, ac fouent in cordibus piorum ignem spiritus sancti, per uerbum Euangelij.

Altaris instrumenta

FACIES ET ATRIVM TABERNACVLI IN CVIVS AVSTRALI PLAGA.)

Supra constituimus tres tabernaculi partes, Sanctum sanctorum, Sanctum, & Atrium. Cum igitur duæ priores partes absolutæ sint, scriptura agit nunc de tertia parte, uidelicet de atrio, qua in parte collocatum est altare æneum holocausti & lauacrum.

Pro tentorijs Hebræus habet *קלעים*, quod Chaldeus interpretatus est *סרירי*, retia. Et Græcus *isia*, uela. Apparet ergo *קלעים* fuisse tentoria seu cortinas, quæ non fuerunt cõtextæ ad modum earum cortinarum, de quibus supra dictum est, sed foraminibus in modum retis distinctæ, ut per ea conspici potuerit, quicquid in atrio ageretur.

Pro capitibus seu capitellis, in Hebræo habetur *קרים*, quod alij interpretantur uncinos aut clauos, quibus suspensæ sunt cortinæ ad columnas, alij autem rotunda capitella, quæ columnis ornatus gratia imposita fuerunt.

Pro cælaturis, Hebræus habet חֲשׂוּקִים, hoc est, cælatas cincturas. Sentiunt autem Hebræi חֲשׂוּקִים, in columnis fuisse circulares ambitus (quales solent esse circuli doliæres) columnis ornatus gratia adhibitos. Vnde & ex argento facti sunt.

Vbi autem uulgata tralatio habet: Omnes columnæ atrij per circuitum uestite erant argenteis laminis &c. ibi iuxta hebraicam ueritatem legendum est: Omnes columnæ atrij per circuitum habebunt circulos argenteos, capitella argentea, & bases æneas.

Atrium quid significet.

Cæterum in atrio adumbrauit spiritus sanctus uniuersitatem Ecclesiæ. Sic enim ipse exponit Psalm. lxiij. Beatus quem elegisti & assumpsisti, inhabitabit in atrijs tuis, hoc est. membrum erit ecclesie tue. Et huc conueniunt, quæ hoc loco & alias de atrio scribuntur. Primum enim, Atrium fuit multo longius & latius reliquis duabus partibus tabernaculi. In longitudine, inquit, occupabit atrium cubitos centum, In latitudine quinquaginta. Nam cum Euangelion post ascensum Christi in cœlum, longe lateq; sparsum sit, ecclesia ita dilatata est, ut

Electi pauci

si enim pauci dicantur electi, & angusta sit uia, quæ abducit ad uitam, ac pauci sint, qui inueniant eam, si conferantur cum multitudine impiorum ac impenitentium hominum, tamen si ecclesiam Christi per se consideres, tanta est multitudo electorum, ut superent numerum arenæ maris, & stellarum cœli. Suspice (inquit Dominus ad Abraamum) cœlum, & numera stellas, si potes. Sic erit semen tuum. Quod certe

Electi multi.

non tam de externa gente Abrahæ dicitur, quàm de credentibus in Christum, qui sunt ueri filij Abrahæ, intelligendum est. Et Esa. liij. de ecclesie multitudine dicitur: Lauda sterilibus quæ non paris, decanta laudem & hinni, quæ non pariebas, quoniam multi filij desertæ magis quàm eius quæ habet uirum &c. Et ca. ix. Leua in circuitu oculos tuos, et uide, omnes isti congregati sunt, uenerunt tibi. Filij tui de longe ueniunt, & filia tuæ de latere surgent. Tunc uidebis & afflues, mirabitur & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium uenerit tibi &c. Idem significatur in Apocalypsi capite septimo. Audiui numerum signatorum, centum quadraginta quatuor millia signati ex omni tribu filiorum Israel. Et mox: Post hec uidi, & ecce turba multa, quam nemo dinumerare poterat, ex omnibus gentibus & populis & linguis, statues ante thronum &c. Cognitio autem huius rei conducit nobis partim ad timorem Dei, partim ad confirmandam fidem. Nam, qui ita prefracti animi est, ut posthabita & cotempta uera pietate, polliceatur sibi foelicitatem propter hypocrisim, & externam tantum pietatis speciem, huic recte & commode illud proponit. Multi uocati, pauci uero electi, ut ex hoc discat Deum timere,

timere, & ueram pietatis uirtutem sectari. Qui autem tantæ est pusillanimitatis, ut propter paucitatem electorum non audeat locum quendam inter eos sperare, is confirmet fidem suam ex forma atrij, & meminerit uaticiniorum Prophetarum, de latitudine Ecclesiæ, adeoque inculcet sibi, quod Christus dicit. Filius hominis uenit querere & seruire quod perierat, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Et Paulus: Concluserit Deus omnes sub incredulitate, ut omnium miseretur. Deinde atrium fuit quidem circumseptum ^{Ecclesiæ mysteria uulgata} cortinis, sed ita, ut habuerit satis amplum ostium, per quod homines in atrium ingrederentur, cortinæ quoque, ut quidam uolunt, ita contentæ fuerint, ut habuerint foramina, quibus ea, quæ in atrio agebantur, conspici potuerint. Quibus rebus spiritus sanctus significauit, ecclesiæ mysteria, seu sacra, non talia esse, qualia sunt in Eleusine Cereis, quæ non communicabantur peregrinis, aut in Coe lunonis, a quibus arcebantur serui, sed quæ uulgata sunt in totum orbem terrarum. Et quanquam publice impij et scelerati arceantur a participatione sacramentorum in ecclesia, oibus tamen respicientibus patet ianua Ecclesiæ ut cuiuscumque ^{Ecclesiæ ianua omnibus aperta.} libet, ingredi, et oibus ecclesiæ bonis frui liceat. Adhuc in atrio positum est altare holocausti & lauacri, quo sacerdotes sordes suas abluebant. Hoc significat in Ecclesia esse baptismum, quo abluuntur per Christum sordes peccatorum, esse quoque predicationem Euangelij de Christo, qui obtulit seipsum tanquam holocaustum pro peccatis nostris. Atque hæc indiscriminatim oibus ita proponuntur, ut unicuique liceat participari eorum fieri. Non enim est personarum respectus apud Deum, ^{Fidei in Christum concio etiam in lege.} sed in quauis gente, qui timet ipsum & operatur iusticiam, is acceptus est illi. Vides autem iterum ex his figuris, quod nec in lege alia fuerit uera iusticia, quam ea, quæ est in Christo per fidem, & eam esse ueram Ecclesiam, quæ Christum per fidem agnoscit.

PRAECIPE FILIIS ISRAEL UT AFFERANT TIBI OLEVM.)

Hebraei inchoant hoc loco nouum Sedar, et coniungunt hanc pericopen cum sequentibus de uestitu sacerdotali, propterea quod quæ hoc loco de preparatione lampadum dicuntur, pertinent etiam ad officium summi sacerdotis. Fit autem hic sermo de ijs lampadibus seu lucernis, quarum candelabrum supra cap. xxv. descriptum est. Ac de eadem re, hoc est, lucernarum preparatione, uide etiam Leuit. xxiiij. Cæterum, quod dicitur: Parabunt eam Aaron & filij eius a uespera usque mane coram Domino, alij sentiunt lucernas uespere accensas, luxisse tantum noctu usque ad mane, postea autem interdium extinctas esse. Alij sentiunt, etiam interdium luxisse, & summum sacerdotem necesse habuisse, tam uespere quam mane lampades preparare, ut semper noctu diuque in conspectu

Tabernaculū testimonij, publica, parochia in Israel.
 etu Dei lucerēt. Deinde ubi nos habemus: in tabernaculo testimonij,
 Hebræus legit *בְּהַל מוֹעֵד*, hoc est, In tabernaculo congregationis seu
 parochiæ. Nam *יָעַר*, à quo descendit *מוֹעֵד* non tam testificari, ac pa-
 cisci, quam certum tempus præscribere, certo tempore conuenire, ac
 solenniter congregari significat. Tabernaculum igitur uocatur *מוֹעֵד*,
 quod Israelitę necesse habuerint, ad eum locum, in quo erat fixum ta-
 bernaculum, & constituta arca propiciatorię, certis tēporibus, tanq̄ ad
 publicam, ut uocant, parochiam conuenire, festa celebrare, uerbū Dei
 audire, adeoq̄ legitima sua sacra facere. In Rep. enim Israelitica non e-
 rat alius locus in quo ordinarię licebat publica sacra facere, q̄ in eo lo-
 co, in quo arca propiciatorię posita erat. Deut. xij

Oleum signi- ficat spiritum sanctum Aheron signi- ficat Christi.
 Cum igitur Dominus præcipiat Mosi, ut iubeat Aheronem & fi-
 lios eius sumere oleum purissimum, & parare lampades, ut semper a
 uespera usq̄ ad mane coram Domino luceant, significat, spiritum san-
 ctum necessarium esse ad incrementum prædicationis Euangelij, &
 solum Christum esse spiritus sancti datorē, quantum quidem ad au-
 toritatem & magisterium attinet. Nam lampades seu lucernas sig-
 nificare prædicationem Euangelij, supra ostendimus. Oleum autem
 notissima figura adumbrat spiritum sanctum. Et Aheron, ac summi
 pontifices, qui ab Aherone descendunt, significant Christum, quem
 admodum testatur epistola ad Hebræos cap. v. Vnde sicut lucernæ
 non pergunt lucere, nisi oleo subinde infuso foueantur, idq̄ a summo
 sacerdote, ita Euangelion non fert fructum, nisi Christus adhibeat spi-
 ritum sanctum suum. Ego plantauī, (inquit Paulus) Apollo rigauit,
 sed Deus dedit incrementum. Et aliās: Estis epistola Christi, submini-
 strata a nobis, inscripta non atramento, sed spiritu Dei uiuentis. Qua-
 re, in auditu Euangelij inuocandus est Dominus Deus noster, ut det
 nobis spiritum sanctum suum propter Iesum Christum, quo non tam
 Euangelion audiamus, q̄ incrementa quoq̄ eius concipiamus.

CAPVT XXVIII.

APPLICA QVOQVE AD TE AHERONEM FRATREM TVVM.)

Sacerdotij in- stitutio in Is- rael. Aheronis fa- milia in sacer- dotium desig- natur
 Administratio sacrorum, quæ in tabernaculo diuinitus instituto
 peragebantur, requirebat non solum inanima quędam uasa seu instru-
 menta, quę antea commemorata sunt, uerum etiam legitimum sacerdo-
 tium. Quare, cum supra descripta sint tabernaculum et instrumenta e-
 ius, nunc describitur institutio & consecratio sacerdotum, ut essent,
 qui sacra publico nomine rite facerent. Ac primum, Aheron & fami-
 lia eius, designantur ad functionem & ministerium summi sacerdotij
 in Israel.

in Israel. Atque hoc quidem antea aliqua ex parte diuinitus significatum est, cum Aheron adhibitus fuit Mosi, ut esset os eius, & pro ipso loqueretur ad populum. Postea autem confirmatum est manifestis miraculis, non solum quod uirga Aheronis floruit, Nume. xvij. sed etiam, quod post consecrationem eius in sacerdotium ignis de caelo descendit, & deuorauit holocaustum & adipem, qui erant super altare, Leuit. ix. De *Sacerdotium instituitur, quam ob causam.*

inde, quod in institutione tabernaculi dictum est, idem etiam nunc in institutione sacerdotij obseruandum erit, uidelicet, quod quemadmodum nec tabernaculum, nec sacra eius diuinitus constituta sint, ut his rebus satisfiat iudicio Dei pro peccatis, ac meritis horum operum expiantur peccata, sed ut adumbretur Christus, ac doceantur homines remissionem peccatorum, iustitiam & salutem contingere tamen propter Christum per fidem, ita nunc deligitur Aheron & familia eius ad sacerdotium, non quod Aheron aut posterij eius, tanta sanctitate praediti sint, ut possint meritis suorum operum, siue precum, siue sacrificiorum, siue priuarum uirtutum, peccata hominum expiare, & salutem a Deo impetrare. Si enim humanam naturam consideres, Aheron non minus *Aheron peccator.*

in peccatis conceptus & natus est, quam reliqui homines, ut non commemorem etiam ea peccata, quae iam adultus designauit, & quorum scriptura quoque meminit, sed deligitur ad sacerdotium, ut spiritus sanctus umbra, forma, uestitu, ac ritibus sacrorum eius concionaretur de Christo, ac doceret etiam sub lege praecipuum scopum Euangelij de Christo, uidelicet, quod non nisi propter Christum per fidem consequamur remissionem peccatorum, & uitam aeternam. Nam sacerdotium *Sacerdotium Aheronis Christi adumbravit.*

Aheronis per se non fuisse ita perfectum, ut potuerit homines uere iustificare, sed respexisse, & quasi manu duxisse ad Christum, perspicue testatur epistola ad Heb. cap. v. Nemo, inquit, sibi ipsi usurpat honorem, sed qui uocatur a Deo, quemadmodum & Aheron, ita & Christus non semetipsum glorificauit, ut fieret pontifex, sed is qui dixerat illi: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedec. Et postea cap. vii. Nihil ad perfectionem adduxit lex, uerum erat introductio ad spem potiore, per quam appropinquamus Deo &c. Quare, cum uersamur, in explicatione sacerdotij Aheronis, existimandum est, nos uersari in explicatione ipsissimi Euangelij de Christo, qui cum solus perpetuum habeat sacerdotium, potest etiam nos ad plenum saluos facere. Porro, post delectum Aheronis & posteritatis eius in sacerdotium, primum omnium describitur uestitus sacerdotalis. Facies (inquit) uestitum sanctum Aheroni fratri tuo. Ac haec quidem uestitum, quorum genera mox commemorabuntur, externus usus fuit ad gloriam (inquit) & decorem uidelicet, ut summi sacerdotes ipsi induiti, publica sacra facerent, ac maiestas earum, non tam ipsis sacerdotibus autorita-

tem & dignitatem, q̄ sacris eorum commendationem conciliaret. Verum enim illud est, quod prouerbio iactatur *ἵματα ἀνῆρ.* Vestis uirum facit. Spiritualis autem usus earum fuit, ut magnificentia ipsarum nuducat pios in considerationem maiestatis Christi, & significet eis, quanta ipsis beneficia per Christum contingant, quemadmodum postea in explicatione earum patebit. Cum uerò Christus iam aduenerit ac publice reuelatus sit, non indigemus hoc tempore in sacris facientibus umbratico uestitu, quippe quod per prædicationem & sacramenta Euangelij, beneficia Christi satis perspicue nobis proponantur & explicentur, attamen, quia Paulus dicit, omnia debere in Ecclesia fieri decenter, secundum ordinem, & ad ædificationem, necessario exigitur, ut ministri Ecclesiæ, in ecclesiasticis sacris, eiusmodi uestitu utantur, qui non solum non sit Ecclesiæ offendiculo, uerumetiam addat tam ministro quam ministerio quandam autoritatem, quod certe iudicio moderatorum ingeniorum, uestitus uulgaris, & in quouis siue sacro siue profano negotio indiscriminatim usurpatus, non facit, ut cunq; hi sentiant ac contendant, qui reformationem Ecclesiæ in hoc solo sitam esse putant, ut omnia hæctenus in Ecclesia usitata, sine delectu conculcentur & abrogentur.

*vestium usus
in ecclesiasticis
sacris.*

ET LOQVERIS CVNCTIS SAPIENTIBVS CORDE QVOS REPLEVI SPIRITV.)

Deinde iubet Dominus sacras uestes, iuxta formam ab ipso præscriptam, a mechanicis opificibus confici. Loqueris, inquit, cunctis sapientibus corde, quos repleui spiritu prudentie, ut faciant uestes Aaroni. Hic duo obseruanda ueniunt. Alterum, q̄ non tantum summa illa in terris officia, administratio Reip. ciuilibis, & ministerium prædicationis Euangelij, uerumetiam opificia mechanica, Deo grata sint & accepta. Alterum, q̄ etiam ingenium exercendi opificij mechanici sit donum Dei, et opus spiritus sancti. Atq; hoc quidem donum neminem coram Deo iustificat. Sola enim fides iustificat, propter Christum, attamen confertur a spiritu sancto, ut organon, qua unusquisq; opifex iustitiã fidei exerceat, & fructum iustitię per Christum acceptę proferat.

*Opificia mechanica
commendantur.*

HAEC AVTEM ERVNT VESTIMENTA.)

Post hæc, recensentur genera uestimentorum, de quibus mox ordine tractabitur, & numeratur ac præscribitur materia, ex qua sacre uestes fieri debeant. Accipient, inquit, aurum, & hyacinthum &c. Quid ergo: num si aliud quid siue preciosius siue uilius ad conficiendas uestes accepissent Israelitę, peccassent? Deus ne ista curat, ex qua materia uestimenta fiant? an non respicit ornatum potius animi q̄ corporis? Recte, peccassent tamen Israelitę, si ad conficiendas uestes aliam materiam accepissent, q̄ quæ hoc loco præscribitur. Tametsi enim per se

parum

parum retulerit coram Deo, quo uestium genere corpus tegatur, plurimum tamen refert, uerbum Dei obseruare, & præscriptum Dei seruari. Nō facietis ibi, inquit, quæ nos hic facimus hodie, singuli quod sibi rectum uideatur. Et mox: Quod ego præcipio, hoc tantum facias Domino, nec addas quicquam, nec minuas. Et iterum: Custodite et facite ea, quæ præcepit uobis Dominus Deus noster, non declinabitis neque ad dextram neque ad sinistram. Quare in conficiendis uestibus sacris, non licuit Israelitis, uel tantillum a præscripto uerbi Dei discedere. Quid autē de nobis Christianis dicemus, qui & ipsi agnoscimus *uestium usus in ecclesiasticis sacris.* uerbi Dei autoritatem. Necessē igitur habebimus in sacris nostris nō alijs uestibus uti, quæ quæ hoc loco per uerbum Dei præscribuntur. Minime omnium. Etsi enim agnoscimus uerbum Dei, non tamen agnoscimus iugum legis Mosaicæ. Nam, quæ hoc loco præscripta sunt, ea familiæ Israeliticæ & politicæ Mosaicæ, ante aduentum Christi, Ecclesiæ ex omnibus gentibus congregatæ post aduentum Christi, præscripta sunt: Venit hora, inquit Christus, & nunc est, quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis patrem, sed ueri adoratores adorabunt patrem spiritu ac ueritate. Et Paulus: In Christo Iesu neque circumcisio quicquam ualet, neque præputium. Ergo neque ci bus neque uestitus. Licebit igitur nobis quouis modo in sacris faciendis uestiri: Per se quidem licebit, quia Euangelion Christi, de uestitu Ecclesiastico nihil præcipit. Sed interim diligentissime obseruandum uenit, quod Paulus ait: Omnia (uidelicet ἀδυσπόγητα, de his enim eo loci sermo fit) mihi licent, at non omnia conducunt. Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant. Et alias: Vos in libertatem uocati estis *Libertas Christiani.* fratres, tantum ne libertatem in occasionem detis carni, sed per charitatem seruite uobis inuicem. Tametsi enim nobis Christianis nihil certi neque de cibo neque de uestitu, neque de alijs id genus rebus uerbo Domini diserte præscriptum sit, fides tamen & charitas nobis præscripta sunt, ut ex regula fidei & charitatis omnibus ἀδυσπόγητα utamur, uidelicet, diligenter curandum est, ne ita utamur uestibus, ut polliceamur nobis ex merito operis remissionem peccatorum & iustitiam coram Deo. Hæc enim opinio hypocritarum est, & pugnat cum fide, quæ in solo Christo iustitiam quærit. Est & cauendum, ne lædamus charitatem proximi, ac importuna & affectata usitatarum in Ecclesiasticis sacris uestium mutatione, uel infirmos offendamus, & pedetentim in contemptum religionis, quasi manuducamus, uel extraneos ab auditu doctrinæ Euangelij deterreamus, uel etiam nostros in peruersa opinione confirmemus, qua existimant omnia hæc in ecclesia usitata esse impia, & ut uocant, papistica. Nam in quibus hæc opinio *Hypocritarum duo genera.* a litur & fouetur, in his certe non hypocrisis, sed tantum nomen hypo-

criseos ex reuelatione Euangelij mutatur. Vt enim ueteres hypocrite senserunt obseruationem rerum indifferentium, esse necessariam ad consequendam iustitiam, que opinio aduersa est fidei, in Christo tantum iustitiam coram Deo quaerenti, ita noui hypocrite sentiunt abrogationem earum rerum necessariam esse, que opinio similiter fidei aduersa est, propterea q̄ fides doceat omnia munda esse mūdis. Itaq̄ quantum illi nimis ad dextram, tantum hi nimis ad sinistram declinant, utraq̄ uia aberrantes, quia non in regia uia incedunt.

FACIENT AUTEM SVPERHVMERALE DE AVRO ET HYACINTHO.)

Quarum uestium nomina ante commemorata sunt, earum textura ac forma nunc describitur. Ac primum de superhumerali. Pro superhumerali Hebræus habet **אֶפְרוֹד** Ephod, Græcus *ἑπαιδία*, quod significat superhumerali. Hebræis autem **אֶפְרוֹד** Ephod, est cinctorum seu pallium. **אֶפְרוֹד** enim cingere aut constringere significat. Nec unum tantum genus Ephod fuit. Alterum enim erat Ephod generale, quod uocantur lineum, quo in faciendis sacris non solum sacerdotes & Leuitæ, uerumetiam qui de alijs tribubus erant, utebantur. De sacerdotibus scribitur i. Regum xxij. Trucidauit in die illa octoginta quinque uiros portantes Ephod lineum. De Samuele, qui erat Leuita, habes i. Reg. ij. Samuel administrabat ante faciem Domini puer accinctus Ephod lineo. De Dauide autem, qui erat de tribu Iuda, scribitur ij. Regum vi. Dauid saltabat totis uiribus ante Dominum, et accinctus erat Ephod lineo. Nam de hoc generali Ephod sentiunt scriptores tã Hebræi, q̄ latini, quod fuerit simplex, lineum, & toto candore purissimum. Alterum Ephod fuit personale, quod contextum ex auro, hyacintho, purpura, cocco bis tincto, & bysso retorta, soli summo Sacerdoti in sacris faciendis gestare licuit. Et huius Ephod textura in hoc loco describitur. Iubetur enim confici **אֶפְרוֹד מֵאֵזָוֶה**, hoc est, ut nostra habet translatio, opere *πολυμήτω* ingenioso & artificioso, aut *πολυμίτω* ex multis & uarijs filis contexto. Primum enim, ad conficiendum hoc summum & pontificale Ephod, materia preciosissima sumitur. Facient (inquit) Ephod, de auro, hyacintho, purpura, cocco bis tincto, & bysso retorta. Deinde ita conficitur, ut ab humeris quidem penderat, sed humeris in utroq̄ latere connectatur, quo corpori firmiter incumbat, ac quodammodo corpus constringat. Adhæc circumdatur in extremitatibus cinctura (quam translatio nostra texturã uocat) ex eadem materia, qua totum Ephod, confecta, ut extrema fila Ephod contineantur, & non dissoluantur. Atq̄ hæc est textura Ephod seu superhumeralis. Cōficitur autem in hunc usum, ut in humeris quidem duo lapides onychini auro inclusi, in pectore autem, Hosien seu pectorale iudicij,

Ephod, quid fuerit.

Ephod duplex.

Ephod forma

Ephod usus.

iudicij, quatuor ordines preciosorum lapidum gestans, affigantur. Ac de Hosen postea. Nunc uideamus de lapidibus onychinis. Sumes, inquit, duos lapides onychinos. Pro onychinis Hebræus habet *אֲנִיָּשׁ*, quod etsi Græcus transtulit Smaragdum, alij tamen interpretes constanter transtulerunt, Onychen. Est autem Onyx gemma candorem *onyx gemma* habens, unguis humani similitudine. Vnde & nomen habet. *ὄνυξ* enim unguem significat. Sed quid est, quod duo lapides onychini in humeris Ephod affigantur? Sequitur: Sculpes in eis nomina filiorum Israel. Sex nomina in lapide uno, & sex reliqua in altero, iuxta ordinem natiuitatis eorum. Et mox: Pones in utroque humero Ephod, ut sint lapides pro memoriali Israel, portabitque Aheron nomina eorum coram Domino super utrumque humerum pro memoriali. *Ex onychinorum lapidum usus in sacris uestibus.* his uides has duas gemmas nominibus filiorum Israel insculptas, ab Aherone aut summo pontifice in sacris faciendis, super utroque humerum gestatas fuisse, ut essent *μνημόσυνον*, hoc est, memoriale filiorum Israel. Sed quid? num hoc memoriale propositum fuit Aheroni, ne nominum filiorum Israel obliuisceretur? at his nominibus nihil ipsi notius fuit. Num ergo dicemus hoc memoriale ipsi Domino Deo nostro propositum esse, ne unquam filios Israel obliuioni traderet? at hoc multo absurdius est sentire. Quæ enim hæc esset impudentia, Deum tam obliuiosum iudicare, ut necesse habeat sculptura gemmarum de hominibus admoneri? Spiritus igitur sanctus longe alia meditatur his cærimonijs, quam quæ prima fronte apparent. Ostendimus enim supra, quod Aheron adumbret Christum, solum uerum summum pontificem. Vestimenta autem Aheronis & ornatus eorum, *vestes Aheronis, uirtutes Christi.* significat uarias uirtutes, quibus Christus non solum ad suam maiestatem, uerum etiam ad nostram salutem præditus est. Nomina uero duodecim filiorum Israel significant non tantum eos pios, qui sunt externum semen Abrahæ, aut Iacobi, sed significant uniuersitatem totius ecclesie, iam inde ab initio orbis terrarum, usque ad nouissimum diem. Quare cum Deus iubet Aheronem portare in Ephod super humeros nomina filiorum Israel in duos lapides onychinos insculpta, non facit sibi ipsi tantum obliuioso, memoriale de populo suo, sed uocat uniuersam Ecclesiam ad constantem fidem in Christum. Concionatur enim his gemmis, *Christi cura & sollicitudo pro Ecclesia.* quod Christus tanta cura ecclesiam suam complectatur, ut quemadmodum Aheron gestet in humeris suis nomina filiorum Israel, ita ipse potentia sua, quæ per humeros significatur, uniuersam ecclesiam defendat et conseruet. Huc etiam facit similitudo humani unguis in onyche. Vt enim nomina filiorum Israel, in lapidibus onychinis, tantum in humanis unguibus insculpta erant, ut semper in conspectu essent, aut nunquam obliterari possent, ita Christus descriptos habet, tanquam in

manibus suis omnes pios, nec unquam permittet, ut in aduersis quantum uis grauibus & horribilibus pereant. Sic Mose Deutero. xxxij. dicit Deum portasse super humeros Israelem. Sicut aquila prouocans ad uolandum pullos suos, & super eos uolitans, expandit alas suas, ita deus assumpsit Israelem, & portauit in humeris suis. Sic Esa. cap. xxxix. affirmat Christum totius Ecclesie suae curam agere. Nunquid mulier potest obliuisci infantem suum, ut non misereatur filio ueteri sui. Et si illa obliuiscitur, ego tamen non obliuiscar tui. Et additur: Ecce in manibus tuis descripsi te, muri tui coram oculis meis semper. Et capi. lx. Non erit tibi amplius sol ad lucendum, nec splendor lunae illuminabit te, sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, hoc est, Christus perpetuo aderit Ecclesiae suae, ut eam in omnibus tenebris illuminet, & in omnibus aduersis tueatur. Cum igitur gemmae onychinae in Ephod concionentur nobis potentem curam & sollicitudinem, qua Christus Ecclesiam suam complectitur, inuitemur ad fiduciam in omnibus aduersis, certissima spe concepta, quod sicut Christus nos suscepit in humeros suos, ita nos etiam perlaturus sit per omnia genera afflictionum, adeoque per mortem ipsam, ad aeternam foelicitatem. Sed inquires: Si tam commodus est usus lapidum onychinorum ad confirmandam fidem nostram in afflictionibus, cur externus eorum usus in ecclesia abrogatus est? Ad hoc respondebimus uerbis Pauli ad nostrae propositum accommodatis, quia cum essemus pueri, sub elementis mundi eramus. Nunc autem uenit plenitudo temporis, & emisit Deus filium suum, factum ex muliere, factum legi obnoxium, ut eos qui legi erant obnoxij, redimeret. Nox progressa est, Dies autem appropinquauit. Vnde sicut aduentante sole, & afferente diem mundo, lucernae, quibus in nocte utebamur, extinguuntur, ita postquam aduenit Christus, uerus sol, disiectae sunt umbrae legis. Nam quod in humeris Aheronis per gemmas onychinas suo tempore obscure significatum est, hoc nunc ex Euangelio Christi perspicue & manifeste praedicatur. Vbi, inquit, ego sum, illic & minister meus erit. Et iterum: Si abiero ad parandum uobis locum, iterum ueniam, & assumam uos ad me ipsum, ut ubi sum ego, & uos sitis. Ac rursus: Ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Et alias: Oues meae uocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego uitam aeternam do eis, nec peribunt in aeternum, nec rapiet eas quisquam de manu mea.

RATIONALE QVOQVE IVDICII FACIES.)

Post superhumerales describitur rationale, quod in superhumerali ad pectus summi sacerdotis ligabatur. Pro rationali Hebraeus habet חֹשֶׁן Hofen, quod uertunt, pectorale. Graecus habet περισθίων, ac mox λογιον, aut etiam λογείον, quod uulgata translatio uocat, rationale. Fuit autem

*Ecclesia in
manibus Christi
descripta.*

autem confectum ex eadem materia, qua Ephod seu super humerale, uidelicet, ex auro, hyacintho &c. figura quadrangulum, densitate duplex, ad Ephod relatum. Longitudine & latitudine, mensura palmi: Impletum quatuor ordinibus gemmarum, hoc est, duodecim preciosis lapidibus, qui auro inclusi, singuli singula nomina filiorum Israel insculpta gestabant. Atque ita confectum & exornatum, catenulis & fascijs tam firmiter super humerali affigebatur, ut a se inuicem non ^{Hosen,} potuerint separari. Habes formam ^{Rationale,} Hosen seu pectoralis, quæ satis per ^{Pectorale,} spicue hoc loco describitur, nisi quod interpretes in transferendis & ex ^{idem.} plicandis nominibus duodecim gemmarum non nihil uariant. Sed quia gemmæ in hoc potissimum adhibite fuerunt pectorali, ut singulæ singula nomina duodecim patriarcharum insculpta gestarent, magis elaborandum nobis erit, quid sibi hæc nominum gestatio uelit, quæ sint uniuscuiusque gemmæ figura, natura & uirtutes. Nunc autem perstringamus etiam usum pectoralis in externa religione Mosaicæ ^{Rationalis} politiæ. Portabit (inquit Dominus) Aheron nomina filiorum Israel ^{seu pectora} in Hosen iudicij super pectus suam, quando ingredietur Sanctum, pro ^{lis usus.} memoriali coram Domino semper. Et sequitur: Pones autem in Hosen iudicij doctrinam & ueritatem, ut sint super pectus Aheron. Pro doctrina & ueritate Hebræus habet ^{אורים ותומים}, Vrim & Thumim. Pro quibus Græcus reposuit ^{τὴν δόξωσιν καὶ τὴν ἀλήθειαν.} Quid ^{Vrim et Thumim, quid fuerint,} autem fuerint Vrim & Thumim, admiranda est inter interpretes uarietas. Aben Ezra ingenue affirmat, ignorari hoc tempore, quid fuerit. Rabi Salomon dicit fuisse scripturam nominis tetragrammatici, repositam intra dupliciter Hosen sub ordinibus gemmarum. Supra enim dictum est, Hosen fuisse duplex. Et addit hanc scripturam dictam Vrim & Thumim, quod Dominus per eam clare & perspicue manifestet uerbum seu uoluntatem suam, ac quod loquitur, perficiat etiam. Vrim enim significat illuminationes seu ignes. Thumim autem perfectiones & integritates.

Iosephus lib. iij. cap. xij. de Antiquitatibus; admiranda de Ephod & Hosen scribit: Lapidem (inquit) quos ferre super humerum praedixi Pontificem, erant Sardonyches. Eorum puto naturam amplius omnem ad humanam noticiam uenientium effulgere. Deus ergo cum sacrificijs adesset, alter qui in dextro humero portabatur, micabat, & ex eo splendor ita exilliebat, ut etiam procul positus appareret, cum prius hoc lapidi non inesset. Et hoc utique mirabile est, his tamen, qui sapientiam non adiectione diuinorum operum nanciscuntur. Quod uero mirabilius est dicam. Per duodecim lapides, quos supra pectus pontifex in Hosen, hoc est, rationali sutos portat, uictoriam pugnaturis Deus praenunciabat. Tantus enim splendor fulgebat in eis, cum nondum

exercitus moueretur, ut omni fieret multitudini manifestum, eorum auxilijs adesse Deum. Vnde Græci, qui nostras solennitates honorant, eo q̄ nihil in his contradicere ualeant, Hosien uocant λογιον, hoc est, rationale. Cessauit itaq̄ & Hosien & Sardonyx splendescere an- nis ducentis antequam hæc ego conscriberem, cum Deus moleste ferret transgressiones legum. Hactenus Iosephus. Audiamus etiam, si li- bet, quæ Suidas ex incerto quodam autore refert. Ephod, inquit, nomen est Hebræum, quod si interpreteris, significat manifestatio- nem, aut redemptionem (Vides autem eum autorem, ex quo Suidas hæc exscripsit, Hebræe lingue ignaræ fuisse. Ephod enim longe aliud significat, ut supra indicatum est. Fortassis pro Ephod uoluit dicere Hosien) Erat autem forma eius, textura palmaris, uario artificio instar pectoralis, ex aureis filis confecta. Ac in medio habebat quasi stellam omnino auream. Ex utraq̄ autem parte duos Smaragdos, in quorum unoquoq̄ sculpta erant sex nomina, uidelicet, duodecim noia tribuū Israel. Porro inter Smaragdos continebat lapidem Adamantem. Cū ergo sacerdos sciscitaturus erat de re quadam oraculum a deo, ligabat Ephod in super humerali ad medium pectoris, & subiiciebat manus suas sub ipsum, quas cum retraheret, deprehendebat eas quasi colore quodam infectas. Petebat autem a Deo responsum, defixis in Ephod oculis. Itaq̄ si Deus annuebat ad id quod petebatur, confestim mica- bat lapis Adamas. Si aut negabat, nihil ad pristinum & proprium la- pidis fulgorem accedebat. Quod si Deus uoluit populū obhære gla- dio, lapis reddebatur cruentus. Si autē imminebat mors, lapis fiebat niger. Hactenus Suidas. Sed hæc omnia tam Iosephi, q̄ Suidæ, retu- li magis ne prætermitterem, q̄ quod ex omni parte uera uiderentur. Nam, ut dicam, quod sentio, quod sentio, inquam, alij enim ueriora fortassis, ego tamen quod sentio, Vrim & Thumim, nec fuerunt scri- ptura nominis tetragrammati, nec fuerunt alij lapides duodecim illis gemmis superadditi, sed fuerunt, ut puto, ille ipse duodecim gemmæ, quæ commemoratæ sunt, quemadmodum supra ca. xxv. uocantur lapi- des מלאים, hoc est, plenitudinum, q̄ ipsis impleatur pectorale, & q̄ in usum pectoralis consecrati fuerint, ita nunc uocantur אורי Vrim, propterea quod uelut ignis, in pectore summi sacerdotis, ut est natu- ra tot simul coniunctarum gemmarum, splenduerint, ac perspicuam lucem de se proiecerint: אור enim ignem significat. Vocantur & אורים propterea q̄ fuerint perfecti et integri, nec ullo uitio notati, nam אים significat perfectionem & integritatem. Tamenli enim qui- dam ex Hebræis interpretibus constanter affirmant Vrim & Thu- mim aliud fuisse, q̄ duodecim gemmæ, tamen scriptura ipsa capite xxxix, huius libri p̄spicue indicat, per Vrim & Thumim nihil aliud significari,

Vrim, quid significet. Thumim, quid significet.

significari, quod duodecim gemmas. Cum enim in eo loco commemorasset scriptura (Mosen mandato Dei obsecutum esse, ac posuisse duodecim gemmas in pectorale, iuxta uerbum Domini, ibi ne gry quidem additur de *Vrim & Thumim*, quod certe haudquaquam omissum esset, si *Vrim & Thumim* aliud quam duodecim gemmae fuissent, praesertim cum alia longe minora & abiectiora diligentissime & magna sollicitudine, iuxta praecipitum Dei confecta esse, recenseantur. Adhuc, cum Mose magna religione in describenda sacrae uestium materia & forma uerteretur, quo singula perspicue tradat, profecto paulo pluribus descripsisset *Vrim & Thumim*, si aliud quam duodecim lapides per ea intellexisset. Nam quod dicitur: Pones in Hosien iudicij *Vrim* et *Thumim*, ut sint super pectus Aheronis, non iubet aliquid noui superaddere aut adijcere gemmis, sed est ἀνακεφαλαιωσις, repetitio ac inculcatio eorum, quae prius mandata erant, ut quod minimè pretereundum aut negligendum erat, bis aut ter inculcetur. Portabit (inquit) Aheron nomina filiorum Israel in Hosien iudicij, quando ingredietur Sanctum, pro memoriali coram Domino semper. Atque adeo, ne tu Mose existimes exigui momenti esse, ac oscitante facias, quod praecipio, iterum repeto, inculco & dico: Ponas in Hosien iudicij *Vrim & Thumim*, hoc est, duodecim splendoras & integras gemmas, habentes duodecim nomina filiorum Israel insculpta, ut sint super pectus Aheronis, quando ingredietur coram Domino, & gestabit iudicium filiorum Israel super pectus suum, in conspectu Domini semper. Ex hoc etiam loco uides, quam ob causam Hosien, dicatur Hosien *וַיִּשְׂמֵר* hoc est, iudicij. Alij quidem sentiunt, sic dictum, quod per *Vrim & Thumim* fiat iudicium ac demonstratio, num negotium, de quo oraculum queritur, sit faciendum uel non. Alij, quod gestatio Hosien sit propiciatio diuini iudicij et supplicij, quod pro iniquitatibus inferendum esset. Sed quia *וַיִּשְׂמֵר* non iudicium tantum, uerum etiam ius & statutum significat, & iubentur nomina duodecim tribuum in gemmas insculpi, ut Aheron portet ea pro memoriali super pectus suum coram Domino, manifestum est, pectorale ideo Hosien iudicij uocari, ut haec erimonia significetur, singulas tribus Israel suum habere ius in omnibus promissionibus Dei, quae ad Abraam Isaac & Iacob dicte sunt, uidelicet, quod singulae tribus sint de numero populi Dei, & quod ad unamquamque tribum pertineat suum haereditatis ius, in terra Canaan, in regno & sacerdotio, quaecumque Patriarchis promissa sunt. Vnde dicitur: Aheron portabit iudicium, hoc est, ius filiorum Israel super pectus suum, uidelicet, ut singulae tribus quarum nomina insculpta erant in gemmas, admonerentur sui iuris, quod haberent in promissionibus Dei. Et hic usus, quod ad externam caerimoniam attinet, Mosaicus seu Israeliticus fuit:

Pectorale iudicij, cur dicitur.

De uero enim & spirituali eius usu postea audiemus. Ceterum, quod summi pontifices in Israel ornati Ephod & Hosen ad sciscitanda oracula Dei, præsertim pro magistratu & publica salute populi aliquoties usi fuerint, multa loca scripturæ testificantur. In Numeris enim cap. xxvij. ita scribitur de Iosua: Pro hoc si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulat Dominum. Pro quo iuxta Hebræam ueritatem ita habetur. Stabit ante Eleazarum sacerdotem, qui sciscitetur oraculum pro eo, per iudicium Vrim, hoc est, organo & ornato Hosen, in quo *Oracula Dei* inclusa erant Vrim & Thumim, seu duodecim preciosæ gemmæ. Et *per Ephod et Hosen.* i. Regum xxiij. Cum Dauid rescisset, quod præpararet ei Saul clam matrum, dixit ad Abiathar sacerdotem: Applica Ephod (cui scilicet affixum erat Hosen in quo continebantur Vrim & Thumim. Et cap. xxx. Confortatus est Dauid in Domino Deo suo, & ait ad Abiathar sacerdotem filium Ahimelech: Applica ad me Ephod. Et applicuit Abiathar Ephod ad Dauid, & consuluit Dauid Dominum, uidelicet per Sacerdotem Abiathar, indutum Ephod cum Hosen, iuxta pontificiam consuetudinem. Idem habes cap. xxvij. Cum Saul consulisset Dominum, non respondit ei Dominus, neque per somnia, neque per Vrim, neque per prophetas. Ex his perspicue uides oracula Dei quæ sita esse per Hosen, seu per Vrim & Thumim, quæ erant in Hosen. Quo autem modo Deus responsa sua dederit, aut uoluntatem suam significauerit, siue per angelum, siue per splendorem gemmarum, siue per occultam spiritus sancti reuelationem, siue per aliud quoddam organon, quia nihil certi de hac re, uel in scriptura sacra, uel in scriptis interpretum, quod ego quidem sciam, extat, nec mihi libet diuinare. Contenti igitur simus hac cognitione, quod Deus per Sacerdotem ornatum Hosen indutum, responsa sua dederit. Hoc enim ad explicandum Christum, multum nobis proderit, quemadmodum mox indicabimus. Nam, ut uel tandem ad explicationem ueræ significationis Hosen & gemmarum eius ueniamus, sunt quidam, qui per Hosen intelligunt terram, per duodecim autem lapides, uel circulum Zodiacum, in quo sunt duodecim signa, quæ sol spacio unius anni motu suo proprio peragrat, uel duodecim menses, de qua expositione uide, si libet, Ioseph. lib. iij. de Antiqui. cap. xi. & Hieronymum de Vestitu sacerdotali ad Fabiolam. Sed sentiendum est spiritum sanctum uestitu & ornato sacerdotali non concionatum esse astronomica, quæ in suo ordine suam dignitatem tum utilitatem habent, sed concionatum esse uere spiritualia, quæ continent utilitatem perpetuæ salutis. Quod igitur Ephod & duo lapides onychini significauerunt, hoc idem significant Hosen & duodecim gemmæ in pectore Aheronis, uidelicet, quod sicut duodecim nomina filiorum Israel in gemmis insculpta, ad pectus Aheronis affixa fuerunt.

Lapides in Hosen, quid significauerit

fuerunt, ita Christus non tantum gestat ecclesiam in humeris suis, hoc est, potentia sua, uerum etiam gestat eam in corde, in animo & pectore, hoc est, complectitur eam prouidentia, dilectione, & dulcissimis quibusque cordis affectibus. Elegit nos (inquit Paulus) in ipso, ante quam iacerentur fundamenta mundi. Et Christus: Ego sum, inquit, pastor ille bonus, & cognosco oues meas, & uoco eas nominatim, ac pono animam meam pro ouibus. Et iterum: Hoc est praeceptum meum, ut diligatis uos inuicem, sicut dilexi uos. Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut quis animam suam ponat pro amicis. Sexcenta sunt loca scripturae, quae testantur, quanto amore, quanto ardore, Christus ecclesiam, sponsam suam, complectatur, ac uelut in animo suo insculptam, secum perpetuo circumferat. Aptissime autem fit, quod praeter lapides supra humeros, ornatur Aheron etiam lapidibus in pectore. Humeri enim potentiam, Pectus autem fauorem & charitatem significant. Iam potentia sine fauore, tyrannis est & perditio. Fauor autem seu charitas sine potentia, inefficax est. In Christo igitur coniungitur potentia & fauor: erga Ecclesiam, ut eam iuuare possit quantum uelit, & uelit quantum possit. Quare qui pius est, & patitur aduersa, bene confidat. Aduersa enim nihil iuris habent in Christum, uictorem mortis & omnium afflictionum. Igitur nec quicquam iuris in piuum animo Christi insculptum, habere possunt. Qui autem impius est, & affigit pius, timeat iudicium Dei & respiscat. Quod enim mali inferatur pio, hoc inferatur animo Christi. Quis autem impune ferret, Christo regi caeli & terrae mala intentans? Ceterum, quo candor, charitas, cura & sollicitudo Christi pro Ecclesia sua, & singulis membris eius magis elucescat, etiam circumstantiae Hosien seu pectoralis excutiendae sunt. Primum enim spiritus sanctus non fuit contentus, ut Aheron nomina Israeliticorum Patriarcharum gestet in duobus lapidibus onychinis, in Ephod, super humeros, sed exigit nunc, ut eadem nomina gestentur etiam in duodecim gemmis Hosien seu pectoralis, nimirum, ut quod de cura Christi pro Ecclesia sua ante in duobus lapidibus significatum est, hoc nunc in duodecim fortius confirmetur. Nam, quem admodum spiritus sanctus in praenuncianda fertilitate & sterilitate Aegypti, non fuit contentus hoc significare regi uno tantum somnio bouum, sed ut, quod significaret, ratum firmumque comprobaret, addit etiam alterum somnium spicarum, ita in explicanda charitate & sollicitudine Christi pro Ecclesia sua, non uoluit Aheronem, Ephod tantum & duobus lapidibus, uerum etiam Hosien & duodecim lapidibus uestiri ac ornari, ut his duabus figuris certitudo atque firmitas significationis constaret. Deinde, quod uoluit, ut Hosien catenulis & fasciisque firmissime cum Ephod ad pectus Aheronis alligaretur, & ut nomina

tribuum non in materiam mollem et deletioni obnoxiam, sed in durissimas gemmas insculpta super pectus gestarentur, manifeste explicuit, ecclesiam aīo Christi ita alligatam & insculptam esse, ut, quem admodum Paulus ait, neq; mors, neq; uita, neq; angeli, neq; principatus, neq; potestates, neq; instantia, neq; futura, neq; altitudo neq; profunditas, neq; ulla creatura alia poterit Ecclesiā separare ab ea dilectione, qua Christus ipsam complectitur. Adhuc, q̄ non tm̄ duo lapides in Hofen, sicut in Ephod, sed duodecim imponantur, quorū singuli singula nomina tribuum insculpta continent, cum in Ephod singuli lapides, sex noīa gestauerint, non tam iucunde q̄ utiliter medetur imbecillitati conscientiae piorum, presertim eorum, qui contemptu et neglectione in hoc seculo laborant. Tametsi enim uniuersalia promissa Dei, de suo fauore, de remissione peccatorū, de liberatione ex omnibus afflictionibus & morte, deq; uita & foelicitate aeterna publice uulgentur, tamen conscientia tam tenera, tam imbecillis, tam formidolosa est, ut uix audeat tanta promissa agnoscere, sed existimet ea, ad nescio quos, aut sanctos aut claros aut potētes ac nobiles pertinere potius, q̄ ad se, hominem triobolarem, & omnibus miseriarum generibus oppressum. Huic igitur imbecillitati medetur hoc loco spiritus sanctus, & docet, quod sicut Aheron non solum gestauit sex & sex nomina tribuum in duobus lapidibus onychinis, sed etiam gestauit singula in singulis duodecim gemmis, ut demonstraretur singulas tribus populum Dei esse, & suum habere ius in promissionibus Dei de terra Canaan, de regno & sacerdotio. Vnde & Hofen iuris dictum est, quemadmodum supra ostendimus, ita uniuersitas ecclesiae, quae per nomina duodecim tribuum Israel significatur, non tantum generali cura et prouidentia Christi fouetur, sed singula membra Ecclesiae, quantumcunque abiecta, quantumcunque contempta & protrita, tanta cura & diligentia a Christo conseruantur, ut non aliter ipsi inhaerant, q̄ si in corde eius, tanquam in Adamante aut Smaragdo, insculpta essent, adeoq; unusquisq; in Christum credens proprium habeat, ut ita dicam, thronum, tam in animo Christi, q̄ in ipso coelo. Hinc est, q̄ Christus instituit in Ecclesia sacramentum Baptismi, cenae Dominae, & Absolutionis. Tametsi enim Euangelion, in quo adnunciatur remissio peccatorum ex fide propter Christum, generaliter & publice praedicatur, tamen quia conscientia peccatorum agnitione facia uix acquiescit in generali praedicatione Euāgelij, adiecit Christus sacramenta, quae sunt organa, quibus, quod generaliter in Euangelio promittitur, specialiter & priuatim singulis distribuitur atq; applicatur. De Sacramentis igitur Euāgelij Christi sentiamus, q̄ sint media & instrumenta, quibus unusquisque sanctificatur & consecratur ad possiden-

*Conscientiae
teneritudo.*

*Sacramentorum
usus in
Ecclesia.*

possidendum eum thronum in animo Christi & in caelo, quem Christus singulis in ipsum credentibus, sanguine suo acquisiuit. Quare sacramentorum participes ex fide facti, certissime confidamus, beneficia Christi etiam ad nos singulos, & priuatim ad nostrum unumquemque pertinere. Postremo, quod Deus responsa dederit per summum Sacerdotem ornatu Ephod & Hosien indutum, proprie in Iesum Christum Dominum nostrum respicit. Is enim fungens ministerio suo in terris, reuelauit nobis oraculum diuinissimum, & quod nobis ad consequendam ueram salutem maxime omnium necessarium est, uidelicet, Euangelion de remissione peccatorum, & uita aeterna, ac exposuit nobis omnem patris uoluntatem, quae est, ut omnis, qui uidet filium & credit in eum, habeat uitam aeternam, & resuscitetur in nouissimo die. Hoc autem oraculum Euangelij commendauit Christus Apostolis, uulgandum in totum orbem terrarum. Dixit enim ad Apostolos: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata &c. Et ite-
 rite in mundum uniuersum, & praedicate Euangelion omni creaturae &c. Apostoli autem reliquerunt Euangelij oraculum de remissione peccatorum, post se, ecclesiae Christi. Vnde Paulus uocat Ecclesiam, columinam & stabilimentum ueritatis. Quare, qui uoluerit uerum oraculum de perpetua sua salute sciscitari, & percipere, is audiat Ecclesiam, non illam malignantium, quae iactat se gestare omnia iura in sermone pectoris, hoc est, habere potestatem mutandi Euangelion & sacramenta eius, ac eligendi & iterum deponendi reges huius seculi. Sed illam Ecclesiam, quae uerbo Apostolorum fundata est, quae agnoscit uerbum & Euangelion Christi, cuius oculi ad uerbum Domini Dei nostri ita defixi sunt, ut oculi ancillae in manibus dominae suae, & cuius solus Christus caput est. Hanc Ecclesiam qui audierit, is audit Apostolos, Qui autem Apostolos audit, is audit Christum Dominum nostrum, cuius uerba, cum sint spiritus & uita, non possunt non perducere credentem, ad ueram spiritualem, coelestem, & perpetuam uitam.

Euangelion,
 oraculum dei
 per Christum
 reuelatum.

Ecclesia falsa

Ecclesia uera

FACIES ET TVNICAM SVPERHVMERALIS.)

Preter Ephod & Hosien induitur summus sacerdos etiam ueste serica tota hyacinthina, quam Hebraeus habet *מעילת עפר*, quod sub Ephod induatur. Et Graecus uocat *ἰσώδ' ὑπὸν ποδ' ἡγν.* Indumentum talare. Hec autem uestis serica confecta est in ecclesia Israelitica ad hunc eternum usum, ut ex ea inferiori fimbria appenderentur mala punica, & aurea tintinnabula, quo sonitu audiatur incessus Aheronis in officio ministerij sui in Sancto. Et adduntur seuerissime minae. Ne, inquit, moriatur. Quid ergo? num usus aut sonitus tintinnabulorum tanti momenti est, ut aut omissus possit Aheroni mortem inferre, aut factus possit Aheronem incolumem seruire? Profecto est, non qui-

Vestis serica
 summi sacerdotis.

Tintinnabulorum usus.

dem sua uirtute, sed uirtute uerbi Dei, cuius autoritate & seueritate hoc, qualecunq; iuxta externam speciem uideatur, exigitur. Nam si eius pomi intulit mortem non Adamo tantum, uerumetiam omnibus posteris eius, & festinantia paulo citior ademit regnum Israelis Sauli, ac liberis eius, quemadmodum scriptum est i. Regum xij. certe mortē etiam infert Aheroni, omissus usus tintinnabulorum. Etsi enim Deus per se non delectatur pulsu tintinnabulorum, seuerissime tamen exigit obseruationem uerbi sui, quo usum tintinnabulorum instituit. Aluefacit autem nos Deus hac seueritate, ut siue in promissis, siue in mandatis eius, maxime omnium oculos nostros in uerbum ipsius defigamus, & nos ad uerbum comparemus, qualiscunq; res ipsa, promissa, aut mandata appareat, siue possibilis siue impossibilis, siue parua siue magna, siue honesta, siue stulta.

Cæterum, quia Mose iussus fuit tabernaculum & omnia instrumenta eius conficere iuxta exemplar, quod ipsi in monte monstratum est, & uidit per spiritum sanctum sonum Euangelij de Iesu Christo audendum esse in toto orbe terrarum, ideo adumbravit, sonitu tintinnabulorum in serica ueste Aheronis, ministerium Iesu Christi, quo in predicando Euangelio suo, & confirmando illud miraculis in hac terra functus est. Sicut enim Aheroni seuerissime demandatum fuit, ut sonora tintinnabula in officio ministerij sui gesseret, ita Christus, uerus pontifex, ad hoc officium in hunc mundum a Deo patre suo missus est, ut sonet, hoc est, prædicet Euangelion suum de placato patre in cælis, de remissione peccatorum, et uita eterna. Apud Lucam enim capi. quarto, ex Esaia CHRISTVS ita de seipso ait: Spiritus Domini super me, propterea quod unxit me, & ad Euangelizandum pauperibus misit me. Et mox: Oportet me & alijs ciuitatibus Euangelizare regnum Dei. Nam in hoc missus sum. Et apud Ioannem: Ego in hoc natus sum, & ad hoc ueni in mundum, ut testimonium feram ueritati.

Ac quemadmodum sonitus tintinnabulorum ex incessu Aheronis auditus est non tantum in Sancto, uerumetiam in atrio, ita prædicatio Euangelij Christi, & miracula eius, quibus Euangelion suum confirmauit, sonuerunt per totum orbem terrarum, & sparsa sunt inter gentes. In omnem terram (inquit) exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. Tamen si enim Esaias de Christo dica: Non clamabit, nec audietur uox eius foris, hoc tamen non de suauissima uoce Euangelij, sed de tumultuosa & tyrannica uoce intelligendum est: Nam quantum attinet ad proprium officium Christi, non fuit concolorator clamorosus, præfractus, iracundus, & percussor, sed docuit Euangelion suum placidissime. Non ueni (inquit) perdere, sed seruari animas hominum. Quod autem attinet ad diuulgationem Euangelij, certe

Christi officium, prædicare Euangelion

Euangelij sonitus per tintinnabula adumbratus,

ij, certe sonus clamoris eius non solum peruenit ad fines orbis terræ, uerum etiam aperuit aures surdorum, & reuocauit mortuos in uitam. Quo sono quid potest esse aut altius aut clarius? Quare cum legimus Aheronis tintinnabula, admoneamur Euāgelij Christi, & inuitemur tam ad fidem quam ad gratitudinē, quod nos, qui audimus nunc claræ & manifestum sonitum Euāgelij, tanto sceliciores simus Israelitis, quanto magis lux tenebras, & dies noctem excellit.

FACIES ET LAMINAM DE AVRO PURISSIMO.)

Pro lamina Hebræus habet זִיז, quod scriptura postea uocat זִיז הַקֹּדֶשׁ, hoc est, coronam seu diadema sacrum. Græcus *πίταλον*. Fuit autem hæc lamina aliquantum extensa & lata, & ad formam dimidiatæ tantum coronæ inflexa. Ac primum iubetur in ea sculpi sanctum Domini, quod simpliciter quidam exponunt pro nomine Adonai seu tetragrammato, ut solū nomen Adonai in laminam insculpi præcipiatur. Sed ego existimo has ambas dictiones קֹדֶשׁ לַיהוָה, hoc est, Sanctum Domini, in laminam insculptas esse, quia sequitur: Ut portet iniquitatem sanctificatorum, quæ sanctificant filij Israel &c. Deinde iubetur lamina ad pileum seu galerum affigi fascia hyacinthina. Porro usum eius externum perspicue tradit scriptura. Ligabis, inquit, eam ad pileum in fronte Aheronis. Quam ob causam? ut Aheron portet iniquitatem sanctificatorum, quæ sanctificant filij Israel in cunctis muneribus suis, quæ sanctificauerint. Et erit lamina semper in fronte eius, ut reconciliet eos coram Domino. Sed quomodo, inquires, lamina in fronte Aheronis tanti momenti esse potuit, ut expiauerit peccata, & reconciliauerit Deum cum peccatoribus? Si tantum potest gestatio laminæ aureæ paucas literas continentis, cur non super caput nostrum imponimus tota Biblia aureis notis excepta, & auro undique circumdata? At longe aliud agit hoc loco spiritus sanctus, quam quod significet merita operum nostrorum, aut etiam summi pontificis, in Israel expiare peccata, & placare patrem. Etsi enim gestatio laminæ in fronte pontificis fuit externa & civilis reconciliatio Israelitarum, qua admitterentur ad publica & externa sacrificia, non tamen fuit uera & cœlestis reconciliatio peccatorum, qua admittentur ad cœlum, & scelicitatē sempiternam. Sed respexit & adumbravit Iesum Christum Dominum nostrum, ac docuit, quod Christus in hoc a Deo patre suo consecratus & sanctificatus sit, ut morte sua expiet peccata nostra, & impetret nobis uitam eternam. Vnde et Dauid ad hunc locum respexit, cum de Christo uaticinatus est Psalm. cxxxi. זִיז בְּזִוּוֹתָי, pro quo nostra translatio habet: Super ipsum effloebit sanctificatio eius, quasi diceret, Super ipsum erit lamina diadematis seu coronæ eius. Nam & ipse Christus

minime obscure, sed aperta fronte præ se tulit, ac publice concionatus est, se a Domino sanctificatum, & ordinatum esse, ut reconciliet peccatores cum Deo patre. Ego, inquit, non dico uobis, quod rogaturus sum pro uobis patrem, uidelicet, tanquam adhuc alienum a uobis, & hostem uestrum. Ipse enim pater amat uos, quia uos me amatis, & credidistis quod a Deo exiuerim. Et iterum: Nemo uenit ad patrem nisi per me. Ego sum uia, ueritas & uita. Nam, quemadmodum in lege tanta mundicies sacrificiorum & sacrificantium prescripta fuit, ut Israelitæ uix unquam perfecta et a lege requisita puritate sacrificia obtulerint, ac necesse habuerint externam quandam & ciuilem expiationem atque reconciliationem habere, adeoque cum Ezechia orare: Dominus bonus propiciabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum suorum, & non imputabit eis, quod minus sanctificati sint. Ita tanta iusticia in lege coram Deo exigitur, ut ne possit quidem humanis operibus impleri. Ac homines non tantum peccant malefaciendo aduersus legem Dei, sed etiam peccant benefacendo secundum legem Dei, non quod non sit legi obediendum (hoc certe necessarium est) sed quod homines non perfecte satisfaciant legi sua iusticia et obedientia. Quare necessarius nobis est reconciliator, non Aheron cum lamina sua, sed quem Aheron adumbravit, Iesus Christus cum Euangelio suo, ut ex hoc habeamus per fidem remissionem non solum eorum, peccatorum, quæ expresse aduersus legem Dei commisimus, sed etiam earum imbecillitatum, præ quibus non possumus legi Dei perfecte satisfacere.

STRINGESQUE TUNICAM BYSSO.)

Aliud uestimenti genus hoc loco commemoratur. Nam ubi uulgata tralatio habet: Stringes tunicam bysso, Ibi iuxta Hebraicam ueritatem ita legitur: שכנת הכתנת שש, hoc est, facies strictam tunicam byssinam. Hæc enim tunica supra dicta est, כתנת השש Tunica stricta, uidelicet, quod ad cutem stringebatur. Quale genus apud nos est in terula linea. Quamquam alij interpretentur tunicam ornata, uidelicet, margaritis, rosulis, & alijs ornamentis. Alij tunicam ocellatam, hoc est, uarijs oculis, palis, aut foraminibus distinctam, e bysso in modum lorice opere Phrygionico factam. Grecus habet χιτῶνα, κοσμηβατον, hoc est, tunicam, quæ nodulis constringitur. Fortassis sic dicta est, quod costringebatur baltheo. Nam balthæus huic tunicæ circumdatus fuit, ut est Leuitic. viij. Atque hoc quidem uestis genus externo suo usu pertinet. alias ad corporis munitionem. In summo autem pontifice significat Christum thorace seu lorica diuinæ potentiae ita undique munitum & constrictum, ut nulla uis aduersaria possit ei nocere. Deus (inquit Petrus) suscitauit Iesum, solutis doloribus mortis, quatenus impossibile erat teneri illum ab illa. Quod si nec mors quicquam

Tunica stri-
cta Aheronis

quicquam mali potuit Christo inferre, quomodo non fuisset etiam aduersus omnes alias afflictiones probe munitus? Cæterum, quia Christus impetrauit morte sua, ut quotquot credunt in ipsum, fiant membra corporis sui, ideo qua lorica Christus aduersus uires afflictionum munitus & tutus est, eadem tuti sunt omnes in Christum credentes. Quare hic locus docet nos confidentiam in aduersis, ut lorica summi pontificis in lege, admoneamur de munitione Christi, qua corpus & membra eius ita tuti sunt, ut nec mors nec infernus quicquam mali inferre queant.

ET FACIES TIARAM BYSSINAM.)

Ornatur summus pontifex etiam Tiara seu Galero. Pro Tiara Hebraeus habet **קַנָּוֹת**, & deducitur a **קָנָה**, quod significat inuolueri & amicare. Usurpatur autem **קַנָּוֹת** pro diademate, strophio, aut pileo capitis non quouis uulgari, sed insigni, quale genus principes & reges gestare solent. Græcus **κίθαριον**, hoc est, **πίλος βασιλικόν** uertit: Ezechiele. xxi. Aufer **קַנָּוֹת** cidarim & tolle coronam, hoc est, auferetur regnum & maiestas eius a rege Israel. Et in alia forma, sed eodem significato Zacha. iij. Ponant cidarim mundam super caput eius. Et Esai. lxij. Eris corona gloriæ in manu Domini, & cidaris seu diadema regni in manu Dei tui. Ex his locis uides **קַנָּוֹת** aut **קַנָּוֹת** usurpari pro insigni quodam, & regio capitis ornamento. Ornatur igitur summus pontifex regio ornamento, non ut significetur summus pontifex in lege, externos reges esse, nec ut adumbretur Romanos episcopos debere sibi diuina autoritate externum regnum in hoc seculo usurpare, sed potius ut significetur Christum Dominum nostrum fore quidem regem, sed non externum huius seculi regem. Regnum enim meum (inquit) non est de hoc mundo. Porro, qualis Christus rex est, tales etiã reges facit suos Christianos, qui sunt membra corporis eius, reges uidelicet, in regno cælorum, ut dominantur peccato, Satanae, morti & inferno, ac possideant regiam maiestatem iustitiæ, & perpetuæ foelicitatis.

Tiara pontificis

Christus rex sed non exterus

ET BALTHEVM OPERE PLVMARIL.)

Pro baltheo Hebræus habet **בַּלְתַּיִם**, Græcus **ζώνη** interpretatus est: Balthei usus: Balthei usum explicat Esaias cap. xxij, uno uerbo dicens: Cingulo seu baltheo tuo confortabo eum. Nam baltheus fortiter continet uestes ne diffuuant, ut qui baltheo cinctus est, redeatur tum agilior, tum etiã robustior & constantior ad conficienda opéra sua. Vnde baltheus seu cingulum pro ueritate & constantia usurpari solet. State (inquit Paulus) lumbis circumcinctis baltheo ueritatis. Igitur summus pontifex cingitur baltheo, seu zona, quemadmodum Ecclesiasticus ait, iustitiæ, hoc est, probitatis, & obseruationis promissorum, ut id pla-

ne significetur, quod postea Elaias de Christo magis perspicue expli-
cuit capite undecimo. Erit, inquiens, iusticia cingulum lumborum ei-
us, & fides, hoc est, ueritas, & constantia in seruandis pactis & pro-
missis, cinctorum renum eius. Nam cum alij principes ac reges mul-
ta interdum polliceantur, paucissima tamen præstare soleant, hic rex
Messias, ut liberalissimus est promissionibus, ita multo liberalior
est promissionum obseruatione & impletione. Vnde & Paulus ij.
Corinth. i. ait: Quotquot sunt promissiones Dei, per Christum sunt
etiam & amen. Et Christus ipse dicit: Coelum & terra præteribunt,
uerba aurem mea non præteribunt. Cum igitur in Christum credas,
quid diffidis de liberatione ex afflictione & morte, quando Chri-
stus eam liberationem non solum promisit, uerumetiam resurrectione
sua à mortuis confirmauit?

PORRO FILIIS AHERON TVNICAS LINEAS
PARABIS &c.)

Hactenus descriptus est uestitus et ornatus summi Sacerdotis. Nunc
describitur etiam uestitus aliorum & uulgarium sacerdotum: Hi
enim ornantur quidem splendidis uestimentis. In gloriam & deco-
rem (inquit) facis, non tamen tanta maiestate, quanta summus sacer-
dos. Ornantur enim כַּתְּנֵי, hoc est, tunicis, quod genus in summo sa-
cerdote strictum & byssinum fuit, ut antea dictum est, & אֲבוֹטִים bal-
theis, & מִצְנֵי תִּירִים seu mitris: Quibus adijciuntur etiam מְבוֹרָיִם
scemoralia siue subligacula, quod genus uestis & summo sacerdoti &
uulgaribus sacerdotibus mandatur. Quod autem alias summus sacer-
dos paulo aliter uestiatur, quam maiores sacerdotes, admonent nos,
omnia debere in populo Dei fieri decenter & secundum ordinem. Et
si enim filij Aheronis ac posterij eorum, non minus erant de tribu Le-
ui, & pars populi Dei, quam Aheron & successores eius, in summo
sacerdotio, ad conseruandam tamen concordem & inuouentem or-
dinationem, necesse erat, ut in externa sacerdotij administratione dis-
crimen constitueretur. Iam & hoc discrimen maxime omnium ad sig-
nificationem Christi & Ecclesie eius pertinebat, de quare mox dice-
mus. Sed quid illud est, quod tam diligenter & seueriter de scemo-
ralibus præcipitur? Ut operiant, inquit, carnem turpitudinis suæ, a
lumbis usque ad scemora, ut utantur eis Aheron & filij eius, quando
ingredientur tabernaculum testimonij, uel quando appropinquant
ad altare, ut ministrent in Sancto, ne iniquitatis rei moriantur. Hoc
cine tanti momenti est, scemoralibus, aut etiam alijs uestimentis in
publico ministerio non uti, ut mortis culpam mereatur? Et fortassis
paulo inhonestius est, in Ecclesia de scemoralibus loqui. Sed hæc
non sunt consideranda secundum sapientiam huius seculi, quæ nihil
nisi iu-

scemoralia
signantur.

nisi iuxta externā speciem excelsa & præclara admiratur. Tamen eī
 publicā mentio foemoralium perridicula uideatur, grauissimum ta-
 men est, quod spiritus sanctus in hoc loco tractat. Primum enim, assue-
 facit nos, ut in præceptis Dei potius respiciamus uerbū præcipientis
 Dei, quā speciem præceptæ rei. Videatur sane res, quæ mandatur, ridi-
 cula, at uerbum Dei non est ridiculum, nec obedientia, quæ uerbo
 Dei exhibetur, ridicula iudicanda est. Deinde spiritus sanctus usu foe-
 moralium ^{foemoralium} ^{usus,} exigit publicam honestatem, Et cum Deus tam seueriter
 horum usum exigit, haud obscure significat, quanta seueritate obser-
 uationem publicæ honestatis postulet. Ut operiant, inquit, carnem
 turpitudinis sue. Hæc publica est honestas, quæ certe sanctissime ob-
 seruanda est, & ut obseruatio eius sua habet præmia, gloriam uideli-
 cet, & honorem, aliarumque corporalium rerum benedictionem, ita ui-
 olatio suam habet poenā. Ne iniquitatis (inquit) rei moriantur. Qua-
 re ut mortis poena non est res ridicula, ita nec præceptum de foemora-
 libus ridiculum iudicandum est. Postremo, quod Deus tanta sollici-
 tudine & seueritate curet, ut operiatur caro turpitudinis, manifeste
 prodit suam curam & sollicitudinem pro afflictis & contemptis ho-
 minibus, qui uidentur esse in corpore Christi, & ecclesiæ eius mem-
 bra turpia & indecora. Nam, quæ putamus, ut Paulus ait, minus hone-
 sta esse corporis, his honorem uberiorem apponimus, & indecora no-
 stri, copiosorem decorem habent, ita Dominus deus noster tanto ma-
 iori cura contemptos pios complectitur, quanto turpiores & sordidi-
 ores in hoc seculo iudicantur. Ceterum præcipitur etiam in hoc capi-
 te, ut Aheron & filij eius in sacerdotium consecrentur. Unges, in-
 quit, eos, & implebis manus eorum, hoc est, consecrabis & sanctifica-
 bis eos, ut fungantur mihi sacerdotio. Quo autem ritu, & quibus cæ-
 rimonijs consecrati sint in sacerdotes, pluribus in sequenti capite ex-
 plicabitur. Quare interpretationem harum rerum in eum quoque locū
 rejiciemus. Nunc autem obseruandum est, quod sicut Aheron adumbrat
 Christum, ita & minores Sacerdotes adumbrant omnes in Christum
 credentes, qui differunt quidem aliqua ex parte a Christo, propterea
 quod hic sit caput, illi autem membra, hic naturalis Dei filius, illi adop-
 tione tantum filij Dei, nihilominus tamen propter Christum sunt co-
 heredes Christi, & heredes omnium bonorum Dei. Porro Sacerdotis
 nomine confirmemus fidem nostram, quod cum Christus fecerit nos omnes in
 ipsum credentes, sacerdotes, sentiamus ad nos quoque pertinere partē
 seu hereditatem sacerdotalem. De hac enim Sacerdotum & Leuitarum
 hereditate dicitur Num. xvij. Ego (inquit Dominus) pars & heredi-
 tas tua in medio filiorum Israel. Et Deuterono. xvij. Dominus ipse
 est hereditas eorum, sicut locutus est illis, Cuius autem Dominus est

foemoralium
usus,

Corinth. 13.

Sacerdotes
adumbrant om-
nes in Chri-
stū credentesSacerdotis
nomine ad quod
utile.

I N C A P V T XXVIII: E X O D I

*Sacerdotalia
uestimenta,
non sunt for-
didanda.*

hæreditas, quis eo ditior, quis beatior? Qui enim Dominum hæreditate accipit, is accipit iustitiam, uitam, cœlum, & sempiternam fœlicitatem. Admonemur etiam nomine sacerdotis, officij nostri, ut oremus pro peccatis fratrum nostrorum, & sacrificemus corpora nostra Deo, hostiam uiuentem, quemadmodum Paulus Rom. xij. docet. Deinde confirmemus etiam fidem nostram nomine uestium sacerdotalium. Nam ut his sacerdotes in lege induti sunt ad gloriam & decorum, ita nos per Christum Sacerdotes facti, induimur tanquam uestimento uarijs beneficijs Christi, uidelicet, remissione peccatorum, iustitia, & iure cœlestis hæreditatis, quibus consequimur ueram & perpetuam salutem, de quibus uestimentis, Psalm. cxxxi. ait: Sacerdotes eius induam salutari, & sancti eius exultatione exultabunt. Admonemur etiam ex uestibus officij nostri, ut ornemus nos speciosis ac honestis uirtutibus, ne maiestatem & dignitatem sacerdotalem peccatis nostris, ueluti turpibus uestimentis sordidemus. Ad hæc nomine fœminarum iubemur obseruare publicam honestatem tam in uestitu, quàm in omnibus moribus nostris. Præterea admonemur, ut quemadmodum Christus abiectiora corporis sui membra maiori sollicitudine curarat, ita nos tanto diligentius fratres nostros curemus, quanto contemptiores & neglectiores coram mundo esse uideantur.

CAPVT XXIX.

SED ET HOC FACIES, VT MIHI AD SACERDOTIUM CONSECRENTVR.)

*Sacerdotes,
quib. ritibus
consecrantur
explicatur.*

In hoc capite describuntur ritus & cærimonię, quibus Aheron & filij eius publice ad sacerdotium consecrantur. De qua re extat etiam caput octauum in Leuitico. Fuerunt autem huiuscemodi ritus. Principio, postquam conuocata est multitudo populi ante fores tabernaculi, Aheron & filij eius adducuntur publico spectaculo ad tabernaculum, & primum omnium lauantur aqua. Deinde Aheron induitur sacris uestibus, de quibus supra dictum est. Postea funditur super caput eius chrisma seu oleum unctionis, de cuius compositione sequitur in capite xxx. Postea filij Aheronis, ad minus sacerdotium destinati, induuntur etiam suis uestimentis, non tamen funditur super caput eorum oleum unctionis. Hoc enim ritu solus Aheron consecratur. Deinde adductis ad ostium tabernaculi, uitulo & duobus immaculatis arietibus, & allatis in canistro panibus placentis & laganis azymis & simila triticea confectis, tria sacrificiorum genera peragunt suis & prescriptis ritibus. Horum unum fit uitulo pro peccato, quod uocant חטאת, hoc est, sacrificium pro peccato, de quo Leuitic. iij. & quinto. Alterum fit ariete

fit ariete in holocaustum, quod uocant ארי, de quo Leui. i. & vi. Ter-
 tium fit similiter ariete, in sacrificium pacificum, quod hoc loco ge-
 nerali nomine dicitur אשן, hoc est, ignitum. Sed Leuiti. ij. dicitur,
 זבח שלמים, hoc est, sacrificium pacificorum. Porro, in faciendis i-
 stis sacris, Aheron & filij eius imponunt manus suas super caput ani-
 malis immolandi, pro more sacrificantium. Deinde, quia caerimoniae
 horum sacrificiorum maxime omnium peraguntur ad consecrationem
 sacerdotum, ideo de alterius arietis sanguine oblinuntur dextra auri-
 cula, dexter pollex manus, & dexter pollex pedis Aheronis & filiorum
 eius. Similiter de huius arietis sanguine & oleo unctionis aspergun-
 tur Aheron & filij eius, ac uestimenta eorum. Praeterea implentur ma-
 nus eorum adipe arietis, cauda, adipe, qui operit intestina, reticulo ie-
 coris, duobus renibus, armo dextro, portione panis, placenta & laga-
 no de canistro azymorum, quae omnia primum quidem mouentur
 coram Domino in Mouendam, deinde accepta de manibus Ahero-
 nis & filiorum eius incenduntur super altare in sacrificium ignitum
 Domino. Atque ex hoc loco originem ducit ea scripturae phrasis, qua
 implere manus pro consecrare & sanctificare sumitur. Habes caerimo-
 nias summam & breuiter enumeratas, quibus Aheron & filij eius,
 non uno tantum die, sed septem continuis diebus in sacerdotium con-
 secrari iubentur, ad quam consecrationem faciendam, Mose ueluti e-
 piscopus suffraganeus (quem ita uocant) diuinitus ordinatur. Quid
 igitur ad haec dicemus: an non sufficiebat uerbum Domini, quo Ahe-
 ron iubetur sacerdotio fungi, sed necesse erat addere publicas caerimo-
 nias, & conspicuum apparatus, quo Aheron & filij eius in sacerdoti-
 um consecrarentur: quid sibi uult celebris ista ostentatio? Respondeo.
 Quod quidem ad rem ipsam attinet, suffecerat uerbum Dei, quo di-
 ctum erat: Applica Aheronem fratrem tuum cum filijs suis de medio
 filiorum Israel, ut sacerdotio fungantur mihi. Ex huius uerbi fide licu-
 isset Aheroni & filijs eius, etiam sine publica consecratione sacerdo-
 tio fungi. Sed adduntur caerimoniae diuinitus, tum propter conscien-
 tiam Aheronis & filiorum eius, tum etiam propter uulgi imperitiã.
 Nam cum sacerdotium sit publicum ministerium, suas etiam habet te-
 nationes & afflictiones. Id quod uides in Aherone. Nume. xvi. in Za-
 charia ij. Chron. xxiij. in Azaria ij, Chron. xxvi. Publice autem caer-
 monie diuinitus ad consecrationem Sacerdotum ordinatae, fuerunt ma-
 nifestum testimonium diuine uocationis. Quare qui in hoc ministerio
 afflictus fuit, potuit e caerimonijs, quibus consecratus est, conscientiam
 suam firmare ac certificare, quod uersetur in diuina uocatione, & quod affli-
 ctiones, quae in ea accidunt, cessurae sint coram Deo in bonum. Fue-
 runt & haec caerimonie ad uulgum non solum utiles, uerum etiam prope-

Sacrificium
pro peccato
Holocaustum

implere ma-
nus, quia sic

Cerimonie
consecratio-
nis, quare u-
surpentur.

*Matrimonij
consecratio.*

modum necessarię. Interest enim populi, ut agnoscat publicum sacro-
rum ministrum, ut publicum Ecclesię ministerium sacrosanctum &
uenerabile habeatur, ut non subinde publici ministri mutantur. Ni-
hil enim Ecclesię perniciosius est, quę ministerium sacrorum uilissimū
habere, & ministros subinde mutare, ac in ordinem, quod dicitur, re-
digere. Cęrimonię autem ad hoc utiles sunt, ut designatum & ele-
ctum ministrum populo commendent, ut publicum ministerium ue-
nerabile & sanctum faciant, & ut perpetuam ministri uocationem de-
clarent & confirment, quę non nisi magna & urgente necessitate, a
deo quę nullius hominis priuata, sed tantum publica autoritate mutari
queat. Sic institutio publicarum legum in Israel, publicis cęrimonijs
dedicata & confirmata est, quemadmodum supra capi. uigesimo quar-
to explicatum est. Sic electus in Regem, publicis cęrimonijs ad regni
administrationem consecratur, Deutero. xvij. & i. Regum xi. Sic &
matrimonia publico ritu sanctificantur, quia ut uenerabilia, ita san-
cta, rata, firmaque esse debent.

*Ministorum
ecclesię con-
secratio.*

Quare, quod hoc loco in consecrandis sacerdotibus agitur, non
est ludus infantilis, sed diuinum spectaculum, quo & conscientię Sa-
cerdotum, imperitię uulgi, & autoritati sacerdotij consulitur. Ergo
(inquies) etiam sacerdotes (seu quos ita uocamus) ministri Ecclesię
in Christianismo, publicis cęrimonijs consecrandi & chrismate un-
gendi sunt? Respondeo: Quod ad cęrimonijs legis attinet, manife-
stum est, eas reuelata Euangelij libertate abrogatas esse. Pręterea, cū
Christus uerus sacerdos aduenerit, manifestum etiam est, Leuiticum
& Aheronicum sacerdotium sublatum esse, quemadmodum in epi-
stola ad Hebrę. capite vij. scriptum est. Quare cęrimonię legis in cō-
secrandis sacerdotibus, non debent Ecclesię aut ministris eius tanquę
necessarię obtrudi. Ergo ab aratro ad publicum ministerium Ecclesię
sine omni consecratione irrumperere licet? Nequaquam. Legitima em̄
uocatio necessaria est. Ac in Ecclesia quidem recens orta, Apostoli de-
clararunt legitimam ministorum Ecclesię uocationem publicis pre-
cibus, & impositione manuum. Hi erant externi ritus, quibus electi
commendabantur Ecclesię. His ritibus Paulus & Barnabas seligun-
tur in ministros ecclesię gentium, Acto. xij. His ritibus sanctificatus
est in Ecclesię ministrum Timotheus. i. Timoth. iij. & ij. Timoth. i.
Nam si sacerdotium legis commendandum fuit publicis cęrimonijs,
multo magis ministerium Ecclesię suis ritibus commendandum est,
quippe quod tanto excellentius est sacerdotio legis, quāto clarius lux
tenebras superat. Et si sacerdotibus legis conscientia per publicam san-
ctificationem de legitima uocatione certificāda fuit, multo magis mi-
nistri Ecclesię de sua uocatione publicis ritibus certificandi sunt, pro-
pterea quę

pterea q̄ nulla alia uocatio pluribus & maioribus periculis, tentatiōi
 bus & aduersis obijciatur. De his enim dictum est: Ego mitto uos si- *Ministorum*
 cut oues in medio luporum. Et ueniet tempus, ut quisquis interficiat *Ecclesie petra*
 uos, uideatur cultum præstare Deo. Post horum autem Apostolicorū *culā.*
 rituum institutionem, alij alias cærimonia ad declarandam legitimā
 ministrorum Ecclesiæ uocationem, adiecerunt, quæ etsi per se magna
 ex parte initio tolerabiles, fortassis etiam non inutiles fuerunt, tamen
 hoc tempore ueris Ecclesiæ ministris, ne licet quidem, etiamsi maxi-
 me uellent his uti: Nam usitata Sacerdotum consecratio ab episcopis,
 a Papa instituta, tam impijs iuramentis tantaq̄ tyrannide admini-
 stratur, ut nec debeat nec possit a ueris Ecclesiæ ministris hoc tempo-
 re, & hoc rerum statu suscipi. Episcopi enim, eos qui petunt ab ipsis *Episcoporum*
 consecrationem, aut adigunt ad impia iuramenta de cœlibatu, et de ab- *consecratio,*
 negatione ueritatis Euangelicæ, & compellunt ad impia sacrificia *num hoc tem-*
 Missarum pro uiuis & mortuis, aut si impietati non consenserint, con- *pore requi-*
 secrant eos potius ad arbores, ad flumina, & ad ignes, quam ad mini- *renda.*
 sterium Ecclesiæ. Cum igitur nec impie quicquam faciendum, nec ue-
 ritas abneganda, nec etiam seipsum temere periculis exponendum sit,
 cunq̄ leges inter arma sileant, non possunt ueri Ecclesiæ ministri, ali-
 as legitime uocati, in hoc ecclesiastico dissidio ordinationem ab Epis-
 copis Euangelij aduersarijs petere. Viderint Episcopi, & coram Chri-
 sto & Ecclesia eius defendant, quod præ ipsorum impietate & tyran-
 nide non liceat bonis ministris Ecclesiæ, ut maxime uellent, publica
 ordinatione uti. Certe ministri excusati sunt, quod magis debeant
 Deo quam hominibus obedire. Omnino tamen legitima ministro-
 rum uocatio publicis ritibus declaranda est, partim ne quis magno
 Ecclesiæ offendiculo, illotis manibus ab aratro aut tonstrina in Eccle-
 siasticam functionem irrumpat, partim ut his ritibus tam minister
 quam ministerium eius, Ecclesiæ suæ commendetur, partim etiam,
 ut his minister de legitima sua uocatione in aduersis admoneatur,
 & imbecillitati conscientie suæ medeatur. Quare unicuiq̄ pro sua
 uirili & uocatione danda est opera & orandum, ut Dominus lar-
 giatur Ecclesiæ suæ pacem, quo omnia rite, decenter & secundum or-
 dinem in Ecclesia fiant.

Sed reuertemur ad explicationem consecrationis sacerdotij Leuiti-
 ci seu Aheronici. Nam quid sibi iuxta cærimoniæ rationem uoluerit
 tantus consecrationis apparatus, antea explicuimus. Nūc ostendemus
 etiam quarum rerum sacramenta hi ritus fuerint. Est autem ex his quæ
 supra diximus, manifestum, q̄ Aheron significet Christum, filij autē
 Aheronis seu minores Sacerdotes, significant Christianos, quæ in
 Christum credunt. Igitur principio, quemadmodum Aheron & filij

eius consecrantur ad publicum ministerium lotionem, Lauabis, inquit, eos aqua: ita Christus non inchoauit in terris publicum suum ministerium predicandi Euangelij, nisi antea lotus baptismo à Ioanne. Et si enim Christus, quod ad suam personam attinet, non indiguit baptismo, baptisatus tamen est, ut auctoritatem baptismi suo exemplo confirmaret, & officium Messiae post susceptum baptismum maiori inter homines auctoritate inchoaret. Sic & Christiani sanctificantur baptismo in nomine Christi ad sacerdotium, quod habent in Christo Iesu, uidelicet, ut fruantur sacrificio Christi, ut liceat Deum ut patrem uocare, & ut ipsi quoque sua corpora, hostiã uiuentem Domino Deo nostro offerant. Hæc enim sunt officia sacerdotalia. Deinde, ut Aheron post lotionem induitur & ornatur suis uestibus, quas supra explicuimus: ita Christus, postquam baptisatus fuit, ornatus est publice spiritu sancto, & uoce coelesti ad Iordanem, quo manifeste reuelatum est, quod Iesus Christus ea præditus sit maiestate, quæ per uestes Aheronis adumbrata fuit. Tametsi enim Iesus etiam ante Christus seu Messias erat quam a Ioanne baptisaretur, tamen quia ante baptismum nihil pro publico suo officio egit, & Spiritus sanctus descendens super eum in specie columbæ statim post baptismum, ac uox coelestis dicens: Hic est filius meus dilectus in quo mihi beneplacitum est, reuelarunt maiestatem eius, & impulerunt eum ad inchoandum publice ministerium suum, ad quod missus erat, conuenienter admodum dicitur, Iesus ad Iordanem in summum sacerdotium sanctificatus, & sacris uestibus ornatus esse. Atque hic uides quidem, in umbris legis ueritatem Euangelij de Christo contineri, & quod Matth. capi. ij. & Lucas cap. ij. de baptismo Christi, & ijs quæ tum gesta fuere, describunt, hoc in consecratione Aheronis significari. Sed interim uides etiam, quanto propius ad sit nobis salus, quam ijs, qui ante aduentum Christi uixere. Quod enim nos perspicue re ipsa impletum uidemus, hoc illi uix, quasi per transfennam, ad huc implendum conspexerunt, & quod nobis disertis uerbis explicatur, hoc illis uix obscurissimis umbris ostensum est. Igitur, quanto maius beneficium accepimus, tanto magis grati erga benefactorem esse debemus.

Ornantur et reliqui Sacerdotes suis uestibus. Ait enim: Filios quoque illius applicabis & indues tunicis lineis &c. Quod autem hic adumbratur, hoc testantur Euangelicæ literæ, in singulis credentibus in Christum, impletum esse, & adhuc pro sua ratione in Ecclesia impleri. Nam in die Pentecostes, quo reuelata est consecratio credentium in Christum, repleti sunt omnes discipuli spiritu sancto, & ornati sunt tantisque uestibus, uarijs donis ac uirtutibus spiritus sancti. Et Petrus postea ad auditores suos ait: Baptisetur unusquisque uestrum in nomine Christi

Christus baptismo lotus.

Christiani in Sacerdotes consecrantur

Euangelion continetur in umbris legis.

Christianorum consecratio in sacerdotium.

Christi in remissionem peccatorum, & accipietis donum spiritus sancti. Et Acto. viij. Postquam Samaritani loti erant baptismo, imposuerunt Apostoli super eos manus, & accipiebant spiritum sanctum. Hoc certe nihil aliud erat quam id re ipsa implere, quod hoc loco in consecratione Sacerdotum figuris adumbratum est. Et Acto. x. Petro adhuc loquente, cecidit spiritus sanctus super omnes qui audiebant sermonem (hoc est consecrare ad sacerdotium spirituale) & loquebantur varijs linguis, ac magnificabant Deum (hoc est officio sacerdotij defungi). Sic & hoc tempore, Christiani, etsi non ornantur admirandis illis donis, quibus Ecclesia in die Pentecostes, & aliquanto tempore post ornata est. Cum enim Euangelij ueritas & autoritas iam sit confirmata, praesens talium miraculorum usus non est hoc tempore necessarius, consecrantur tamen, qui in Christum credunt, ad uerum & spirituale in Christo sacerdotium, per baptismum, & quia per huc induuntur Christo, (Quicumque enim, inquit Paulus, baptisati estis, Christum induistis) ornantur etiam spiritu sancto, & ijs uirtutibus, quae ad salutem utiles ac necessariae sunt. Quare summa omnibus Christianis danda est opera, ut non contaminent peccatis uestimenta sua sacerdotalia, quae sunt Christus, spiritus sanctus, & beneficia ac dona eorum, sed conseruent ea munda & pura per fidem & obedientiam fidei in Christo.

Baptismus
consecratio in
sacerdotium.

Deinde Aheron ungitur chrismate seu oleo unctionis. Fundes (inquit) oleum unctionis super caput eius & unges eum. Hic obserua, Aheronem tantum, et successores eius, summos pontifices, non ite minores Sacerdotes chrismate in capite ungi, ut significetur, maiestatem Messiae nulli alteri hominum competere, praeterque soli Iesu Christo. In hoc enim solo, tanque capite & autore est spiritus sanctus, remissio peccatorum, & uita aeterna. Vnde Psal. xxxiii. de Christo ait: Dilexisti iusticiam & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus Deus tuus oleo leticiae praeg confortibus tuis. Et Esa. lxi. Spiritus Dni super me eo quod unxit me, ad Euangelisandum pauperibus misit me. Et Ioan. iij. Non dat huic Deus spiritum ad mensuram. Quare, quemadmodum Korah de tribu Leui, sacrilegium commisit, quod usurpabat sibi summum sacerdotium, singulari chrismate in Aheronem translatum, ita sacrilegium designant hi sacrificuli, qui iactant se merito sacrificij Messae expiare peccata uiuorum & mortuorum, ac mereri uitam aeternam. Hoc enim quid aliud est, quam chrisma summi sacerdotij, hoc est, maiestatem soli Iesu Christo competentem, in se, sua opera, & merita transferre? Ac defluit quidem unguentum chrismatum a capite in barbam Aheron, & minores Sacerdotes postea etiam oleo in uestimentis asperguntur, quae significant spiritum sanctum & remissionem

Chrismatum
unctio.

peccatorum defluere a Christo in membra eius, & Christianos fieri per fidem participes spiritus sancti & remissionis peccatorum, propter Christum. Sed ipsum remissionis peccatorum meritum, nulli nec homini nec humano operi, nec humanæ passioni, nisi soli Iesu Christo, & passioni eius, tribuendum est.

POSTQVAM INICIAVERIS MANVS EORVM.)

Pro quo Hebræus habet: Implebis manus eorum. Quibus autem rebus manus sacerdotum impletæ fuerunt in consecratione, postea dicetur, cum tractabitur de sacrificio pacificorum.

APPLICABIS ET VITVLVM.)

Præter lotionem, uestimentorum induitionem, & unctionem, usurpantur etiam quedam sacrificia in consecratione sacerdotum. Sunt autem uaria genera sacrificiorum, de quibus extat tertius liber Mosis, Leuiticus. Sed hoc loco tria tantum in consecrandis Sacerdotibus usurpantur. Ac primum omnium statuitur vitulus in sacrificium pro peccato, & iubentur Aheron & filij eius manus suas imponere super caput animalis immolandi. Hic fuit publicus et solennis ritus eorum, qui obtulerunt animalia ad sacrificia. Significauerunt autem hoc ritu, se animal, quod manu attingunt, publice ad id genus diuini cultus desti-

Sacrificiorum genera.

Manuum impositione.

nare, quod uoce professi sunt, nec uelle, ut in alium usum transferatur. Sic seniores Israel imponunt manus suas super uitulum adductum in sacrificium pro peccato totius turbe, Leuit. iij. Sic Israelitæ imponunt manus suas super Leuitas, cum destinant eos ad perpetuum Dei ministerium, Num. viij. Sic Mose imponit manum suam super Iosue, cum designat eum ducem Israelis, Num. xxvij. Sic & Apostoli usurparunt hunc ritum, cum designarent discipulos, uel ad excipienda dona spiritus sancti, ut est Acto. viij. & xix. uel ad publicam functionem ministerij ecclesiastici, ut est Act. vj. & xij. Similiter i. Timoth. iij. & ij. Timoth. i. Vnde & Paulus ad Timotheon suum scribit: Ne cui cito manus imponas, hoc est, ne quem cito ad publicam in Ecclesia functionem admoueas. Cæterum, quia sacerdotium est sanctum, & requirit sanctos, puros, & a peccatis alienos ministros, ideo iubentur Aheron & filij eius in consecratione ipsorum offerre sacrificium pro peccato, uidelicet, ut hoc sacro expiarent peccata sua, & sanctificarentur. Atque hæc quidem, Mosaica aut Leuitica sacrificia, non expiarunt, nisi Mosaica, seu Leuitica, hoc est, ciuilia peccata, qualia sunt, morticinum tangere, immundo cibo uesci, & id genus alia. Adumbrant autem uerant uerorum & naturalium peccatorum expiationem, quæ facta est unico sacrificio Domini nostri Iesu Christi, ut sacrificia pro peccato in lege Mosis nihil aliud proprie fuerint, quam conciones de passione et morte Christi. Vnde uitulus pro peccato mactatur in conspectu Domini, ante ostium

Sacrificia legis, sunt conciones de passione Christi.

ante ostium

ante ostium tabernaculi, quia Christus publice ante portas Hierusalem, in qua urbe erat templum Domini, pro peccatis nostris crucifixus est. Et pars sanguinis uituli ponitur super cornua altaris, pars autem funditur ad basim eius, quia uirtus sanguinis Christi sparsa est prædicatione Euangelij tam inter Gentes, in quatuor partes mundi, quam inter Iudæos, qui per altaris basim intelliguntur, propterea quod Christus, quantum ad carnem attinet, ex Iudæis uenit. Quid si sanguis ad basim fusus, significet Christum effudisse quidem sanguinem suum pro peccatis hominum, sed magnam hominum partem facere sibi sanguinem Christi inutilem, & pedibus conculcare eum. Vnde Heb. x. dicitur: Quanto peioribus afficietur supplicijs, qui filium Dei conculcarit, & sanguinem testamenti, ceu rem prophanam habuerit: Conculcatur autem sanguis Christi, primum incredulitate, & aperta impietate. Deinde hypocrisi & superstitione. Postremo, impura & scelerata uita. Iam & totus adeps, qui operit intestina, & reticulum iecoris, & duo renes, & adeps eorum incenduntur super altare. In Leuitico enim cap. iij. dicitur: Omnis adeps Domini erit iure perpetuo, quia tota Christi uoluptas & delectatio non alia fuit, quam satisfacere uoluntati Dei, & obedire uocationi eius. Meus cibus (inquit) est, ut faciam, quod uultis, qui misit me, & perficiam opus eius. Et iterum: Descendi de caelo, ut faciam, non quod ego uolo, sed quod uult is qui misit me. Carnes autem uituli & corium & fimus comburuntur foris extra castra. Hoc disertis uerbis interpretatur epistola ad Heb. cap. xij. dicens: Animalium, quorum sanguis infertur pro peccato in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Quapropter & Iesus, ut sanctificaret per proprium sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, opprobrium eius portantes. Non enim habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus &c. Vides sacrificium pro peccato, & ritus eius reuera aliud non fuisse, nisi commemoratiōem passionis et mortis Christi pro peccatis nostris. Ergo sacrificia legis non fuerunt expiationes peccatorum & merita uitæ æternæ, quemadmodum hypocritæ iudicant, sed tantum ostenderunt pijs eum, in quo debeant ueram peccatorum remissionem & meritum æternæ uitæ inquirere. Hic uero dubitabis, qui fiat, quod cum Aheron referat personam Christi, nihilominus tamen iubeatur manus imponere super uitulum, et eum pro peccato suo offerre. An non Christus totus sanctus & immaculatus est? qui peccatum (inquit) non fecit, nec est inuentus dolus in ore eius. Obseruabis igitur, quod & Aheron manus suas imponat super uitulum, & offerat eum pro peccato, quia etsi Christus fuit totus sanctus, & absque peccatis, tamen factus est propter nos legi obnoxius, ut nos a lege redime-

Gala. 3. factus est, inquit Paulus, maledictum, ut nos a maledicto legis liberaret. Et iterum: Eum, qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iusticia Dei per illum. Non solum autem Aheron, sed & filij eius imponunt manus super uitulum, & offerunt eum in sanctificationem sui. Filios Aheronis diximus significare omnes Christianos. Hi enim sanctificantur in coelestes Sacerdotes credendo in Christum, quod expiauerit sanguine suo peccata ipsorum, quod est offerre uitulum, & sanguinem eius ad cornua altaris spargere. Sanctificantur etiam mortificando ex fide reliquias carnis, & omnia desideria eius, quod est incendere adipem & renes super altare. Ac sanctificantur, non ponendo spem in incerta bona huius seculi, sed inquirendo coelestem patriam futuri seculi. Hoc enim est carnem uituli, & corium extra castra comburere.

VNVM QVOQVE ARIETEM SVMES.)

Secundum sacrificium, quod in consecratione Sacerdotum offertur, est, *וֶאֱרִי*, hoc est, holocaustum, uidelicet, alter de arietibus immaculatis, de quibus in principio huius capituli scribitur. Fuit & hoc sacrificij genus in lege institutum, ut esset placatio irae Dei, & expiatio peccatorum. De hoc enim Leui, i. ita scribitur: Ponet manum suam super holocaustum, & acceptabile erit, atque in expiationem eius proficiens. Tamen si autem omnia legis sacrificia in unum Christum respiciant, et unum eius sacrificium adumbrent, maluit tamen Spiritus sanctus uaria sacrificiorum genera, quam unum tantum in ecclesia Israelitarum instituire, partim ut uarietas sacrificiorum contineret Israelitas in officio religionis. Vnum enim & idem subinde eodem modo & ritu repetitum, & inculcatum, parit contemptum & fastidium, partim, ac praecipue, ut Christus uarijs modis adumbraretur, & in cordibus piorum illustraretur. Nam, quod de sacrificio pro peccato dictum est, hoc idem intelligendum erit de holocausto, uidelicet, quod holocaustum legis, expiaue-

Holocausti significatio, rit quidem ciuilia & facticia peccata, significauerit autem Christum uerorum & naturalium peccatorum expiatorem, ut & holocausti oblatio non aliud fuerit, quam concio de morte Christi, qua nos a peccatis per fidem purgati sumus. Tollitur enim sanguis arietis in holocaustum oblatus, & spargitur super altare per circuitum, quia uirtus sanguinis Christi sparsa est per uniuersum orbem terrarum, publica Euangelij praedicatione, ut quotquot siue Iudaei siue Gentes, credunt, salutem consequantur. Et aries secatur in frustra, ac intestina eius lota, & pedes ponuntur supra frustra & caput arietis, & incenditur totus aries super altare. Vnde & hoc sacrificij genus nomen *ὁλοκαύσων* habet, quod significat totum incensum, quia Christus ita totum sese deo patri suo obtulit, ut unica oblatione perfectos efficeret in perpetuum eos, qui sanctificantur.

Etificantur. Ac secatur quidem aries in frustra, quia uaria & diuersa sunt membra Christi, qui sunt credentes in ipsum, hæc autem frustra, quibus intestina & pedes arietis imposita sunt, una cum capite arietis tota incenduntur, quia Christus omnes in ipsum credentes una secum in mortem suam duxit, ut eos secum quoque ad uitam reduceret. *Roma 6.* Quicumque baptizati sumus (inquit Paulus) in mortem eius baptizati sumus. Sepulti igitur sumus una cum illo per baptismum in mortem, ut quemadmodum excitatus est Christus &c. Et alias: Consepulti simul cum illo per baptismum, in quo simul etiam cum illo resurrexistis per fidem operationis Dei. Quantum autem hic locus habeat consolationis in aduersis, quamque obedientem spiritum in mandatis Dei efficiat, non est huius argumenti differere.

TOLLES QVOQVE ARIETEM ALTERVM.)

Tertium sacrificium, quod ad consecrandos sacerdotes usurpatur, *Sacrificium pacificorum* est sacrificium שלמים pacificorum seu Sanctificatorum. Et ad hoc sacrificium sumitur alter aries e duobus supra memoratis. Peragitur autem his ritibus ac caerimonijs. Principio, postquam Mose mactauerit arietem, sumit de sanguine eius, & oblitit eo extremum auriculæ dextræ Aheronis & filiorum eius, item pollicem manus dextræ, similiter pollicem pedis dextri. Deinde spargit sanguinem super altare per circuitum, Tertio sumit de sanguine qui est super altare, & de chrismate, & aspergit Aheronem & filios eius, & uestes eorum, ut tam ipsi quam uestimenta eorum sanguine purificentur et consecrentur. Quarto, sumit adipem, caudam, adipem qui operit intestina, reticulum iecoris, duos renes cum adipe eorum, armum dextrum, portionem panis, crustulâ oleatam, & laganum, & implet his manus Aheronis ac filiorum eius. Quinto mouet hæc in Mouendam, quam uocant מונחה, coram Domino. Sexto, suscipit iterum uniuersa de manibus eorum, & incendit super altare in holocaustum in odorem suauissimum in conspectu domini &c. Quid his, inquires, caerimonijs, magis ridiculum? puerilem ludum potius quam serium spectaculum dices. An non potuit Deus ad sanctificandos sacerdotes ea excogitare, quæ maiorem haberent sapientiæ speciem? Potuit quidem, sed hic mihi Paulum audi. Delegit (inquit Paulus) quæ stulta erant secundum mundum. Quæ ob causam? ut pudefaceret sapientes. Et quæ erant imbecillia in mundo delegit deus. Quare? ut pudefaceret ea quæ sunt robusta. Nam sapientia huius seculi inchoat opera sua maximo apparatu, & uisenda ostentatione, sed ea desinere solent in extremam stulticiam & turpitudinem. Huius rei exemplum habes in sacris literis, edificium turris Babylonice. Hoc enim edificium preparabatur magna sapientia & consilio. *Turris Babylonice ostentatio.* Faciamus, inquit, ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad coelum,

Xerxis ap-
paratus

& celebremus nomen nostrum. Sed, ecce cum iam in medio opere essent, ita inter se confunduntur, ut cogantur inceptum opus turpissime deserere. In prophanis literis extat exemplum, bellicus apparatus Xerxis regis Persarum aduersus Græciam. Nam Xerxes ad expugnandam Græciam, tanta hominum multitudine profectus est, ut scriptores rerum gestarum testentur, flumina ab exercitu eius siccata, Græciamque omnem uix exercitum eius capere potuisse. Quo apparatu, quid potest dici magis stupendum? Sed ecce mihi spectaculum admirandum. Hic Xerxes, cuius exercitum antea uix æquor omne capiebat, & qui propter multitudinem, ipsi quoque terræ grauis erat, hic, inquam, Xerxes, paulo post tanto terrore percellitur, ut foedissima fuga salutisue consulat, & piscatoria scapha, omni etiam seruorum ministerio destitutus, ad sua tranſciat. Vides in quantam stultitiam & foeditatem humana sapientia & ostentatio desinat. Sed longe alia est ratio operæ Domini Dei nostri. Hic enim inchoat opera sua abiecte & humiliter, sed perficit ea magnifice & gloriose, id quod hac sacerdotum consecratione perspicue probatur. Tametsi enim ritus huius consecrationis ualde ridiculi appareant, Deus tamen hoc organo sapientissima opera peregit. Primum enim, Sacerdotium his ritibus sanctificatum, ita diuinitus confirmatum est, ut autoritas eius constiterit annis plus minus, mille quingentis, uidelicet usque ad legitimum tempus suum, quo aduenit uere summus Sacerdos Iesus Christus Dominus noster. Ac interea temporis conseruauit Deus ministerio huius sacerdotis religionem in Israel. Reuelauit etiam ministerio huius sacerdotis uerbum suum, quemadmodum Num. xxvij. & i. Reg. ca. xxij. & ca. xxx. scriptum est. Adhæc conseruauit organo huius sacerdotalis, apparatus incolumitatem totius Iudaicę gentis post Persarum monarchiam. Quod ut melius cognoscatur, recitabo, quę de hac re Iosephus li. xij. ca. viij. Antiqui. Iuda. scribit: Alexander, inquit, (intelligit autem Alexandrum Magnū, illum orbis uictorem) capta Gaza, ad ciuitatem Hierosolymitarum ascendere festinauit, uidelicet ut eam ob negata auxilia affligeret. Quod tamen longe aliter accidit. Nam Alexander uidens multitudinem, quę ei obuiam processit, uestibus albis indutam, antistites uero cum byssinis stolis, & principem Sacerdotum ornatu suo indutum, adijt eum solus, & numen adorauit, et principem sacerdotum primus ueneratus est. Quod cum oēs admirarentur, cur omnibus ipsum adorantibus, adoraret ipse principem Sacerdotum gentis Iudę, dixit: Se non hunc adorasse, sed Deū, cuius sacerdotio is fungatur. Nā per somnium, inquit, in huiusmodi eum habitu conspexi, adhuc in Dio ciuitate Macedoniae constitutus. Ibi cum mecum cogitarem de expeditione in Asiam, incitauit me, ut nequaquam consilium animi negligere, sed confidenter

Alexandri
Magni reue-
rentia erga
summum pon-
tificem

rem

rem capessere. Se enim perducturum dicebat meum exercitum, & Persarum traditurum potentiam &c. Et mox: Postera die conuocans eos, iussit petere, quas uellent donationes accipere. Principe uero Sacerdotum petente, ut liceret patrijs uti legibus, & septimum annum sine tributis esse mandaret, omnia concessit &c. Hactenus Iosephus. E cuius uerbis perspicue intelligis quanta salus contigerit Israelitis, organo apparatus sacerdotalis, quo Deus non solum angelum suum ornauit, ut Alexandro magno futura prædiceret, uerumetiam Alexandrum iratum ita placauit, ut multa beneficia Iudeis conferret, & Rempub. eorum publicis decretis cõfirmaret, atq; adeo, q̄ ornatu deus inuictõ heroi, & per ipsum, toti eius monarchiæ manifestauit, eum solũ uerum esse Deum, qui Iudæorum patriarchis reuelatus est, & Rempub. eorum constituit. Quid autem potest his operibus aut sapientius aut excellentius dici? Postremo his ritibus adumbratus & descriptus est modus, quo Christus & credentes in ipsum, ad uerum, cœlestem & perpetuum sacerdotium sanctificantur. Tametsi enim Christus natura sanctus sit, nec indigeat ulla aduenticia sanctificatione, tamen factus est legi obnoxius, ut eos qui sub lege erant, redimeret. Et hoc illud est, quod & Aherõ, qui est figura Christi, purificatur sanguine arietis. Maxime omnium autem adumbrat spiritus sanctus his ritibus, quo modo nos homines peccatores ad ueram cœlestis sacerdotij consecrationem perueniamus. Aries enim mactatus, & sanguis eius effusus, significat mortem & effusionem sanguinis Christi pro peccatis nostris. Hic ergo sanguis ponitur in consecratione Sacerdotum super extremum seu teneritudinem dextræ auriculæ eorum, qui consecrantur, quia prædicatio Euangelij de sanguine Christi publice euulganda, et auribus percipienda est. Ex auditu enim, fides est, inquit Paulus, & auditus per uerbum Dei. Diserte autem iubetur sanguis poni super dextram auriculam, non super sinistram. Euangelion enim non est ita sinistre audiendum & intelligendum, ut ex eo sumas occasionem pro libidine tua uiuendi, & facias ex libertate Euangelij, licentiam. Sunt enim, qui cum audiant ex Euangelio, Christum, pro peccatis nostris Deo patri satisfecisse, existiment impune sibi licere, quiduis agere. Quid enim peccare noceat, quando Christus peccata expiauerit? Hoc autem est Euangelion sinistre aure percipere. Oblinitur ergo teneritudo dextræ auris in consecratione sacerdotum, ut admoneamur, Euangelion dextre accipiendum esse, uidelicet, non ut deinceps peccemus, sed ut uoluntati Dei obediamus, & procul ab omnibus peccatis, in uocatione Dei ambulemus. Oblinitur etiam sanguine arietis pollex dextræ manus, uidelicet, ut nō solũ Euangelion audiamus, sed etiam manus admoueamus, hoc est, bonos fidei fructus proferamus.

Euangelion
non sinistre
audiendum.

Regnum enim Dei, inquit Paulus, non est in sermone sed in uirtute. Et, fides sine operibus mortua est. Et Ioan. ait: Facite dignos fructus poenitentiae. Iterum autem dextrae manus, non sinistrae pollex oblinitur, ut significetur Euangelion confitendum, & fidem profitendam esse, non quibusuis, sed uere bonis & dextris operibus. Sunt enim qui Euangelion audiunt, nulla alia causa, quam ut liceat ipsis facultates ecclesiasticas diripere, ministros Ecclesiae pedibus conculcare, et dominium in religione pro sua libidine exercere. Hi admouent Euangelio sinistrae manus. At dextra ungitur sanguine, ut fidem nostram uere bonis ac dextris operibus a Deo praecipis testemur. Sic & pollex dextri pedis oblinitur sanguine, ut ex fide ambulemus, ita ut dignum est uocatione, qua uocati sumus, cum omni submissione & mansuetudine, quemadmodum Paulus ait. Deinde spargitur sanguis arietis super altare per circuitum, quia sanctificatio, quae est per sanguinem Christi, non pertinet ad unam tantum gentem Iudaicam, sed ad omnes gentes per circuitum orbis terrae, ut omnis, qui inuocauerit nomen Domini, salutem consequatur. Ad haec asperguntur de sanguine arietis sumpto ab altari & de chrismate, uestimenta Aheronis & filiorum eius, uide licet, ut tam ipsi quam uestes eorum consecrentur. Ad Heb. enim cap. ix. dicitur: Omnia fere secundum legem sanguine purificantur. Sed cum externus ille sanguis arietum & hircorum potius coinquinet quam emundet aspersum, manifeste significatur hoc ritu, quod nulla sit mundities coram Deo, nisi e sanguine Christi, nec nos iusti reputemur, nec opera nostra pura & sancta iudicentur, nisi per fidem in Christum, qui nos sanguine suo reconciliauit cum Deo patre. Habent & hypocritae sancta uestimenta, hoc est, iusta & bona opera, sed ea non sunt coram Deo sancta, quia hypocritae aspergunt ea non Christi sed suo ipsorum sanguine. Opinantur enim opera sua esse ita iusta, ut horum merito expient peccata sua, & mereantur regnum caelorum. Hoc certe est opera suo ipsius sanguine condire. At per uere bona opera faciunt, quia credunt sese iustos, non suis operibus, aut meritis, sed sanguine Christi per fidem, & faciunt bona opera, non ut his expient peccata coram Deo, sed ut his obediunt uocationi Dei, & testentur gratitudinem suam erga Deum, qui ipsos gratis propter Christum in gratiam recepit. Et hoc est bona opera sanguine Christi condire. Atque haec opera uere ex fide proficisci dicuntur. Quare iudicantur quoque in conspectu Dei munda & sancta, non quidem natura sua, quia & ipsa in se imperfecta sunt, sed propter Christum, ex cuius fide facta sunt. Deinde manus Aheronis & filiorum eius implentur quibusdam partibus sacrificij, & panibus, quemadmodum supra commemoratum est, quae postquam mota sunt in mouendam coram Domino, suscipiuntur iterum

Sanguinis ad
umbrati

Opera uere
bona quae sunt

iterum de manibus Aheronis & filiorum eius, ac incenduntur super altare in holocaustum. Quo ritu significatur perfectam legis impletionem ab unoquoque exigere, sed quia nullus hominum hanc prestare potest, ideo audiendum est Euangelion de Iesu Christo, quod est ad universas huius mundi partes divulgatum (id quod per Mouendam adumbratur) & credendum est in Iesum Christum, expiatiorem peccatorum nostrorum, quod significatur per partes sacrificij de manibus sacerdotum acceptas & in holocaustum, quod est Christus, super altare incensas. Et quanquam in hac cerimonia, partes sacrificij etiam de manibus Aheronis, qui Christum adumbrat, sumuntur & incenduntur, perinde ac si & ipse Christus non impleuisset legem, ac indigeret aliena expiatione, tamen quia Paulus dicit, Christum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum factum esse, ut nos efficeremur iustitia Dei per illum, sentiendum est, quod hoc loco adumbretur, Christum, satisfecisse quidem legi perfectissime. Ipse enim est holocaustum pro peccatis nostris, quod non potuisset fieri, nisi totus iustus & sanctus esset, factum tamen esse legi obnoxium, assumpsisse formam serui, & tentatum per omnia iuxta similitudinem, sed absque peccato, ut nos a lege & peccatis redimeret.

Cæterum in sacrificio אֶרֶב, hoc est, pacificorum non omnia comburebantur in holocaustum, sed alia pars cedebat Domino, & hæc comburebatur in altari, alia cedebat sacerdoti sacrificium offerenti, alia cedebat illi, cuius nomine fiebat sacrificium, & qui pecus ad sacrificium tradiderat. Vnde hoc loco dicitur: Sumes pectusculum de ariete quo initiatus est Aheron, & quæ sequuntur. Quæ quoniam obscure in uulgata translatione habentur, audiamus translationem iuxta Hebræam ueritatem, quæ sic habet. Sumes pectus de ariete impletionum Aheron, mouens Mouendam coram Domino, cedetque in partem tuam. Sic sanctificabis pectus Mouendæ & armum Leuandæ, quæ mota & leuata est de ariete impletionum Aheron & filiorum eius, cedentque in partem Aheron & filiorum, ritu perpetuo a filiis Israel, quia Leuanda est. Leuanda enim de sacrificijs pacificis & Leuandis filiorum Israel, Domini est. Hactenus ueritas Hebræa. Ac de ritibus quidem sacrificiorum, quos uocant, Leuandam & Mouendam, supra ca. xxv. diximus. Hic autem uides partes sacrificiorum distribui. Ac postquam Domino sua pars in altari combusta est, altera pars datur Mosis, qui agebat nunc sacerdotem, & consecratorem, seu, ut nos uocamus, suffraganeum. Et instituitur, ut deinceps pectus Mouendæ & armus Leuandæ de sacrificijs pacificis filiorum Israel cedant in usus Sacerdotum, quemadmodum etiam Leuit. vii. scriptum est: Qui ex filiis Aheron obtulerit sanguinem pacificorum atque adipem, ille habebit armum dextræ pro portione. Nam pectus Mouendæ & ar-

*Eucharistica
sacrificij
ceremonie.*

mum Leuandæ tuli à filijs Israel de sacrificijs pacificorum ipsorum,
 et dedi ea Aheron & filijs eius statuto perpetuo etc. Idē habes Num.
 xvij. Altera autem pars redditur Aheroni & filijs eius, non iam tan-
 quam sacerdotibus, sed tanq̄ is, quorum nomine fiebat sacrificium.
 Sic enim sequitur: Arietem impletionis tolles, & coques carnes eius
 in loco sancto, quibus uescetur Aheron & filij eius cum panibus, qui
 sunt in canistro ante ostium tabernaculi testimonij. Nam filijs Israel,
 qui pecora sua ad sacrificium tradebāt, suas celsisse partes e sacrificijs,
 scriptura multis in locis testatur, presertim Leuit. vñ. & Deutero. xij.
 Atq̄ hę quidem fuerunt cærimonix Mosaicę, in sacrificio pacifico-
 rum, quarum externus usus Euangelio Christi abrogatus est: Signifi-
 catio autem earum non solum reuelata, uerumetiam confirmata, adeo
 que nobis commendata est. Nam quę pars Domino in holocaustum
 cessit, ea commendat nobis Christum, qui factus pro peccatis nostris
 holocaustum, placauit iram Dei, & reconciliauit nos cum Deo, ut lice-
 at nobis Deum patrem inuocare, & cœlestium bonorum eius hære-
 des esse. Quod autem pars cesserit sacerdotibus sacrificantibus, ea par-
 tim significat, ministris Ecclesię licere ex Euangelio uiuere. Sic enim
 Paulus i. Corinth. ix. docet: An nescitis (inquit) quod hi qui in sacris
 operantur, ex sacrificio uiuunt? Qui sacrario assunt, una cum sacra-
 rio partem accipiunt? Sic & Dominus ordinauit, ut qui Euangelion
 adnunciant, ex Euangelio uiuant, partim significat sacrificium Chri-
 sti, non habere hanc rationem, ut tantum ipsi Christo, capiti nostro,
 in summam gloriam & maiestatem cesserit, uerumetiam ut participes
 eius sacrificij reddantur, quotquot fiunt membra Christi per fidem. U-
 dem quoq̄ significat ea pars, quę Israelitis sacrificia sacerdoti offeren-
 tibus cedebat. Nam cum Christus sacrificio meritis sit, ut extulerit e-
 um Deus in summam sublimitatem, ac donauerit illi nomen, quod
 est supra omne nomen, non sibi soli tantam fœlicitatis maiestatem re-
 tinuit, sed fecit eam pro sua ratione communem omnibus in ipsum
 credentibus, ut sicut ipse est naturalis Dei filius, ita credentes fiant fi-
 lij Dei adoptiui, & sicut ipse est heres bonorum Dei, ita credentes fi-
 ant coheredes eius. Atq̄ hoc est uere de sacrificio Christi participem
 fieri. Christus enim non sua sed nostra peccata, sacrificio suo expiauit.
 Reddimur igitur huius sacrificij participes, hoc est, consequimur re-
 missionem peccatorum & uitam æternam, cum Christum fide concipi-
 mus. Fides autem est ex auditu uerbi Dei, & confirmatur participa-
 tione sacramentorum, quę Christus instituit. Quare & nos tunc de
 sacrificio Christi edere dicimur, cum audimus uerbum Dei, & sumi-
 mus sacramenta, quibus rebus & datur & confirmatur in nobis, auto-
 re Spiritu sancto, fides in Christum. Porro consecrationem sacerdo-
 tum sep̄

tum septem diebus fieri necesse erat. Septem, inquit, diebus utetur il-
 lis, qui sacerdos pro eo constitutus fuerit de filiis eius. Et mox: Omnia *Consecratio*
 quæ præcipio tibi facies super Aheron & filijs eius, ut septem diebus *sacerdotum,*
 manus eorum impleas. Idem habes Leuit. viij. &c. Atq; tãto quidem *septem die b.*
 temporis spacio consecratio facta est, ut quo sacerdotes diutius conse-
 crentur, eo maior & illustrior fiat sacerdotij autoritas. Septem autem
 dies significant totum tempus huius seculi, quo nobis constitutum est
 tempus poenitentiae, & consecrationis in sempiternum sacerdotium.
 Nam cum Deus creauerit hunc mundum sex diebus, & septimo die
 quieuerit, Septenarius dierum numerus conuenienter adumbrat tem-
 pus huius seculi, in quo, qui cõsecrationem suam negligit, frustra pol-
 licebitur sibi in futuro seculo hereditatem sacerdotaliũ partium. Huc
 & illud conuenit, q; præcipitur, ut de hoc sacrificio nihil usq; mane
 reseruetur. Quod si, inquit, remanserit aliquid de carnibus impletio-
 nis siue de panibus usq; mane, combures igni. Non comedetur, quia
 sanctum est. Et Leuit. vij. Carnes eius eadem comedetur die, nec rema-
 nebit ex eis quicq; usq; mane. Idem supra de agno Pashali dictũ est:
 Non remanebit (inquit) quicq; ex eo usq; mane. Non em̃ est differen-
 da resipiscencia usq; in futurũ seculũ, sed hodie, hodie inquam, dum
 dies huius seculi & reuelati Euangelij illucescit, agenda est poeniten-
 tia, & credendum est in Christum, ut habeamus remissionem peccato-
 rum. In futuro enim seculo non erit reliqua hostia pro peccatis, sed ius-
 ta factorũ retributio, his quidem qui per fidem in Christum bene e-
 gerunt, uita æterna & gaudium coeleste, illis autem qui impoeniten-
 tes male egerunt, damnatio æterna, & ignis uehementia.

ET VITVLVM PRO PECCATO OFFERES SIN-
 GVLIS DIEBUS.)

Post consecrationem sacerdotum, sequitur consecratio altaris ho-
 locausti. Consecratur enim hoc altare duplici ritu, idq; septem conti-
 nuis diebus. Altero, oblatione uituli pro peccato. Altero, unctiõne *Altaris con-*
 chrisimatis. Atq; hac consecratione fit, ut hoc altare efficiatur sanctum *secratio.*
 sanctorũ, hoc est, sanctissimũ, quo solo publice & ordinare utendum
 sit ad holocausta, & ad reliqua sacrificiorũ genera. Vnde grauissime
 peccauit Ahaz, q; seposito tali altari quod postea a Salomone iuxta
 uerbum Dñi edificatum erat, reposuerit in locum eius altare iuxta ex-
 emplar altaris Damasceni ædificatum, quod etsi maius & preciosius
 erat ueteri altari diuina iussione instituto, tamẽ quia absq; uerbo dei
 constitutum est, tam ipsum q; holocausta eius, fuerunt coram Deo ab-
 ominatio, quemadmodum scriptum est iij. Reg. xvi. Atq; huius qui-
 dem caerimoniae obseruatio iuxta externam rationem, in politica Israe-
 litica necessaria fuit, ut tam autoritas q; concordia religionis conse-

uaretur, & homines assuefierent, in ijs rebus que ad religionem & salutem nostram pertinent, e solo uerbo Dei, non ex arbitrio humanæ rationis aut prudētie pendere. Sed si deflexeris oculos a politicis ad spiritalia, ibi tum inuenies, hoc altare holocausti & consecrationem eius fuisse uere pijs in Ecclesia Israelitica concionem de Christo Domino nostro, ut supra ostensum est. Etsi autem Christus sua natura nunquam non sanctus aut consecratus fuit, tamen nobis tunc consecratus esse dicitur, cum ad Iordanem, misso Spiritu sancto in specie columbe, reuelatus est, q̄ sit Christus, diuinitus ordinatus in expiationem & sacrificium pro peccatis nostris. Vnde sicut holocausta in lege non potuerunt legitime & ordinarie offerri, nisi in hoc solo altari, ita non est alia peccatorum expiatio nisi in solo Iesu Christo. Et ut sacrificia non fuerunt ordinarie Deo grata, nisi in hoc altari, ita nulla opera hominum Deo accepta sunt, nisi per fidē in Christum. Nam cum Christus seipsum obtulerit Deo in sacrificium, necesse habemus imitatores Christi esse, ac nostra etiam corpora offerre Deo in hostiam uiuentem, quemadmodum Paulus ait. Offerenda sunt autem corpora, non ut coniciamus ea pro nostro arbitrio in externum ignem, sed ut accomodemus corpora nostra iustitiæ, ut ad honorem Dei & bona opera faciamus, & aduersa toleranter patiamur. Atque hæc offerenda sunt Deo, non in expiationem peccatorum nostrorum, sed per fidem in Christum, uidelicet, credendum est, q̄ solus Christus expiauerit peccata nostra. Quæ autem nos aut bona facimus, aut mala patimur, ea sunt tantum declarationes fidei, & gratitudinis nostræ ei ga beneficia Christi. Cæterum, quod de altari additur: Omnis qui tetigerit illud, sanctificabitur, iuxta Hebræam ueritatem ita legendum est: Sacer sit, qui tangere uolet altare. Nulli enim de genere Sacerdotum licuit sacrificia in hoc altari offerre, nisi ante fuisset suis ritibus sanctificatus, & purificatus. Sic nullus potest Deo uere gratum officium facere, nisi fuerit fide in Christum purificatus. Sunt enim multi immundi, qui nec ueram fidem in Christum habent, ita omnibus flagitijs etiam externis contaminati sunt. Hi, etsi gloriantur nomine Christiano, & iactent cognitionem Euangelij, audiant tamen, quod in Psal. ii. scribitur: Peccatori dixit Deus: Quare tu narras iusticias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu uero odisti disciplinam.

HOC EST QVOD FACIES IN ALTARI AGNOSCIS AGNICVLOS DVOS.)

Ne quis existimet altare holocausti ad hunc tantum usum consecratum esse, ut in eo sacrificia ad consecrationem Sacerdotum offerrentur, addit scriptura in fine huius capituli, usum altaris solennem et quotidianam, Nam præter sacrificia consecrationis sacerdotalis, præter sacrificia

Christus ubi consecratus sit.

Christianorum sacrificia.

sacrificia etiam sabbatorum, Neomeniarum, Paschæ, Pentecostes, & aliarum id genus solennium festiuitatum, & celebritatum, necesse fuit singulis diebus duos agnos anniculos, alterum mane, alterum uespere, in altare holocausti, offerre, quemadmodum hoc loco, & Nume. xxviij. scribitur. Et additur unicuique agno mensura similæ, decima uidelicet pars Ephæ, & hæc decima pars alio nomine dicitur Gomor, ^{Gomor} mensura diurni cibi, quam Græci χοίρικα uocant. Porro hæc simila miscetur oleo contuso, quod habeat mensuram, quartam partem Hin, ^{Hin} Vnum quoque eiusdem mensuræ in libamen offeritur. Est autem Hin mensura continens duodecim ^{Log} Login. Et Log minima est mensura in aridis & liquidis, continens sex oua. Sic enim Hebræi pro suo more mensuræ genera per quæ explicant. Cum ergo hoc loco quarta pars Hin sumitur, facile intelligi potest, tantum sumi, quantum continet mensura trium Login, hoc est, octodecim ouorum. Sed quid sibi uoluit, inquit, tantus sumptus, ut plane uideatur, frustraneus? Vide enim mihi quot agnis hæc cærimonia cõstitit, cum mille quingentis plus minus annis, quibus Mosaica politeia durauit, singulis diebus duo agni cum simila & uino oblati sunt: Et tñ hic cultus non potuit expiare peccata. An non consultius fuisset hos agnos inter pauperes distribuere, quæ frustra, ut uidetur, igni absumere? Sed audi tu uicissim, quisquis hæc uel tacita cogitatione, uel manifesto sermone obijcis. Pauperibus quidem semper benefaciendum est, nec hic agnorum sumptus Israelitas intantum egenes redidit, ut præ paupertate non potuerint pauperes suos iuare. ^{agnorum sumptus, quantum utilitatis.} sed tantam utilitatem hic agnorum sumptus in Israel attulit, ut ea ne omnibus quidem huius seculi opibus comparari queat. Primum enim hæc cærimonia conseruata est auctoritas ueræ religionis in Israel, & publice testificatum est, quod Deus, qui hanc cærimoniam instituit, habitet in medio filiorum Israel, & sit clemens ac propicius Deus eorum. Sic enim scriptura ipsa in fine huius capituli hanc cærimoniam cum tabernaculo & sacerdotio interpretatur: Habitabo (inquit) in medio filiorum Israel, eroque eis Deus, ut sciant, quia ego Dominus deus eorum etc: hoc est, his cærimonijs iugis holocausti, adeoque totius sacerdotij, et tabernaculi, tanquam publicis sacramentis declarabo me præsto adesse Israelitis, me summo fauore eos complecti, & Rempublicam ac totam eorum salutem semper tueri, & conseruare. Quid autem; an non cognoscere & certificari, quod Deus nos amore suo complectatur, & tueatur nos in omnibus aduersis, superat omnes huius seculi opes, & diuitias? Quare maior fuit utilitas oblationis agnorum, quæ que tantillo sumptu comparari debeat. Deinde, hæc agnorum cærimonia fuit concio Euangelij de Christo in Israel. Sic enim Ioannes significat, cum de Christo dicit: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Et Petrus: Redemptus

non auro & argento, sed precioso sanguine, uelut agni immaculati, & incontaminati CHRISTI, Et alias panis ac uinum, quæ & ipsa adhibentur oblationi agnorum, significant Euangelion. Oleum autem adumbrat spiritum sanctum, cuius uirtute Euangelion radices agit in corde, & tam fidem quam fructus fidei affert. Nam in politia Mosaiica, erat quidem externa concio Decalogi instituta, id quod Iacobus, Acto. xv. significat, cum ait: Moses ab ætatibus antiquis in singulis ciuitatibus habet, qui ipsum prædicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur: Sed quia Christus nondum in carne aduenerat, non potuit in Israel tam perspicua concio Euangelij de Christo institui, quam nostro tempore, quo Christus aduenit, de Christo publice prædicatur. Quare spiritus sanctus id fecit, quod pro ratione temporis populo Israelitico tolerabile fuit, ac instituit iuge seu quotidianum agnorum sacrificium, ut esset loco concionis Euangelij de Christo, ac pñ sub his ritibus Christum, & Euangelion eius quotidie uterentur uiderent & audirent. De Abraamo Christus ait: Abraam exultauit ut uideret diem meum. Vidit & gauisus est: Sic certe & alij pñ uiderunt Christum sub cærimonijs legis, & ingenti gaudio affecti sunt. Per Christum enim Euangelio adnunciatum, contingit iusticia & uita æterna. Quis autem diuinarum rerum tantus contemptor esset, qui non iudicaret Euangelion de Christo, superare omnes huius mundi diuitias, ne dicam sumptum aliquot agnorum. Nam diuitie profunt non nihil, si modo profunt, ad euanidum splendorem huius seculi. Euangelion autem affert secum splendorem æternum. Diuitiæ nulli conferunt iusticiam, sed inuitant potius ad iniusticiam. Euangelion autem fide exceptū, non solum affert secum ueram iusticiam coram deo, sed etiam affert remissionem iniusticiæ, & non nisi in uiam iusticiæ nos deducit. Diuitiæ conijciunt homines in retia Satanæ. Qui uolunt (inquit Paulus) ditescere, incidunt in tentationem & laqueum, & cupiditates multas, stultas ac noxias, quæ demergunt homines in exitium & interitum. Euangelion autem explicat homines e laqueo Satanæ, & ducit ab interitu ad ueram & perpetuam salutem. Breuiter, diuitiæ neminem liberant a morte. Euangelion autem credentem ita in morte seruat, ut transmittat eum per mortem, in sempiternam uitam. Amen amen dico uobis (inquit Christus) si quis sermonem meum seruauerit, mortem non uidebit in æternum. Quare cum oblationes agnorum fuerint conciones Euangelij de Christo seruatore nostro, iniquissimum, ac impiissimum fuisset, tantæ utilitatis gratia, tantillum sumptum ferre noluisse. Atq; hic iterum uides, quod cum uersamur in explicandis cærimonijs legis, uersamur etiam in explicando Christo & Euangelio eius, & quod una & eadem sit religio nostra ac Patriar-

*Euangelion
in agnis ad
umbratum,*

*Diuitiarum
incommoda.*

*Euangelij re
ligio, uetere
ligio.*

de Patriarcharum, quodq; id Euangelion quod nunc prædicamus, non sit recens excogitatum, sed iam ante ab initio orbis terrarum sacrificijs adumbratum, uidelicet, q; per solum Iesum Christum habeamus remissionem peccatorum & uitam æternam, nec sit aliud nomen sub celo hominibus datum, in quo oporteat nos saluos fieri &c.

CAPVT XXX.

FACIES QVOQVE ALTARE INCENSI.)

Duo tantum ordinaria & legitima altaria in Repub. Israelitica ^{Altaria legitima in israel} diuinitus instituta fuere. Alterum æreum, ad holocausta, & id genus alia sacrificia deputatum, & in atrio collocatū, de quo supra cap. xxvij. Alterum aureum, thymiamati seu incenso deputatum, & in loco tabernaculi, qui sanctum dicitur, situm. Nam reliqua altaria, que aut Patriarchæ & Prophete ex uerbo Domini instituerunt, non perpetua & generalia, sed temporalia & personalia fuerunt, aut quæ hypocrite in excelsis, lucis, & in alijs locis sine uerbo Domini instituerunt, ea fuerunt impia, & coram Deo abominanda. Sola duo hæc altaria holocausti & incensi, fuerunt legitima & ordinaria. De altari igitur incensi ^{Altare incense} nunc dicendum est. Hoc iubet Dominus facere e lignis Sethim, & atro obducere. Vfus autem eius is fuit. Primum, ut Sacerdotes adolerent in eo incensum singulis diebus, mane & uesperis. Deinde ut summus Sacerdos semel tantum in anno (uidelicet in festo expiationis, de quo Leuit. xvi.) sanguinem uituli & hirci ponat super cornua eius, eoret pro peccatis filiorum Israel. Ad hæc, non licebat super hoc altari aliud incensum adolere, præterq; id, cuius compositio in fine huius capituli describitur, nec licebat super eo offerre holocaustum, oblationem, aut libamen. Præterea, non licebat aliud altare in alijs locis, ad adolenda thymiamata instituere. Vnde peccauerunt, qui instituerunt altaria incensi in excelsis, & lucis, etsi bona opinione id fecerunt. Postremo, non licebat cuiq; alterius familiæ, præterq; Sacerdotalis ordinis, in hoc altari thymiamata adolere. Vnde Korah & alij horribiliter puniuntur, qui incensum sine legitima uocatione adolebāt. Num. xvi. Et grauissime reprehenduntur Ierobeam, rex Israel, & Vfas rex Iuda, q; contempta ordinatione Dei, usurparint officium adolendi incensi. Vide iij. Regum. xij. & ij. Chroni. xxvi. Hæc igitur de altari thymiamatis, iuxta externam rationem sic constituta & ordinata fuerunt, ut omnia in Repub. Israelitica decenter & secundum ordinem fierent. Iuxta spiritualem autem rationem, non fuerunt hæc ceremoniæ adolendi thymiamatis institutæ, ut dignitate & merito huius operis ira Dei placaretur, & peccata expiarentur. Nam cum hypocritæ his ritibus

sic abuterentur, dictum est per Esaiam cap. i. Incensum abominatio est mihi. Et cap. lxvi. Qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo: Sed fuerunt institute, primum, ut hoc ceu sacramento piij intelligerent Deum misericordem & clementem esse, ac pro peccatis placari posse, non quidem humana, sed alia quadam iustitia. Deinde, ut hæc cærimonix essent catechismus quo erudirentur piij, quæ sit uera ratio piæ orationis, quæ est per fidem in Christum, qua Deus placari queat: Nam, his omnibus ritibus, quibus sacrum thymiamatis constitutum & peractum est, spiritus sanctus summatim nihil aliud significare uoluit, q̄ quod Christus in Euangelio Ioann. xvi. disertis uerbis ait: Amen amen dico uobis, quæcunq̄ petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Et alias: Quicquid petieritis nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur pater per filium. Altare enim Christum significare, ex epistola ad Hebræos notum est. Thymiamata uero seu incensum adumbrare orationem, scriptura ipsa explicat, Psalm. cxxx. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, eleuatio manuum mearum sacrificium uespertinum. Et in Luca, cū Zacharias adoleret incensum, factus est compos orationis suæ, & audit ab angelo: Exaudita est deprecatio tua. Quo manifeste significatur sacrum incensi adumbrasse orationem. Vnde & Euangelista addit: Omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi. Carbones sunt fides, qua oratio ita inflammatur, ut fumus eius nubes penetret. Quod autem singulis diebus, mane & uesperis incensum fuerit thymiamata, admonet nos, ut non defatigemur in oratione, sed sine intermissione oremus, Lucae xvij. & i. Thess. v. Sed quod semel tantum in anno summus sacerdos posuerit sanguinem uituli & hirci super cornua altaris huius, & sparserit eum super altare, in festo expiationis, significauit ipsum oratiōis opus per se non expiare peccata nostra, sed ualere tantum propter Christum, qui per proprium sanguinem ingressus est semel in sancta, æterna redemptione inuenta, quemadmodum in epistola ad Heb. cap. ix. explicatur. Idem etiam docet is ritus, quo non licuit super hoc altari aliud præter ordinarium thymiamata offerre. A Domino enim precanda sunt ea, quæ secundum, non quæ contra uerbum Dei sunt. Et precanda sunt hac fide, non ut sentiamus ipsum oratiōis opus esse holocaustum pro peccatis, sed solum Iesum Christum esse meritum nostrum, quo audeamus deum ut patrem inuocare. Iam, nec hoc ociosum erat, q̄ non licebat aliud altare, in alijs locis ad adolendum thymiamata instituere, quia oratio non ex fide in Christum, sed uel ex præsumptione humanæ iusticiæ, uel ex fiducia humanæ potentiæ, aut etiam ex fiducia sanctorum, profecta, non potest esse Deo accepta, nec exauditur. Nam q̄ solis tantum sacerdotibus licuerit incensum in hoc altari adolere, significat

Oratio per
 thymiamata si
 gnificatur.

nificat nullum incredulum posse orationem Deo gratam habere. Soli enim credentes in Christum, ueri & spirituales sunt sacerdotes, qui bus per Christum licet oratione sua intrare in penetralia Dei, & inuocare Deum ut patrem. Habes igitur caerimonias thymiamatis nihil aliud fuisse, quam catechismum piæ & efficacis coram Deo orationis per fidem in Christum. Et cum Christus nunc reuelatus sit, diligenter quidem orationis uis publice explicanda, & sua pædagogia commendanda est, Mosaicæ autem caerimonix in adolendo thymiamate, ut suo fato abrogatæ sunt, ita non sunt iterum in publicum usum reuocandæ.

Thymiamatis caerimonie, fuerunt iudeis catechismus orationis.

QUANDO TU VLERIS SUMMAM FILIORUM ISRAEL.)

Quæ supra de tabernaculo, de instrumentis eius, de sacris, & alijs rebus ad ordinandam & conseruandam publicam religionem in Israel commemorata sunt, ea certe non mediocrem sumptum requirunt, ut iuxta uerbum Domini perficiantur. Nunc igitur docet Dominus Moſen, unde tantus sumptus accipiendus sit, & iubet ut unusquisque Israelita, annos uiginti & supra, natus, cõferat ad sumptum tabernaculi & sacrorum eius, dimidium Sicli. De Siclo autem hæc traduntur. Alius fuit Siclus uulgaris, alius ecclesiasticus, quem scriptura Siclum sanctuarij uocat. Et is fuit duplus ad uulgarem Siclum. Porro uulgaris Siclus continet duas drachmas, seu duos denarios, qui ualent fere quarta parte aurei Renani. Ecclesiasticus continet quatuor denarios, hoc est, dimidiam partem aurei Renani. Scriptura hoc loco, similiter Num. iij. & Ezech. xxxv, dicit ecclesiasticum Siclum continere uiginti, quod Chaldeus interpretatur *יָצַד*, Græcus *ὀβολός*. Ac Hebræi sentiunt *יָצַד*, hoc est, obolum continere pondus sedecim granorum hordeaceorum. Cum igitur singuli Israelitæ iubentur in sumptum sanctuarij conferre singulos dimidiõs Siclos ecclesiasticos, quorum totus duplus est ad uulgarem, manifestum est, ab unoquoque quartam fere partem aurei Renani exigi. Deinde iubetur obseruari equalitas conferendi. Diues, inquit, non addet ad dimidium Sicti, & pauper nihil minuet. Adhæc sentiunt Hebræi, hanc dimidij Sicti collationem non semel tantum, sed singulis annis a Singulis Israelitis in festo propiciationis factam esse. Postremo additur, Susceptam pecuniã propiciationum a filijs Israel, trades in cultum tabernaculi testimonij, ut sit MONIMENTVM eorum coram Dño, & PROPICIETVR animabus eorum. Quid ergo dicemus? num Deus non meminit Israelitarum, nec curam eorum egit, nisi admonitus dimidio Siclo? num tantilla pecunia reconciliauit Israelitas cum Deo, & ut paulo ante scriptura dixit, auertit plagam Dei ab Israelitis? Sed Deus non capitur

Siclus quilibet sit.

humanis muneribus. Quare quę hęc dicuntur, pro analogia rectę fidei dei intelligenda sunt. Primum enim Deus dicitur meminisse priorę Sicli e Natio, & fauere eis, propter collationem Sicli, non quę quam uilitatem attulerit, sed quę qui conferebant dimidium Siclum iuxta ordinationem Dei, hi reputabantur in numero populi Dei, & iudicabantur participes omnium promissionum Dei, quę ad Abraamum & posteros eius de terra Canaan, & de tota gloria populi Israelitici dictę erant. Vnde in collatione Siclorum equantur diues & pauper, propterea quod in numero populi Dei non minus pauper quę diues de progenie Abraam contineatur. Cum enim Deus dicit ad Abraamum: Ero Deus tuus et serminis tui post te, non facit discrimen inter pauperem & diuitem de semine Abrahę. Sed omnes, tam pauperes quę diuites, tam ignobiles quę nobiles, ex æquo comprehendit, & se Deum eorum fore pollicetur. Quod si uero quis Israelita noluit uel ex auaritia, uel e contumacia, uel ex alio quodam malo affectu partem Sicli sui ad sumptum tabernaculi iuxta diuinam ordinationem conferre, is satis perspicue significauit se esse impium, & contemptorem religionis, ac diuinarum ordinationum, nec peccauit tantum affectu coram Deo, uerum etiam peccauit facto coram hominibus, quia fraudauit Remp. quod est genus perculatus, aut etiam sacrilegij. Qui autem hęc scelera designat, quomodo posset habere Deum placatum, et effugere supplicium Dei. Recte igitur dicitur, dabunt singuli propiciationem pro animabus suis, ut non sit plaga in eis. Et ut sit monumentum eorum coram Domino, & propicietur animabus eorum, quia qui recusabant dare, non reputabantur in numero populi Dei, & iudicabantur, a Deo ipso abiecti. Memorabile institutum, unusquisque ciuium ac subditorum admonetur, ut publica tributa diligenter et sine fraude cõferat. Peccat quidem magistratus, qui publicam pecuniam delitijs & uoluptatibus dissipat, ac miseros subditos deglubit. Subditorum autem est tributa, uectigalia, et id genus alia, ad conseruandam Remp. liberaliter conferre. Qui enim fraude aliquid de his subducit, is non designat simplex genus furti, sed quia Remp. defraudat, peculatum committit. Deinde hęc Sicli collatio adumbrat etiam spiritualem communionem, quam pii omnes in Christo habent. Cum enim sanguis Christi sit precium redemptionis nostrę, & placatio irę diuinę, per Siclum recte intelligemus preciosum sanguinem Christi. Itaque qui uoluerit esse de numero populi Dei, & habere Deum propicium, ac effugere plagam sempiternam, necesse habebit cõferre partem Sicli, hoc est, credere, quę sanguis Christi sit pro peccatis suis effusus. Atque hoc æqualiter ab omnibus tam pauperibus quę diuitibus exigitur, quia in Christo Iesu nec est pau-

est pauper nec diues, sicut nec masculus nec foemina, sed ut omnes in Christo, unum sumus, ita sanguis Christi aequaliter pro omnibus effusus est. Deinde, quia fides in Christum naturaliter suos obedientiae fructus profert, ideo qui uoluerit esse particeps bonorum fidei, & hereditatis coelestis, necesse habebit in Ecclesia suam Sicli partem tribuere, hoc est, uocationi Dei obedire, & bonos fidei fructus proferre. Et requiritur obedientia fidei aequaliter ab omnibus, siue diuitibus siue pauperibus, siue dominis siue seruis. Non est (inquit Paulus) respectus personae apud Deum, sed unusquisque, quod fecerit boni, hoc reportabit a Deo, siue seruus fuerit siue liber.

Eph. 6. 6

FACIES ET LABIUM AENEVM CVM BASI SVA.)

Pro labio Hebraeus habet לַבַּיִת quod est $\text{לְרַחֵץ$ uas lotioni accommodum. Et Graecus λουτήρα lauacrum. Fuit autem hoc lauacrum in hunc usum inter tabernaculum & altare positum, ut immissa aqua, Aheron & filij eius sacra facturi lauarent manus & pedes suos. Et additur seuerissima comminatio. Ne moriantur, inquit. Ergo ne illotis manibus ac pedibus sacra tractare morte dignum est? An non Deus requirit magis internam quam externam mundiciem? Recte. Sed exigitur etiam externa mundicies, non quia hac uera mundicies constat, sed quia est publica honestas, & pedagogia qua admonemur & exercemur ad sectandam ueram animi puritatem. Prophanus autem mentis est, publicam honestatem negligere, et nullo exercitij genere ad ueram mundiciem contendere. Quare, qui illotis manibus ac pedibus sacra tractauerit, ut animi sui prophanitatem manifesto argumento declarat, ita se dignum ostendit, qui non solum e communionem sacrorum, uerumetiam e contubernio hominum, morte eiciatur, ut interim non addam, etiam uerbi Dei, quo lotio manuum & pedum hoc loco ad facienda sacra exigitur, contemptum, morte dignum esse, etiam si res ipsa uerbo Dei praecipitur, minimi momenti esse uideatur. Porro, ut species quaedam sacrificiorum, ita etiam aliarum caerimoniarum, a Patriarchis ad gentes deriuatae sunt.

Mundicies
externa.

Hesiodus de lauandis manibus priusquam sacra accesseris, ita ait:

$\text{Μηδ' ἐποτρ' ἄρ' ἠοῦς δι' εἰ λείβειν ἄισοπα οἶνον}$
 $\text{Χερσὶν ἀνίπτουσι, μηδ' ἄλλοις ἀθανάτοισιν.}$
 $\text{οὐ γὰρ τοιγε κλύουσιν, ἀποπτύουσι δὲ τ' ἀγὰς.}$

Nunquam mane loui, aut alijs dijs libes ardēs uinum illotis manibus. Non enim audiunt sed abominantur preces, uidelicet si sacra irreuerenter accesseris. Caeterum, postquam Christus aduenit, nihil nobis externarum lotionum praescribitur, sed quantum quidem ad externam mundiciem attinet, sectandum est rectum humanae rationis iudicium.

um, quæ satis industria est, ut cognoscat, quid sit e publica honestate. Quantum autem attinet ad spirituales mundiciem, propositus est nobis baptismus Christi, quo nisi quis lotus fuerit, non potest ad tractanda sacra legitime accedere. Nisi enim quis lauacro aquæ per fidem in Christum, a peccatis suis purgatus fuerit, nihil uere sacrorum facere potest, non inuocare Deum, non diligere proximum, non pacienter ferre aduersa. Hæc enim sacra sunt, quæ Deus a nobis, puris & sanctis exigit.

SVME MIHI AROMATA PRIMAE MYRRHAE.)

*Chrysmatis
significatio*

Supra iussit Dominus Mosen consecrare Aheronem chrysmate, et hoc loco iubet eum tabernaculum, arcam testamenti, mensam, candelabrum, altaria & lauacrum, consecrare chrysmate, seu oleo unctionis. Docet igitur nunc, ex quibus rebus sacrum chryσμα confici debeat. Conficitur autem e preciosissimis aromatibus, ac seuerissime mandatur, ne hoc chryσμα, aut aliud huic simile, in usus prophanos usurpetur. Caro hominis, inquit, non ungetur eo. Et quicumque tale composuerit (ad prophanum uidelicet usum) aut dederit ex eo alieno, exterminabitur de populo suo. Atque hæc seueritas externæ obseruationis necessaria fuit in Repub. Israelitica, ut sacra non prophana tentur, & ministerium ecclesiasticum non uilesceat. Significatione autem chryσμα concionatur de spiritu sancto. Hic enim ornatus est honestissimis uirtutibus, quæ sunt odoratissima aromata, & ut ipse se ab omni prophanitate longissime abest, ita quoscumque attigerit, eos non solum abducit ab omni prophano peccatorum usu, uerum etiam consecrat in sanctissimam omnium diuinorum bonorum hereditatem. Quicumque inquit Paulus, spiritu Dei ducuntur, hi sunt filij Dei. Quod si filij, igitur & hæredes &c.

SVME TIBI AROMATA STACTEN.)

*Thymiamati
in confectio.
& adumbratio.*

Conficitur & thymiamata seu incensum ex odoriferis aromatibus, et eadem seueritate mandatur, ne quis talem compositionem in prophanum suum usum faciat. Quicumque, inquit, fecerit simile, ut odore illius perfruat, peribit de populo suo. Atque hæc pædagogia, iterum monet, ne sacra prophana tentur, neue ecclesiasticum ministerium ludibrium & contemptui hominum exponatur. Et quia thymiamata adumbrat orationem, quemadmodum supra indicauius, ideo seueritas huius ceremonie docet, non quod liceat tantum in templo, & non domi orare. Vbi que enim Deus inuocandus est, sed quod non liceat orationem transferre in prophanum usum, uidelicet, ad uenandam humanam gloriam, quod hypocrite faciunt. Illi solent (inquit Christus) in conciliabulis et angulis platearum stantes orare, quo conspicui sint hominibus. Hoc certe est prophanare sacrum thymiamata, quod hoc loco tam seueriter prohibet

Prohibetur, ut etiam morte dignum iudicetur. Legitimus autem orationis usus est, ut ex fide inuocemus Dominum, quo subueniat nobis in afflictionibus, propter Christum. Atque hoc est sacrum thymiana in solo tabernaculo legitime usurpare.

CAPVT XXXI.

ECCE VOCAVI EX NOMINE BESELEEL.

Multa & uaria de construendo tabernaculo & uasis seu instrumentis eius, itē de conficiendo uestitu sacerdotali mandata sunt, quæ, ut recte iuxta sententiam Dei fiant, singularem ingenij industriam requirunt. Nunc igitur designantur diuinitus ingeniosi artifices, nomine Besaleel, & Ahaliab, ut hi, tanquam magistri seu prefecti, operam dent, quo omnia, quæ ad constituendum tabernaculum & cultum Dei pertinent, iuxta præscriptum uerbi Dei conficiantur. Ac principio obseruandum uenit, quod Dominus dicit: Vocauit Besaleel ex nomine. Et postea: Dedi ei socium Ahaliab. His enim uerbis significat Besaleel ars sex. Dominus, se tantam nostri curam agere, ut etiam nomina nostra, quibus alioqui nihil uanius est, teneat, & ex nominibus nos agnoscat. Felicem se iudicat, qui in tantam uenit claritudinem, ut non tantum de facie, sed etiam ex nomine suo, Romano Imperatori, aut alij Monarchæ notus sit: quanto autem felicior iudicandus est, quem Deus, summus omnium Monarcha ex nomine suo nouerit. Vnde Dominus consolaturus Israel, apud Esaiam capite xxxiiij. ait: Noli timere, quia redemi te, & uocaui te NOMINE TVO. Et ca. xxxix. Christus ait: Dominus ab utero uocauit me, de uentre matris meæ recordatus est nominis mei. Similiter apud Lucam cap. x. inquit: Gaudete quod nomina uestra scripta sunt in caelis. Discit autē, ut ita loquar, Deus nomen nostrum, si nos nomen nostrum Christo tradiderimus, et Christo per fidem coniuncti simus. Quare dabimus operā, ut membra Christi efficiamur, & ut nomen nostrum impietatibus ac flagitijs non sordidemus, ne non tam apud homines, quæ apud Deum nomen nostrum foeteat. Deinde cum Dominus de Besaleel ait: Impleui eum spiritu Dei, sapientia & intelligentia & scientia. Et mox, de alijs artificibus: In corde omnis sapientis dedi sapientiam, ut faciant cuncta que precepi tibi, perspicue indicat, non solum iustitiā et pietatem, sed etiā Opificiorum ars, donum Dei. industriā exercendi opificij esse donū Dei, & opus spūs sancti, quem admodum etiā supra ostēdimus. Quare & in discendis opificijs deus pro dono suo inuocandus est, & in consecuto iam dono Dei pie ambulandum est, ne hoc spiritus sancti donum transferamus ad organum Satanae, & abutamur eo ad imposturas, aliasue iniquitates.

VIDETE VT SABBATVM MEVM CVSTODIATIS:

De Sabbato supra pluribus tractatum est. Meminit autem Dominus iterum Sabbati hoc loco, ut auctoritatem eius confirmet, & ut exponat sabbatum eadem sacramenti ratione institutum esse, quae tabernaculum & totus diuinus cultus, qui iam commemoratus est. Dicit enim: Videte ut sabbatum meum custodiatis. Quare: quia signum seu sacramentum est inter me & uos in generationibus uestris, ut sciat is quia ego Dominus, qui sanctifico uos. Et mox: Ipsum est signum aeternum inter me & filios Israel. Hec ratio repetitur postea in Ezech. cap. xx. Sabbata mea (inquit) dedi eis ut esset signum inter me & eos, & scirent, quia ego Dominus sanctificans eos. Nam quemadmodum tabernaculum & cultus eius diuinitus in Israel instituta fuerunt, non ut operibus horum cultuum ira Dei placaretur, & peccata expiarentur, sed ut essent sacramenta, quibus certo cognoscerent, Deum Israelitis fauere, & quibus ueram fidem in Deum discerent, ut ex fide iustificationem consequerentur, ita institutum est etiam sabbatum, non ut Israelitae externo ocio mererentur fauorem Dei, & remissionem peccatorum, sed ut esset sacramentum, quo agnoscerent, Deum completi Israelitas fauore suo, & uelle eos sanctificare per uerbum suum, quod in Sabbato ut publice ita maxime omnium tractandum erat. Non enim est sanctificatio nisi a Deo per uerbum suum. Quare, cum Deus sabbatum, quo praecipue uerbum eius tractandum est, instituit, perspicue significat, se hunc solum esse, qui per uerbum suum credentes sanctificet, & a quo solo omnis sanctificatio petenda sit. Ceterum obseruatio sabbati maxima seueritate exigitur. Qui polluerit illud, morte morietur. Et iterum: Qui fecerit opus in eo, peribit anima illius de medio populi sui. Et mox: Omnis, qui fecerit opus in hac die, morietur. Quid ergo sibi uult tanta Dei seueritas in exigendo sabbato: num Deus ocio in tantum delectatur, ut malit hominem occidi, quam non ociari? Minime. Deus enim alias damnat ocium, propterea quod sit multorum malorum occasio. Ocium autem sabbati tanta seueritate exigit, ut conseruet auctoritatem Ecclesiastici ministerij, ut ostendat, quanta sit necessitas audiendi uerbi Dei, quod sabbato tractandum est, utque perspicuum faciat, quod necessarium sit, ut ab ipso solo per uerbum suum sanctificationem & iusticiam petamus. Quid autem sit de Dominico die sentiendum, quem maiores nostri in locum Sabbati surrogarunt, supra copiose dictum est.

DEDIT ITAQUE DOMINVS MOSI, COMPLETIS HVIVSCEMODI SERMONIBVS.)

Quae praecipua sunt in religione Israelitica, & cultu tabernaculi constituenda, ea sunt in superioribus capitibus ex ordine descripta.

Nam

Sabbati insti
tutio.

Sabbati ob
seruatio.

Nam que ad huc reliqua sunt, ad cultum diuinum pertinentia, de ritibus sacrificiorum, & alijs sacris ac cærimonijs, eã copiose describuntur in Leuitico & Numeris. Postquam igitur Dominus finem fecit dicendi ea, quæ uoluit de tabernaculo & cultu eius commemorare, dedit Mosi duas lapideas tabulas, in quibus Decalogus conscriptus erat, non humano sed diuino opere. Quid ergo est, quod Deus conscripsit decalogum potius in lapideas, quã in ligneas aut papyraceas tabulas? Si externa consideraueris, uoluit Deus his saxeis tabulis significare stabilitatem & firmitudinem legis suæ. Vt enim gentes incidebant leges suas in æs, quo significarent eas debere esse inuiolatas, ita Deus insculpsit Decalogum suum in lapides, ut declararet se potius cælum & terram aboliturum, quã Decalogum suum. Si uero sententiam spiritus sancti *μυσικὸν ἔργον* considerare uolueris, scriptus est decalogus in lapides, ut sensibili tabularum duritie exprimeretur durities humani cordis ad obediendum & satisfaciendum legi. Tamen si enim humanum ingenium aliquo modo tractabile sit ad faciendam ciuilem honestatem, unde & parentes & magistratus diuinitus ordinati sunt, ut ferotiam humani ingenij pro sua uocatione doment, attamen ad faciendam perfectam iustitiam, qualis à lege Dei exigitur, tam intractabile est humanum ingenium, ut ne possit quidem, quemadmodum Paulus ait, legi Dei subdi. Quare Dominus promittit per Ezechielem, se reiecto ueteri corde hominum, nouum creaturum, ut legi Dei recte obediant. Auferam, inquit, cor lapideum, de carne eorum, et dabo eis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio eorum, & faciam ut in præceptis meis ambulent, & iudicia mea custodiant. Aufertur autem cor lapideum, & redditur carneum, cum donamur per fidem in Christum spiritus sancto, qui primũ efficit, ut reputemur iusti coram Deo propter Christum, deinde ut exerceamus etiam iustitiam coram hominibus, ac in uocatione Dei ita ambulemus, ut omnia nostra bona opera, etsi adhuc aliqua ex parte per se imperfecta sunt, Dominum tamen Deo nostro placeant.

Decalogi tabulæ

Ezech. ii. 10.

CAPVT XXXII.

VIDENS AUTEM POPVLVS QVOD MORAM FACERET.)

In hoc capite recensetur memorabile illud peccatum, quod Israelitæ uitulo aureo designarunt. Quare, ut recte intelligamus, quale peccati genus hoc fuerit, primum omnium explicabimus, quid per deos, quos populus iubet Aheronem facere, & de quibus dicunt: Hi sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti, intelligendum sit. V

dens (inquit) populus q̄ moram faceret Mose descendendi de monte, congregatus aduersus Aheron, ait: Surge, fac nobis deos, qui nos precedant &c. Si hec, & quę sequuntur: Hi sunt dñi tui Israel, ^{נאלא גילון} ita intelligere uolueris, q̄ Israelitę postulauerint eiusmodi deos, quos ueros colerent & adorarent, nã tu ex Israelitis non solum sensu communi carentes, uerumetiam truncos ac stipites facis. Quę enim humana mens tam stupida est, ut sentiat, q̄ homo quispiam, possit deum facere? aut quomodo potuissent Israelitę in animum suum inducere, ut crederent, hunc uitulum eduxisse ipsos de terra Aegypti, cum eo tempore quo liberati sunt, hic uitulus nõdum formatus erat? Quare quę de dñs hoc loco dicuntur, ^{נאלא די ווערען} potius, q̄ ^{נאלא גילון} intelligenda sunt. Nam uocabulum ^{דוהר} quod hoc loco ponitur, & pro dñs exponitur, uaria significata habet. Non enim tantum significat Deum ipsum cœlestem; uerumetiam significat cultum Dei, seu sacra in honorem Dei instituta. Vnde in prima lege Decalogi dicitur: Non habebis deos alienos coram me. In qua lege pro dñs alienis, nõ tantum intelligi debent dñi gentium facticij, uerumetiam cultus & sacra ad honorem quidem Dei usurpata, non autem uerbo Domini præscripta aut instituta. Hinc & prophete toties accusant Israelitas idololatricę, quod colerent alienos deos, hoc est, q̄ usurparent ad colendum uerum Deum, qui ipsos ex Aegypto eduxerat, aliena sacra, quę Deus uerbo suo non præceperat, sed potius prohibuerat. Iuxta hanc igitur uocabuli deorum significationem, etiam uerba populi in hoc loco de uitulo intelligenda sunt. Fac (inquiunt) nobis deos qui nos præcedant, hoc est, quia Mose cessat, & non est consultum nobis, ut sine publicis sacris per desertum ad terram nostram pergamus, tu igitur institue nobis publica sacra, quę facientes, gratiam Domini Dei nostri ita mereamur, ut præcedat nos in deserto, & tueatur nos, ac ducat incolumes in terram Canaan. Sic & illud intelligendum est, quod dicunt, uitulo iam confecto: Hi sunt dñi tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti, hoc est, iste est uere diuinus cultus, propter quem meremur gratiam Dei nostri, qui nos de terra Aegypti eduxit. Nam, quod hec fuerit sententia Israelitarum, si non omnium (quomodo enim in tanta hominum colluue non fuissent aliquot aut plane uecordes, aut prorsus ^{אדווער?}) certe prudentissimorum, & eorum qui uolebant maxime omnium pñ uideri, perspicue significat Aheron, cum clamaret: Cras festum ^{דוהר} est. Qua uoce palam indicat, hec sacra, uidelicet institutio nem uituli aurei, hococausta et uictimas, usurpanda esse ad honorem ueri Dei, qui ipsos liberauit ex Aegypto, & propter quę sacra merentur gratiam & fauorem ueri Dei, qui creauit cœlum & terram. Si enim domino gratum est sacrificium uituli carnei, quanto magis grata erit ei

Dij alieni qui sunt

erit ei oblatio uituli aurei. Hæc cum ita sese habeant, excutiamus nunc peccatum Israelitarum. Nam paulo ante promulgatus erat Decalogus magna maiestate, in quo perspicue præcipiebatur, ne alieni dii colerentur, aut ne ulla sacra præter quæ uerbo Dei præscripta usurparentur. Præterea, conuenerat publico foedere inter Deum & Israelitas, ut tam civilis quæ ecclesiastica Respub. eorum institueretur & gubernaretur iuxta uerbum Domini, per Moſen a Deo audiendum, & populo manifestandum, quemadmodum Exod. xx. & xxiiij. scriptum est. Nunc autem neglecto tam Decalogi præcepto, quæ publico foedere, non solum postulant aliena sacra, uerumetiam contemnunt ac fastidiunt Moſen liberatorem ipsorum. Fastidiose enim dicunt: Moſi uiro huic, qui nos eduxit de terra Aegypti, ignoramus quid acciderit. Quid ad nos Moſe: fortassis mortuus est. Quod si nunquam rediret ad nos, num nobis semper sine sacris uiuendum esset? Primum igitur peccant grauissime aduersus primam legem Decalogi, in qua perspicue mandatum erat, ne aliena sacra usurparentur. Quæ lex non tantum magna maiestate commendata fuit, uerumetiam seuerissima comminatione munita erat. Ego sum (inquit) Dominus deus tuus fortis, zelotes, uisitans iniquitatem patrum in filios, tertia & quarta generatione. Deinde peccant in publicam ipsorum fidem, ac efficiuntur fidefragi, propterea quod aduersus publicum foedus suum, quod paulo ante inierant, ad constituenda aliena sacra contendunt. Ad hæc peccant non solum externo opere, uerumetiam impijssima opinione, quod affectent, & instituant sacra, propter quæ mereantur remissionem peccatorum, & gratiam Dei. Hic iam manifesta fit impietas cordis eorum, quod nec promissiones dei ad Abraam de benedicto semine dictas, nec finem Decalogi recte intelligant, sed adhuc sentiant se tanta præditos iusticia, ut possint suis operibus ac uirtutibus iram Dei placare, gratiam Dei mereri, & foelicitatem consequi. Hæc summa est in Deum impietas, nec potest uerbis satis explicari. Postremo peccant non solum aduersus Deum impietate, sed etiam aduersus proximū contemptu, uidelicet, aduersus Moſen benefactorem & seruatorem ipsorum. Itaque una alienorum sacrorum postulatione & obseruatione, totam legem Dei uiolant: Proponitur autem nobis peccatum Israelitarum, ut ex ipso cæcitatem nostræ etiam mentis ac malitiam nostræ naturæ agnoscamus, & resipiscamus. Illi enim non contenti Decalogo, & uerbo diuinitus reuelato ac confirmato, aliena sacra quærunt. Nos autem reiecto uerbo Dei, longe alia bona opera excogitamus, quam nobis præcepta sunt, ac semper magis allubescunt nobis, quæ in sacris ipsi humana prudentia commenti sumus, quam quæ Deus præscripsit. Illi tot concionibus & miraculis nondum didicerant, unde uera salus petenda esset. Sed cum

*Peccatores
tam israelite
quam christi
ani.*

quadraginta diebus non uiderent ulla sacrificia ob oculos posita, continuo clamant, actum esse de religione, & nullam esse reliquam salutem, nisi instituantur sacra ad demerendam gratiam Dei. Nos autem tot Euangelij concionibus de uera iustificatione fidei nondum eruditi, aut existimamus nobis uniuersam salutem ereptam, cum ex oculis nostris hypocritica Missa sublata est, aut quodcunque bonum operis fecerimus, impia sordidamus opinione, quod sit meritum remissionis peccatorum, & uitæ æternæ. Illi contempto Mose, arrogant sibi ipsi auctoritatem & scientiam instituendi uera sacra, ita nos contempto ministerio, & auditu uerbi Dei, nobis ipsis satis ex humana ratione sapere uidemur, qui optime sciamus, qua sit pergendum in iusticiam, & ad uitam sempiternam. Vides eandem propemodum impietatem, in Israelitis & in nobis. Reliquum igitur est, ut nisi respiscamus, eodem quoque supplicio afficiamur.

DIXIT AD EOS AHERON, TOLLE IN AVRES.)

Peccauit etiam Aheron grauissime. Quanquã enim libenter debeamus, non sanctos tantum, uerumetiam omnes alios homines excusare, & facta eorum pro uirili nostra in meliorem partem interpretari, eorum tamen facta, quæ spiritus sanctus reprehendit, excusare & defendere, nihil certe aliud est, quã spiritui sancto contradicere & resistere. Cum igitur scriptura seuerissime reprehendat et arguat factum Aheronis, quod hoc loco designauit, non licebit nobis in excusationem peccati eius quicquã prætexere. Nam Mose in hoc capite postea ad Aheronem, maxima indignatione commotus dixit: Quid tibi fecit hic populus, ut induceres super eum peccatum maximũ. Qua uoce Mose totam pene culpam peccati in Aheronem reijcit. Et quanquam Aheron studeat culpam a se in populum transferre, Deus tamen non agnoscit eam excusationem. In Deut. enim cap. ix, ita ait Mose: Aduersus Aheron uehementer iratus Dominus, uoluit eum contere, & pro illo similiter deprecatus sum. Sit sane ita, quod Aheron initio restiterit furori Israelitarum, quemadmodum ipse coram Mose affirmare uideatur, cessit tamen mox impietati eorum, nec cessit tantum, uerumetiam administer fuit impietatis, ac non solum consensu, sed & uoluptate quadam animi delectatus est impietate. Dicit enim scriptura: Vidit Aheron, & edificauit altare & clamauit dicens: Cras festum Domini est. Hoc uidere non simpliciter intelligendum est, sed iuxta phrasim scripturæ exponendum erit, pro magna animi uoluptate affici & delectari. Aheron enim cum uideret populum studiosissime conferre in aures ad nouum cultum Dei, ac uehementer delectari uitulo ad honorem Dei instituendo, mirum in modum sibi placuit, quod haberet ecclesiam non solum tam obedientem, uerumetiam tam religiosam, & cui

Aheronis
peccatum.

Videre in
scriptura.

tu diuino tam deuote deditam. Sed hac in re tantum peccatum committit, ut & deiectione a summo sacerdotio & morte & aeterna damnatione dignus iudicetur. Discamus igitur in Aherone deum timere, & in uocatione Dei sollicitate ambulare. Primum enim Aheron nec furatur nec latrocinatur, attamen consensu & administratione alieni cultus diuini tantum peccatum designat, ut extremum mereatur supplicium. Ergo discamus externa furtorum & latrociniorum, ac id genus aliorum facinorum peccata, non tantum peccata esse, quemadmodum uulgius putat, sed spiritualia peccata his coram iudicio Dei longe grauiora esse. Melior, inquit, est obedientia quam uictime, & auscultare magis quam offerre adipem arietum, quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. Deinde Aheron uir erat sanctissimus, ac non solum præditus spiritu sancto, uerum etiam familiariter conuersatus cum ipso Deo, quo cum sæpenumero collocutus erat, & cuius uirtute multa miracula ædiderat, quemadmodum supra ostensum est, attamen hoc loco in tam horrendum peccatum incidit, ut & mortem & eternam damnationem mereatur. Et unde, obsecro, tam sancto uiro tam grauis casus accidit? certe non aliunde, quam quod auertit oculos suos a uerbo Domini, & deflectit eos ad iudicium humane rationis, ac fauorem uulgi. Timeamus igitur deum, & non confidamus nostra sanctitate aut dignitate, sed ponamus nobis ob oculos uerbum Dei, a quo ne latum quidem unguem discedere nobis permittamus, Tu fide, inquit Paulus, constitisti. Ne efferraris animo, sed time. Nam si Deus Aheroni tam sancto uiro non pepercit, uide ne qua fiat, ut nec tibi parcat. Postremo, quod fecit Aheron, non fecit animo peccandi, sed fecit optima, ut uidebatur, opinione, uidelicet, retinendi populum in officio, & ad cultum Dei assuefaciendi, adeoque deum ipsum colendi, nihilominus quod fecit, tam horribile peccatum fuit, ut ab impiissima idololatria, & defectione a uero Deo nihil distet. Quare ad bonas nostras opiniones semper explorauescamus, nec consentiamus in eas, nisi prius exploratas ad *ἑσθησεν* uerbi Dei, re ipsa comperiamus cum uerbo Dei conuenire. Israelitæ bona opinione comburebant liberos suos per ignem Moloch, sed designabant impium & crudele homicidium. Iudæi bona opinione persequabantur Apostolos, & interficiebant Sanctos, sed committebant latrocinium. Non igitur iuxta bonas opiniones, sed iuxta uerbum Dei de factis iudicandum est.

*Opiniones
bonæ, formæ
dandæ.*

FECIT POPVLVS QVAE IUSSERAT, DEFERENS *Inaures*

INAVRES.)

Petit Aheron ad instituendum cultum Dei inaures aureas, quæ pro more eius gentis ab auribus matronarum & ingenuorum libero

Plinius li. 11. cap. 37. rum suspendebantur, Plinius de auribus scribens, ita ait: Nec in alia parte fceminis maius impendium, margaritis dependentibus. In oriente quidem & uiris aurum gestare eo loci decus existimatur. Hęc Plinius. Israelitę igitur studiosissime conferunt, quod ad nouum dei cultum petitum erat. Hic uide mihi in Israelitis præposteram hominum liberalitatem. In constituendis enim alienis cultibus Dei, homines liberalissimi esse solent. In instaurando autem & conseruando uero cultu Dei auarissimi & tenacissimi sunt. In Jeremia ca. xxxxiij. In dei liberaliter offerunt reginę coeli, qui erat alienus cultus Dei. In Neemia autem cap. xij. Leuitę ad conseruandum uerum cultum Dei tam illiberaliter tractantur, ut necesse habeant ministerium ecclesiasticum deferere. Idem etiam conqueritur spiritus sanctus per Aggeum & Malachiam. Quod inter Israelitas accidit, hoc etiam in Christianismo accidere uidemus. Hactenus superstitio plena manu culta & conseruata est, innumerabilibus sacrificulis & monachis pinguisime enutritis, nunc uix unus & alter Euangelij minister auarissima manu, non dico, enutritur, sed ægre etiamnum toleratur. Ergo iure nobis accidit, quod propheta ait: Ecce, inquit Dominus, quia domus mea deserta est, & uos festinatis unusquisque in domum suam. Propter hoc super uos prohibiti sunt coeli, ne darent rorem, & terra prohibita est, ne daret germen suum &c.

Agg. 1.

QVAS CVM ILLE ACCEPISSET, FINXIT EAS STILO, (sic enim Hebręus legit) ET FECIT EX IPSO VITVLVM.)

Quidam ex Hebręis interpretibus sentiunt, hunc uitulum in igne ex auro uirtute magica conflatum esse. Propterea q̄ Aheron postea dicat: Proieci illud in ignem, egressusq̄ est hic uitulus. Tametsi autę maxima sit potentia Satanę, si Dominus conuiueat, tamen num hoc loco aurum in ignem proiectum, Satanę potius, q̄ artis & ignis uirtute in uitulum transformatum sit, alijs discutiendum relinquo. Nos quę certa & indubitata sunt persequemur. Postq̄ enim uitulus formatus est, primum quidem ædificatur altare, instituitur uitulus ad publicum sacrum in honorem Dei, indicitur festũ, non certe uituli, sed Domini. Cras, inquit, festum Domini est, quę uox testatur ea, quę hoc loco acta sunt, opinione Israelitarum ad honorem ueri Dei acta esse. Et adueniente crastino die celebratur etiam festum maxima populi leticia. Nam ut cultum diuinum perfecte absoluant, nõ sunt contenti obtulisse in honorem Dei, uitulum aureum, sed addũt etiam uitulos carnos, ac offerunt holocausta & pacifica. Vnde & pro more sacrificiorum celebrant publica conuiuia, & solennes ludos. Deinde pollicentur sibi merito huius diuini cultus tantam ueri Dei gratiam, ut sicut Deus

Deus liberauit eos ex Aegypto maximis miraculis, ita deinceps nunquam sit ipsos derelicturus, sed non solum maximo fauore complexurus, uerumetiam in omnibus aduersis defensurus, ac non tam ad terram Canaan, quàm ad perpetuam felicitatem incolumes perducturus. Atque hæc quidem sententia est Aheronis & Israelitarum. Sed longe aliud sentit Dominus Deus noster. Nam interim, dum illi iudicant se facere cultum Deo gratissimum, iudicat Deus designare ipsos impiissimam idololatriam. Recesserunt, inquit, cito de uia, quam precepi eis. Fecerunt sibi uitulum conflatilem, & adorauerunt &c. Quibus uerbis Deus loquitur de cultu uitulí, non quemadmodum Israelitæ sentiebant, sed quemadmodum res ipsa sese in iudicio Dei habebat. Ad hæc dum illi putant se merito suæ iusticiæ efficere Deum clementissimum & amicissimum, efficitur Deus alienissimo ab ipsis animo. Vade, inquit, perdidit sese populus tuus, non enim dicam, meus, quia defecerunt a me. Præterea dum illi promittunt sibi, nescio quos cælos & felicitates, Deus interim decernit internitionem eorum, adeoque dum illi iudicant res ipsorum in optimo statu collocatas esse, iudicat Deus statum Israelitarum nunquam peiorem fuisse. Dimitte, inquit, me, ut irascatur furor meus contra eos, & DEVOREMEOS. Obseruabile exemplum, quo discendum nobis est, ut non iudicemus neque de cultibus diuinis, neque de statu rerum nostrarum iuxta nostrum sensum, sed iuxta sententiam uerbi Dei. In cultu enim diuino, non si quid nos nostra ratione approbamus, Deus etiam approbat, sed interdum, quæ nobis uidentur piissima, ea coram Deo iudicantur impiissima: & contra, quæ nobis uidentur impiissima, ea sæpe iudicantur a Deo piissima. Cuius rei uaria exempla in sacra scriptura extant. In statu autem rerum nostrarum, iudicare solemus tunc nos esse Deo gratissimos, & Deum nobis clementissimum, cum sortimur felicem humanæ fortunæ successum, tunc uero Deum nobis infensum, & nos a Deo abiectos, cum infelicitate huius seculi obruimur. At si ex uerbo Domini de rebus iudicemus, periculosissimum est, in huius seculi felicitate uiuere, Deus autem tunc amicissimus & clementissimus esse solet, cum aduersis affligimur. Quare in prospera fortuna timeamus, in aduersa autem confidamus &c.

Ceterum, cum Dominus commemoraret Mosi peccatum Israelitarum, præter alia, etiam hoc dicit: Dimitte me, ut irascatur furor meus &c. Qua uoce perspicue significat se piorum fide & precibus teneri, quo minus supplicium impijs in hoc seculo inferat. Exempla habes, Gene. xvij: Si inuenero (inquit Dominus) decem iustos Zodomis, non delebo propter decem. Item Gen. xix. dicit dñs ad Loth. Festina & saluare ibi, quia non possum facere quicquam donec ingrediaris illuc;

Piorum precibus quam efficitur caces sint.

Et Ezech. xx. Quæsiui de eis uirum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam &c. His exemplis primum reuelatur ingens clementia Dei, quod tradat se piorum fidei & precibus, ut ita dicam, captiuum: Deinde approbatur constans ueritas Dei. Deus enim mauult ab hominibus captiuus teneri, & a furore suo recedere, quam in promissionibus suis, quibus a piorum fide tenetur, mendax haberi. Postremo hæc exempla admonent, ut sine intermissione pro nobis inuicem oremus. Si enim pijs tantum ualent coram Deo pro impijs, ut possint supplicia eorum auertere, quanto magis ualebunt pro pijs.

MOSE AUTEM ORABAT DOMINVM DEVM SVVM DICENS: CVR DOMINE.)

Vincula qui
bus Deus re
tinetur.

Cum Mose intelligeret ex hoc uerbo (Dimitte me) Deum retineri ac retrahi a furore, per fidem, tantum abest, ut dimittat eum, ut fortius eum apprehendat, ac ut ita loquar, uinciat. Vtitur autem his uinculis, quibus solis Deus colligari potest, uidelicet, FIDE & ORATIONE, & PROMISSIONIBVS Dei composita. Primum enim, Deus dixit se elegisse Israelitas in peculiarem populum, & ita ex Aegypto liberaturum, ut illustret nomen suum in toto orbe terrarum. Redimam, inquit, uos in brachio excelso, & iudicij magnis, & assumam uos mihi in populum, & ero uester Deus. Et scietis quod ego sim Deus uester &c. Deinde promisit Patriarchis non multiplicationem tantum, & conseruationem seminis eorum, uerumetiam possessionem terræ Canaan. Et hoc non simpliciter promisit, sed confirmauit etiam iuramento. Hæc ergo uerba, & has promissiones Dei arripit Mose, & componit ex ipsis orationem suam. Cur (inquiens) irascitur Domine furor tuus contra populum tuum? hoc est, si hoc tempore deleres ac deuorares populum Israel, quid aliud fieret, quæ quod duplici nomine amitteres fidem ueritatis dictorum ac promissionum tuarum. Dixisti, te illustraturum nomen tuum per liberationem Israelitarum ex Aegypto. Si autem nunc perderes Israelitas, magis certe obscurares, & sordidares nomen tuum, quam illustrares. Aegyptij enim, inter quos tanta miracula edidisti, donec eripuisti Israelitas e tyrannide ipsorum, publice uulgarent, aut te uerum Deum tanta miracula non ædidisse, aut te esse impostorem, & quadruplatores, qui malitiose eduxeris Israelitas ex Aegypto, ut interficeres eos in montibus & deserto. Quid est infamia nominis, si hæc non est? Deinde, si nunc absumas populum Israel, quomodo constabit ueritas promissionum tuarum, quas ad Patriarchas dixisti? Mendacium certe erit, quod promissisti, dicens: Multiplicabo semen uestrum sicut stellas cœli, & uniuersam terram hanc, dabo semini uestro. Quis ergo deinceps aut uerbis tuis confidet, aut nomen tuum in-

atum inuocabit: Quare, et si Israelitę meriti sunt extremum supplicium & *πενολιθρίαν*, tamen ut nomen tuum non obscuretur, et ut ueritas promissionum tuarum constet, auertere, obsecro, ab ira tua, & placabilis esto super malitia populi tui. Quanc̄z autem sententia Domini alioqui irretractabilis fit, nec possit humana uel potentia, uel sapientia, uel iustitia, uel industria mutari, hoc tamen solo retractari potest, si promissiones ipsius, opponantur iudicio eius, per fidem. Quare, cum Mose in oratione sua, promissiones Dei ex fide producat, sententiam Dei ita mutat, ut statim poeniteat eum mali, quod locutus erat ad uersus populum suum. Sic enim scriptura loquitur, et sentit, Deum, non quidem esse mutabilem, ut homo mutari solet, aliud tamen interdum facere, quam facturus uidebatur. Sed hæc orandi formula *Orationis pie formulæ* proposita est nobis, ut & nos ad exemplum eius discamus in omnibus afflictionibus tam publicis quam priuatis, tales orandi formas componere, quibus & iram Dei mitigemus, & salutem consequamur. Cum enim oraturi sumus Dominum, ante omnia necessarium erit, ut habeamus promissionem, qua Deus recepit se nos exauditurum, & e calamitatibus nostris liberaturum. Deinde hæc promissio fide concipiendi & conseruanda est. Postremo, tractanda & uersanda est oratione, ut fide per promissionem confirmata, impetremus, quicquid petimus. Quanc̄z enim inquit, petieritis in oratione, credentes accipietis.

ET REVERSUS EST MOSE DE MONTE.)

Postq̄z Mose placauit iram Dei oratione sua, quid fit? num Mose existimat se iam munere suo satis defunctum; nec aliud quidpiam, qd̄ agat, pro recõciliatione populi sui, reliquum esse? Minime omnium. Ac si quidem homo quispiam priuatus fuisset, præter preces non habuisset aliud, quod in populo Israel agere potuisset. Nunc autem publicus est magistratus, diuina uocatione ordinatus, cuius interest, publica scelera populi legitime punire. Quare non contentus oratione, redit ad Israelitas, ut pro publico suo officio peccatum eorū corrigat, & ipsos ad poenitentiam reducat. Ac principio narrat scriptura, quod Mose reduxerit secum ministrum suum Iosua. Supra enim cap. xxiii. scribitur, q̄ Mose duxerit secum Iosua ad montem. Cum igitur nunc una de monte descenderent, ac tumultum populi audirent, Iosua quidem iudicabat esse tumultum bellicum, Mose aut, cum iam antea reuelatione diuina cognouisset, nouum Dei cultum & festum institutum esse, iudicat id quod res est, uocem esse cantantiū et diē festū ac ludos celebrantium. Deinde, cum Mose appropinquasset ad castra, & uidisset uitulum, tanta ira accenditur, ut tabulas Decalogi, paulo ante diuinitus conscriptas, quas manu gestabat, proijceret in terram, & confringeret. Quid ad hæc dicemus? an non hoc est excedere limites

modestiae: an non hæc ira, insania est? Etsi enim populus grauissime
 peccauit, quid tamen insontes tabulae, diuina manu conscripte, com
 meruerunt? Irascimini, inquit scriptura, & nolite peccare. At quemad
 modum homicidium, quod Mose designauit in Aegypto, de quo
 scriptum est supra cap. ij. non fuit peccatum aduersus legem Dei, sed
 heroicus spiritus, & zelus spiritus sancti, ita & hæc Mose ira, quo hoc
 loco corripitur, non est carnalis affectus, sed spiritualis zelus aduer
 sus publicam impietatem, quale quid scriptura testatur alias de Pine
 has, qui scortatorem Israelitam una cum scorto Midianitico pugione
 suo publice confodit, quale quid etiam Euangelia de Christo testan
 tur, qui flagellis eiecit uendentes & ementes de templo. Quare, etsi pu
 blica impietas bonis uiris semper maximum dolorem afferre debet,
 tamen tante iracundie uehementia in Mose admiranda potius est, &
 inter personalia sanctorum facta numeranda quæ imitanda, nisi quis eo
 dem plane spiritu quo Mose, præditus fuerit. Nam generalis nostra
 uocatio est, ut intra fines modestie consistamus, quantumuis indigna
 & iniusta uiderimus. Posthæc uertit se Mose ad exercendum legitimū
 magistratus officium in corrigenda impietate. Ac primū abrogat im
 pium cultum, contra uerbum Dei institutum. Arripiens enim uitulū
 combussit & comminuit in puluerem, ac sparsit eum in torrentem, de
 quo Israelite bibere consueuerant. Sic enim Deut. ix. scribitur: Pecca
 tum uestrum, quod feceratis, id est, uitulū arripiēs, igne combussi,
 & in frustra comminuens, omninoque in puluerem redigens, proieci in
 torrentem, qui de monte descendit. Hoc autem ideo factum est, ne uel
 tantille reliquie de uitulo supessent, quibus inobedientes & superstiti
 uosi ad impietatem abuti possent. Sed nunquid, inquires, melius fuis
 set tantum auri in monetam conflare, & pauperibus distribuere? Pau
 peres quidē semp adiuuandi sunt, sed quæ Mose hunc uitulū in pulue
 rem comminuerit, & in torrentem sparserit, significare uoluit, Deū in
 tīm abominari impietatem, ut etiam oībus ijs opibus maledicat, qui
 bus impietas instituta & conseruata est. Vnde iussit Deus postea, ut
 Israelite confringerent oēs statuas, & comminuant oīa idola gentium
 Cananæ, Deut. xij. Similiter iussit Saulem oīa Amalecitarum deua
 stare, & nihil ex rebus ipsorum concupiscere. i. Regum xv. Hoc exem
 plum legitimo magistratui obseruandum est, ut & ipse pro sua legiti
 ma uocatione impia sacra, ijs in locis, in quibus exercet ordinarium et
 legitimū ius domini, abroget. Ergone hoc exemplo Mose, magi
 stratus necesse habet imagines, que in templis Christianorū profāt,
 igni comburere? & nisi fecerit non suo defungitur officio? Minime
 omnium. Nec id uehementer timendum est, ut quidam magistratus
 omnes imagines igni perdāt. Ligneas quidem & lapideas abiciunt,
 at aure

ira Mose he
 roicus spūs.

Impietas o.
 pes, maledi
 ctio

Imagines in
 Christianis
 mo, quomodo
 adolenda.

at aureas & argenteas in suum usum referuant, interim tamen gloriantur se exemplum Mosis sectari. Sed ad rem. Exigitur quidem a magistratu, ut impia sacra abroget, iuxta exemplum Mosis. Sed prius diligentissime perspiciendum est, quæ sint uere, & per se impia sacra, deinde, cum sint uaria magistratuum genera, summorum, mediocrium & infimorum, accurate considerandum est, in quo magistratuum genere ^{Magistratuum} unusquisque contineatur, & num legitima eius uocatio eo tendat, ut e ^{genera uaria} tiam sacris dominetur. Nam, quod ad imagines attinet, longe alia est earum ratio in politica Mosaica, quæ in politica Christianorum. In politica enim Mosis simpliciter prohibitum est, habere in Ecclesia imagines (nisi quas lex ipsa diserte permisit,) siue adorentur siue non adorentur, quemadmodum simpliciter prohibitum fuit, uesci suilla, aut indui uestimento quod ex lana linoque contextum est. Non facies, inquit, tibi sculprile, neque omnem similitudinem &c. Quare magistratus Mosaicus necesse habuit imagines abrogare. In politica autem Christianorum, nullum tale preceptum extat, quod prohibeat ipsum per se usum imaginum, sed tantum, ne colamus aut adoremus idola. Sicut enim illa ex lege Mosis de Sabbato, de Circumcisione, de carne suilla, deque multis alijs rebus, plane nihil ad nos, ita nec quicquam ad nos illud de non habendis imaginibus, pertinet. Tantum hoc nobis curandum est, ut quemadmodum non debemus esse incircumcisi corde, & non ducere uitam suillam, ita non debemus colere aut adorare imagines. Cum igitur in politica Christianorum, habere imagines in Ecclesia, non sit per se impium, non necesse habet magistratus imagines abrogare & igni comburere, sed necesse habet operam dare, ut uerbum Dei pure & sincere in Ecclesia doceatur, & impius imaginum abusus per uerbum Domini tollatur. Quod si fiat, iam officio suo defunctus est, & licebit imaginibus uti, non ad adorationem, sed ad ^{uivvuvuvuv} rerum gestarum, per Christum & Sanctos eius. De horum enim imaginibus nobis sermo fuit. Sic & de alijs sacris, quæ per se non sunt impia, sed quorum tantum abusus impius est, sentiendum erit. In his enim abusus per uerbum Domini tollendus est, re autem ipsa commode utendum.

Ceterum, quæ Mose non tantum precibus coram deo pro populo intercedat, sed etiam externo facto impietatem abroget, unumquemque docet, ut non tam precibus quam externo suo officio, si quod publicum habet, iuxta rationem sue uocationis, operam suam ad puniendam et extirpandam impietatem conferat. Ac priuatus quispiam, qui nullo nec in familia domestica, nec in Rep. officio fungitur, contentus sit precibus suis coram Domino, impietati resistere, nisi quantum ei liceat ex priuata fratrum charitate corrigere. Magistratui autem, præter preces, etiam externa sua & legitima supplicia, Ecclesiæ, præter preces,

etiã uerbum Dei, Patrifamilias, præter preces, etiã uirga, aduersus impietatem & scelera expedienda sunt.

DIXITQVE AD AHERON: QUID TIBI FECIT HIC POPVLVS.)

Deinde post abrogatum uitulum, inuehitur Mose in Aheronem, autorem impietatis, & increpat eum seuerissime, q̄ sua culpa induxit rit populum non solum in maximum peccatum, uerum etiã in extremam internitionem. Hic obserua. Aheron fuit frater Mosi, & maximis donis Dei præditus, ac ad summum sacerdotium designatus, tamen cum peccasset, grauissime increpatur a Mose. Exemplum est, q̄ ij, qui legitime ad hoc uocati sunt, ne summo quidem pontifici aut Imperatori peccanti, ad impietates conuiuere, & scelera eorum approbare debeant. Habes alia exempla, i. Reg. xv. de Samuele & Saule, ij. Regum. xxi. de Elia et Ahab. ij. Paralip. xxvi. de Azaria & Vzia &c. Porro, Mose non occidit quidem Aheronem gladio (cum enim Deus remiserat suum supplicium, quod minatus erat, quemadmodum supra dictum est, remittit & Mose suam poenam, nisi quod postea cogitur in impudentes quosdam, & impœnitentes sediciosos gladio sæuire, de quibus mox audiemus) increpatione autem sua coniicit eum in tantam agnitionem diuinæ iræ & peccati sui, ut corripatur terrore non solum corporalis mortis, sed etiã æternæ damnationis. Et quemadmodum Adam ad uocem Dei deambulantis in paradiso ita pauit, ut fugiat & sese abscondat a Deo, & increpatus propter peccatum, nõ aliud habet, quod peccato prætexat, quã quod culpam in mulierem reijciat: ita Aheron reprehensus a Mose propter peccatum, ita in conscientia sua palpitat, ut timore mortis & damnationis comprehensus, nesciat quo sese uertat, nec aliud habet, quã quod reijciat culpam in populum. Tu nosti, inquit, populum istum quod pronus sit in malum &c. His uerbis non defendit Aheron peccatum suum, sed potius agnoscit ipsum, præ horrore autem mortis & inferni transfert culpam in populum. Hoc enim ingenium iam inde ab Adamo nobis agnatum est, quod agnitorum peccatorum culpam in alios transferamus. Hec autem non est uera ratio effugiendi, sed potius augendi supplicij. Quid ergo in his terroribus agendum? Peccatum simpliciter agnoscendum & coram Deo confitendum est, deinde credendum est in Iesum Christum, q̄ ipse expiauerit peccata nostra. Sic enim non solum impetrabis remissionem peccati, uerum etiã seruaberis in omnibus supplicijs. Sed quid post hos terrores accidit Aheroni? num mortuus, num damnatus est? Hæc quidem fuerunt merita Aheronis, sed q̄ poenituit, & Mose pro eo rogauit, seruatus est. Sic enim scribitur, Deut.

Aheron increpatur.

Aheronis tremor in peccato,

tur, Deut. ix. Dominus aduersus Aheronem uehementer iratus, uoluit eum contere, & pro illo similiter deprecatus sum &c.

VIDENS ERGO POPVLVM, QVOD NV DATVS ESSET.)

Hunc locum interpretes uarie exponunt. Alij sic: Videns Mose populum, q̄ excidisset, fecerat enim Aheron, ut excideret, dum eos erexit, ut insignes redderet. Alij aliter: Videns Mose populum, q̄ denudatus esset, quodq̄ denudasset eum Aheron ad ignominiam inter hostes eorum. Sed quia uocabula hebræa, quæ hoc loco ponuntur, uarias habent significantias, & Mose non est ferro suo grassatus, nisi in impudentes, & impœnitentes, sic transferendum esse uidetur. Vidēs Mose populum, q̄ impudenter rebellarent (aut peccatum suum impœnitenter despicerent) quodq̄ Aheronis exemplo impudentem suam rebellionem ita tuerentur, ut non obscure significarent se seditiose aduersus Mosen insurrecturos. Nam, cum impij quidam inter Israelitas uidebant Mosen contriuisse uitulum aureum, ac puluerem eius in torrentem sparsisse, præterea Aheronem seuerissime increpare, magna ira aduersus Mosen affecti sunt, q̄ tam crudeliter in cultum ipsorum ut ipsi sentiebant, diuinissimum, debacchatus esset, atq̄ Aheronem, uirum optimum, tam inclementer tractaret, ac tantum abfuit, ut impietatem suam agnoscerent & resipiscerent, ut potius in conciliabula conuenientes, publice eam defendendam aduersus Mosen, pro Aherone & uitulo susceperint. Existimabant enim & palam profiteri non uerebantur, cultum uitulinum haudquaquæ esse idololatriam, sed honorem Deo gratissimū, utcunq̄ aliud uideatur Mose. An non et Aheron uir sanctus, & spiritu Dei præditus, qui hunc cultum ad honorem Dei instituerit: Se igitur paratos esse, ut etiam armis suis hunc cultum & Aheronem, a crudelitate Mose uindicerent, & tueantur. Hæc est impijssima & sediciosissima impudentia. Quare, cum Mose animaduertet impudentes nebulones sedicionem mouere, & conari impietatem uiolenter defendere, non iam increpatione, sed gladio aduersus sediciosos agendum iudicat, & publice ad se uocat, quicumq̄ uelint rectam & legitimam religionem sectari. Si quis, inquit, Domini est, iungatur mihi, hoc est, Nos antea foedus iniuimus, cum Domino deo nostro, q̄ uelimus religionem nostram constituere, non iuxta arbitrium nostræ libidinis, sed iuxta uerbum, et leges ipsius. Video autem quosdam hoc agere, ut uitulum cultum, quem aduersus uerbum Dei instituerunt, armata manu defendant. Quare qui uoluerint hoc foedus, quod cum Domino iniimus, sacrosanctum & inuiolatum conseruare, agitedum, recipiant sese ad me, & dabimus operam, ut sediciosi ita cōpescantur, ut ne mutire quidem aduersus uerbum Dei audeant. Hæc

Seditio aduersus Mosen, propter abrogationem uituli.

uoce, Mose nō commouet illegitimum tumultum in populo, sed conuocat obediētes legitime, ut pro magistratus sui officio in sediciosos & prefracte impios iuste animaduertat. Conueniunt igitur dicto citius ad Mosen Leuitę, ac præsertim omnes ij, quos poenitebat commissę impietatis in instituendo cultu uitulino. Hos iubet Mose ex uerbo Domini, ut accingant se gladijs suis, ac peruagentur castra Israelitarę, & ubicunq; deprehendant conuenticula eorum, qui impudenter & uiolenter sacra uituli obseruent ac tueantur, in eos continuo gladijs suis ita grassentur, ut ne fratribus quidem, ac amicis, addo etiam filijs suis parcant. Deinde promittit eis, si hoc perfecerint, dignitatem ministerij Leuitici. Implete, inquit, manus uestras hodie Domino, unusquisq; in filio & fratre suo, ut detur uobis hodie benedictio, hoc est, si obsecuti fueritis hac in parte præcepto Domini, tantū aberit ut crudelitate peccetis, ut potius sanguine fratrum & filiorum uestrorum tantq; sancto chrismate consecretis manus uestras ad consequendam & administrandam dignitatem sacrorum officiorum in Israel. Nam propter obsequium uestrum dabit uobis Dominus eam benedictionem, ut sola tribus uestra ad peragenda publica sacra in Ecclesia Israelitica deligatur. Nec uana fuit hæc promissio. Nam cū filij Leui obedirent mandato dei, & gladijs suis in obuios quosq; sediciosos, & impudentes uituli cultores ita sæuissent, ut etiam fratres ac filios suos trucidarent, ac tria millia, quemadmodum habet Hebræa ueritas, interimerent, primum emendant hoc factō, furorem illum, quo Patriarcha ipsorum Leui grassatus fuerat in Sichimitas, quemadmodum Gen. xxxviij. scriptum est, ac efficiunt, ut maledictio Iacob super Leui, uertatur in benedictionē. Iacob em̄ moriturus, alijs quidem filijs suis, alias benedictiones promittit, ut est in Gen. cap. xxxix. Simeoni autē & Leui, reponit pro benedictione, maledictionem. Maledictus, inquit, furor eorę, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura. Diuidā eos in Iacob, & dispergam eos in Israel. Hæc est maledictio Leui, uidelicet, q̄ tribus Leui non habitura sit propriā portionem in terra Canaan, quemadmodum alię tribus, sed dispergenda sit hinc inde in alias tribus. Filij autē Leui uertunt nunc fidei sua obedientia hanc maledictionem in benedictionem. Etsi em̄ non abrogatur uerbū patriarchæ Iacob (Erat enim uerbum Dei, qd perpetuo constat) ac necesse habuerunt Leuitę hinc inde iuxta uaticinium Iacob, sparsi habitare, tñ hoc quod alioqui fuisset maledictio, uersum est ipsis in benedictionem, & maxium ipsorę commodum. Tanta enim dignitate et tam honestis stipendijs & annuis decimarum, aliarumq; rerum redditibus, inter Israelitas uixerunt, ut id maiori ipsis cōmodo fuerit, q̄ si accepissent propriam terrę portionem. Deinde consecuti sunt Leuitę hac obedientia eam bene

*Leuitarum
obediētia et
pietas.*

*Leuitarum
maledictio in
benedictionē*

eam benedictionem, quam Mose moriturus post se reliquit. Sic enim ait Deut. xxxiiij. Qui dixit patri suo, & matri suæ, nescio uos, & fratribus suis, ignoro illos, & nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt. Ipsi docebunt Iacob iudicia tua, & Israel legem tuam. Ponent thymiana in naribus tuis, & holocausta super altare tuum &c. Ex his ergo nobis discendum est, principio, quod de operibus externis non sit iudicandum secundum speciem externam, sed secundum uerbum Dei. Hic enim uide mihi interfectionem fratrum & filiorum, que a Leuitis perpetrata est, & confer cum ea cultum uituli in honorem Dei institutum. Nam si iudicaueris de his iuxta externam speciem, certe interfectio filiorum uidebitur crudelissimum genus homicidij, horrendis supplicijs expiandum, Sacra autem uituli uidentur cultus sanctissimus & Deo gratissimus. Sed uerbum Dei multo aliter pronunciat. Sacra enim uituli uocat impiissimam idololatriam: interfectionem autem filiorum uocat opus sanctissimum, & sacrum Deo acceptissimum, ita ut hic effusus sanguis sit Leuitis pro sacro christmate unctiois, ad peragenda sacra ministeria. Sic in Esaia, Incensum dicitur abominatio. In Ieremia autem maledicitur, qui facit opus Domini fraudulenter, hoc est, qui prohibet gladium suum a sanguine Moab. In colendo igitur Deo non est sectandum nostræ humanæ rationis arbitrium, sed uerbi Dei iudicium, ut quod ab ipso sanctum iudicet, a nobis sancte etiam obseruetur. Deinde hoc Leuitarum exemplo discamus maledictionem super maiores nostros propter peccatum effusam, fideli obedientia uertere in benedictionem. Exempli gratia. Adā parens noster peccauit, & meruit peccato suo, ut effunderetur maledictio mortis super totum humanum genus. Quid ergo faciemus? Non possumus quidem efficere, ut non moriamur, quia uerbum Domini constat, quo dictum est: Quocumque die comederis, morte morieris, sed si obedierimus uerbo dei, quod iubet in Iesum Christum credere, tunc mors uertetur nobis in benedictionem, ut fiat nobis per Christum organon & ianua salutis, ac uitæ æternæ. Item, pauper quispiam est, habens numerosam prolem. Huic pollicetur Dominus benedictionem & abundantiam rerum, si modo constet in uocatione eius, & sectetur pietatem. Quid fit? pauper contempta promissione Dei per incredulitatem, sectatur imposturas, et peiuria, ac se hac ratione opes congregaturum, quibus familiam suam cōseruet. Itaque maledicitur paupertate, iuxta legem Dei, non iam ipse tantum, sed etiam liberi eius, in tertiam & quartam generationem. Ergo & nepos eius paupertatem ferre necesse habebit: certe ita res se habet, si auus propter impietatem maledictus est, iuxta hanc legem: *Visitans iniquitatem patrum in filijs, in tertia & quarta generatione.* Quid si autem resipiscat nepos, & sectetur

Opera externa quomodo iudicanda.

Maledictiones uertuntur in benedictiones, quod

tur pietatem. Recte. Sic enim, etsi paupertatem adhuc fert, tamen Leuitarum exemplo maledictionem in benedictionem fidei sua obedientia ita uertit, ut maiori iucunditate & foelicitate in paupertate sua uitam agat, quam opulenti in diuitijs suis.

FACTO AVTEM ALTERO DIE LOCVTVS EST MOSE AD POPVLVM, PECCASTIS.)

Postq̄ seueritate Leuitarum, sedata est sedicio, Mose redit ad concionem, & ut Israelitas reducat ad ueram poenitentiam, hoc maxime omnium agit, ut peccatum uere agnoscant. Difficillimum enim est, cultum Dei pro peccato agnoscere. Dicit ergo: Peccastis peccatum maximum. Etsi uos existimatis cultum uestre fuisse Deo acceptissimū, tamen si exigatur ad uerbum Dei, tantum est peccatum, ut non possit uerbis explicari. Quare necessaria est poenitentia. Ac uos quidem interea temporis discite impietatem uestram agnoscere, ego autem intercedam pro uobis apud Dominum, si quomodo fieri possit, ut sicut remisit supplicium internitionis, ita & remittat culpam impietatis. Hic iterum obserua. Ecclesiastarum officium esse, non solum peccata arguere, nec solum pro peccatis populi orare, sed utrunq̄ coniungere, ut & peccata arguant ad resipiscentiam, & pro peccatorum remissione orent. Cæterum, redit Mose ad Dominum & ibi effundit coram Deo totam animi sui dilectionem erga Israelem. Aut dimitte, inquit, eis hanc noxam, aut si non uis, dele etiam me de libro tuo quem scripsisti. Optat Mose, anathema potius a Deo esse, q̄ ut Israelis peccatum retineatur. Quid hac charitate excellentius? Mose nullo modo fere non contumeliæ genere ab Israelitis affectus fuit. Nunc eiecerunt ipsum ex Aegypto in exilium, nunc transtulerunt in ipsum culpam calamitatis Aegyptiacæ: præbuisi (inquiunt) Pharaoni gladium ut nos occideret, nunc accusarunt ipsum imposturæ & seductionis, nunc paulum abest, quin opprimant eum lapidibus. Quod plura: quacunq̄ leui occasione, ita in ipsum debacchantur, ut fere nunquam non de uita sua periclitetur. Nihilominus tamen complectitur eos tanta charitate, ut malit a Deo reijci (hoc enim est de libro uiuentium deleri) q̄ ut Israel reijciatur & condemnetur. Nunquid ergo tanta proximi dilectio a nobis exigitur, quam uidemus Mosen hoc loco præstare? Hic nobis perquirenda est lex Domini quæ ait: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Vnusq̄q̄ aut tanto charitatis ardore, præsertim in grauibus & intolerabilibus afflictionibus, seipsum complectitur, ut optaret se alterius calamitate, a sua redemi. Iam igitur lex ipsa naturalis diuinitus approbata manifeste docet, ut quod tibi fieri optes, hoc idē alteri quoq̄ præstes. Deinde considerandum est uerbū & exemplum Christi. Sic enim ait: Hoc est præceptum meum, ut diligatis uos inuicem, si

Mose charitas
erga Isra-
elitas.

eā, sicut dilexi uos. Christus autē ita dilexit nos, ut nostri causa suscepit in se non mortem tantum corporalem, sed etiam ignes inferni. Et <sup>Christi chari-
tas</sup> quanquam anima eius non potuerit derelinqui in inferno, propterea quod erat filius Dei, tamen quantum ad ipsum charitatis affectum attinet, maluit conijci in damnationem, quā ut homines damnarētur. Quare eadē etiā charitatis perfectio erga proximos a nobis exigitur. Huc accedit exemplum Dauidis, qui & huius charitatis quaecumque speciem <sup>Dauidis chari-
tas</sup> erga populum suum exhibet. Cum enim uideret angelum cedentem populum peste, dicit ad Dominum, Ego sum qui peccavi, ego inique egi, isti, qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur, obsecro manus tua, contra domum patris mei. Sed magis perspicuum est, quod Paulus ad Rom. cap. ix. scribens: Veritatem, inquit, dico in Christo, non mentior, attestante mihi simul conscientia mea per spiritum sanctum, quod dolor mihi sit magnus & asiduus cruciatus cordi meo. Optarim enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis &c. Quid hoc exemplo manifestius? Et si enim nec Mose nec Dauid nec Paulus hoc affectu legem Dei perfecte impleuerunt, tamen haud obscure exemplis suis significant, quanta dilectio proximi a nobis exigatur. Ergo, inquis, nisi eam praestiterimus, non seruabimur? Recte. Lex enim dicit: Maledictus omnis, qui non permanet in uerbis legis. Quo igitur dicitur nos uertemus? Non certe alio quā ad Christum. Per hunc enim consequimur remissionem peccatorum, & liberationem a maledictione legis. Sed quomodo? num in hunc modum, ut intantum non necesse habeamus exemplum Mosi & Pauli, ac etiam Christi in dilectione proximi sectari, ut etiam liceat proximum odisse, & male ei praesertim inimico facere? Absit. Quāquam enim exempla Mosi & Pauli hac in parte, heroica sint, quae nos uulgarī tantum spiritu praediti magis admirari quā imitari possumus, nisi singulari spiritus sancti dono ornati fuerimus, tamen fieri non potest, ut qui uere in Christū credit, non tantā spiritus potentiam accipiat, qua etiam inimicum diligere, et bene ipsi facere queat, si non perfecte, attamen quantum ad declarandam fidem satis est. Nisi enim spiritus hanc, uel exiguam charitatem, in corde operetur, argumentum est, fidem mortuam, aut nullam esse. Qui odit, inquit Ioannes, fratrem suum, homicida est &c. Videmus autem, si conferamus affectum nostrum erga legem, quantum absimus a perfectione legis. Quare, etsi incipimus proximum, quamuis inimicum diligere, tamen adhuc agnoscenda est nostra imperfectio, confitendum est peccatum nostrum, ut gratis per fidem tantum, propter Christum, salutem consequamur.

CVI RESPONDIT DOMINVS, ILLE QVI PECCAUERIT MIHI, DELEBO.)

Tametsi uere charitatis affectus ita in proximum ardet, ut cupias pro salute eius damnari, rectum tamen & iustum est iudicium Dei, quod non permittit, ut alius pro alio, uidelicet, insons pro nocente dānetur. Dicit ergo ad Moſen: Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo, hoc est, Delector quidem tanto charitatis tuę ardore, sed iuſticia conſeruanda eſt, quę exigit, ut peccatores damnentur, non iuſti. Sic Gene. xviij. dicitur: Abſit a te, ut occidas iuſtum cum impio, fiatq; iuſtus ſicut impius. Non eſt hoc tuum, qui iudicas omnem terram: Et Ezech. xviij. Anima, quę peccauerit, ipſa morietur. Et mox: Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij. Sic & lex dicit Deut. xxiiij. Non occidentur patres pro filijs, nec filij pro patribus, ſed unusquiſq; pro peccato ſuo morietur,

TV AGT VADE, ET DVC POPVLVM ISTVM.)

Cum Deus ſignificaffet Moſi, ſe retinere peccata impceniſentibus, potuiſſet ei in mentem uenire, quid ergo fruſtra in hoc populo laborabo? Si Deus retinet peccatum eorum, quis ego ſum, qui poſſim aliquam ſalutem ipſis conferre. Deſerā igitur eos, & alio proficiſcar, quocunq; Deus me duxerit. Ad hoc reſpondet nunc Dominus, et ait: Tu autem uade, & duc populum iſtū &c. hoc eſt, Eſi retineo impceniſentibus peccatum, tamen nolo, ut tu uocationem tuā deſeras. Mandauit tibi, ut educaſ populum ex Aegypto, ad terram patribus promiſſam, & pollicitus ſum, angelum meum præceſſurum te. Tu igitur tuę uocationi ſeruias, & ſine me mea iudicia perficere. Factu, quod tibi eſt mandatum, ego faciam, quæ mihi iuſta & æqua uidebuntur. Educaſ tu populum iſtum, quod eſt tui officij, & age, quęcunq; ad ſalutem eius neceſſaria ſunt. Ego interim differam ſupplicium, & expectabo reſipiſcentiam. Si reſipuerint, bene. Sin autem non reſipuerint, tãto grauius uiſitabo peccatum eorum, quanto diutius ſupplicium dilatum eſt. Memorabile reſponſum, quo admonemur, ut quicquid de alijs diuinitus decernatur, & conſtituatur, nos tamen pergamus in noſtra uocatione, & obſequamur mandatis Dei. Sic enim fiet, ut ſiue alij pereant, ſiue ſeruentur, nos ſalutem conſequamur.

Vocationi
ſue ſeruien
dū, ut ut alij
uiuant.

CAPVT XXXIII.

LOCVTVS EST DOMINVS AD MOSEN DICENS:
VADE ET ASCENDE DE LOCO ISTO.)

In principio huius capituli deſcribuntur horribiles minæ, quibus Deus ſignificat ſe plane derelicturum Iſraelitas, nec amplius auxilia ſua collaturum, ut conſequantur poſſeſſionem terræ Canaan. Tametsi enim Moſe hæcenus poſt institutionem uituli in cultum diuinum, nihil non

nihil non egerat, quo grauitatem huius peccati publice ostenderet, primum enim confregit tabulas Decalogi, deinde contriuit uitulum in puluerem, & sparsit in torrentem, adhuc increpauit Aheron seuerissime, praeterea immisit Leuitas ut trucidarent sediciosos, adhuc defendentes cultum uituli, ac ne liberis quidem suis & fratribus parcerent, deinde concionatus est de grauitate peccati, & significauit, maximam fidem & orationem necessariam esse, qua tantum peccatum expiatur, adeoque nihil plane intermisit, quo declararet, hoc peccatum multo grauius & sceleratius esse, quam ut queat uerbis explicari, ac Deum propter hoc peccatum, tanta indignatione affectum, ut de delenda tota Israelitarum gente deliberet. Haec, inquam, etsi Mose omnia fecerat, ut tam peccatum quam iram Dei reuelaret, ac populum ad poenitentiam inuitaret, Israelitae tamen cultu a se instituto intantum sibi placent, ut nulla ratione persuaderi queant, quo sentiunt hunc cultum tantam esse impietatem, quantam Mose praedicabat, & Deum sic irritatum esse, ut propter hunc cultum in honorem ipsius excogitatum, delere uelit gentem a se electam. Ac si quidem homicidia aut latrocinia designassent, facile potuissent peccatum agnoscere, nunc autem quia hic cultus institutus est praetextu nominis Dei, & in honorem Dei, difficillimum fuit, impietatem eius agnoscere. Quare sinebant Mosen furere, ut iudicabant, & perseuerabant ipsi in sua sententia de cultu uituli, nec uel tantillo significabant se dolere & impietatem peccati sui agnoscere: Vertit igitur sese Deus ad grauissimas minas, ut uel tandem discant Israelitae peccati sui magnitudinem agnoscere. Ac uocato Mose, ait: Vade et ascende de loco isto, tu et populus tuus &c. hoc est, Promisi quondam Patriarchis me semini ipsorum daturum terram Canaan fluentem lacte & melle, Promisi etiam huic populo me missurum angelum meum, qui tueatur ipsos in omnibus aduersis, & eiciat ante faciem eorum impias gentes Cananeas. Sed id promisi hac conditione, si audierint uocem meam, & custodierint pactum meum, uidelicet, ut non iuxta ipsorum arbitrium, sed iuxta meum uerbum instituant in politia ipsorum, tam sacros cultus Dei, quam ciuilia iura. Atque hoc pactum inierunt mecum publice, quod tam sanguine in ipsos sparso, quam miraculis confirmatum est, (quemadmodum supra scribitur cap. xxiiij.) Nunc autem, etsi Israelitae hoc foedus institutione uituli manifeste uiolarunt, tamen intelligo eos hanc perfidiam intantum non agnoscere, ut adhuc sentiant se cultum mihi gratum praestitisse, nec uidere uelint, quod grauius peccauerint. Age ergo, Mose, quia ipsi primi uiolarunt foedus, nec ego deinceps hoc foedere teneor, proficiscamini tu & populus, quo libet. Non amplius adero uobiscum, non ero ductor uester, angelus meus non tuebitur uos. Cum enim

Exod. 24.

institueritis cultum uitulinum, uestra ipsorum prudentia, satis perspicue significastis, uos uestropte ingenio abunde satis prudentes esse, qui possitis etiam absq̄ uerbo meo religionem constituere, & Remp. administrare. Agite ergo, abite, fruamini uestra sapientia, ego deinceps de rebus uestris ne tantillum quidem curæ habebō. Non prescribam deinceps uerbo meo quid uobis in religione & ciuili Repub. agendum sit, sed sinam uos pro more Gentium, omnia iuxta uestrum arbitrium administrare. Itaq̄, ut nec gentes, ita nec uos, populum meum amplius agnoscam. Atq̄ hæc quidem est sententia eorum uerborum, quæ in principio huius capituli scripta sunt. Ex his autem primū obserua, q̄ difficile sit, peccatū impietatis seu idololatriæ agnoscere. Multo enim difficilius est agnoscere Missam, pro expiatione peccatorum, ad honorem Dei celebratam, esse peccatum, q̄ homicidium aut latrocinium. Hoc enim manifestam præ se fert iniquitatem, illa autē, nomine Dei ornata iudicatur potius iusticia q̄ iniusticia. Quare hypocritæ multo periculosius peccāt, q̄ qui publica & omnibus nota scelera designant. Deinde obserua quibus potissimum rebus alienetur animus Dei a populo suo. Etsi enim Deus odio habet omnia peccata, tamen nulla re magis alienatur animus eius, q̄ contemptu uerbi sui, & præsumptione humanæ prudentiæ in rebus diuinis. Sic alienatus est a Gentibus, quæ abiecto uerbo Patriarchis reuelato, sua ipsorum studia sectatæ sunt. Hinc factum est, ut tot deos pene finxerunt, quot inter ipsos homines fuerint, & eo tandem insanie deuenerunt, ut & ferbrim & pallorem, & pestem, ac innumera id genus alia pro dijs coluerint. Hoc enim ihs accidere solet, qui abiecto uerbo Dei, suam prudentiā sectantur. Sic abalienatus fuit ab hypocritis Christianis, qui posthabito uerbo Euangelij excogitarunt propriam iusticiam, qua conserquerentur salutem. Vnde tot opera, tot sanctos, tot ordines monasticos ad expiationem peccatorum suorum instituerunt, ut uix numerari queant. Quare, ne eadem mentis cæcitate etiam nos puniamur, nihil prius nobis, uerbo Domini Dei nostri habendum est.

Sed quid ad has minas Dei dicemus? num Deus populum Israel iuxta minas suas ita abiicit, ut deinceps nullum eis uerbum reuelet, secundum quod instituant sacra & Remp. ipsorum? Minime oim. Nā & mox recipit eos in gratiam, quemadmodum audiemus, & per Mo sen absoluit, ut ceperat, institutionem religionis & politiæ ipsorū. Obserua igitur minas Dei, eandem rationem habere, quam & publica eius supplicia habent. Hæc enim immittunt diuinitus, non ut sint perditio, sed ut sint organon, quo peccatores admoneantur de peccatis, et inuidentur ad poenitentiam. Non humiliauit, inquit Heremias, ex corde, nec abiicit filios hominum; ita et minæ Dei, non sunt perpetua ma

*Hypocritæ,
nō solum gra
uiter, sed ex
periculose
peccant.*

*Suppliciorū
diuinorum ra
tio.*

tua maledictio (nisi quis prorsus eas contemnat, & perduret in impoenitentia) sed sunt uocatio ad poenitentiam, hoc est, agnitionem peccatorum, fidem, & legitimos fructus fidei. Sic Iudic. x. Israelitæ traditi in manus Philistinum propter impietatem, & inuocantes Dominum sub tyrannide, audiunt: Non addam ultra ut uos liberem. Ite & inuocate deos, quos elegistis, ipsi uos liberent in tempore angustiae. Et tamen cum resipiscerent, doluit Dominus super miseris eorum, & liberati sunt. Sic Ionas concionatur Niniuitis ex mandato Domini. Adhuc quadraginta dies, et Niniue subuertetur. Et tñ cum agerent poenitentiam, seruari sunt. Dicit enim Dominus per Iere. cap. xviij. Si poenitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum aduersus eam, agam & ego poenitentiam super malo, quod cogitavi &c. Et apud Ezech. Nolo mortem peccatoris, sed magis ut conuertat & uiuat. Igitur etiamsi minae dei uideantur seuerissimæ, & constantissimæ, uera tamen resipiscentia effici potest, ut non promoueant. Cæterum, quia Deus his minis uocat Israelitas non ad internitionem, sed ad poenitentiam, ideo iubet eos declarare poenitentiam externis argumentis, ut conspicuum fiat ipsos agnoscere peccatum suum, & dolere propter impietatem. Iam nunc, inquit, depone ornatum tuum, ut sciam quid faciam tibi, hoc est, Induat unusquisque uestem lugubrem, ut externo habitu publice declarat dolorem animi sui. Porro, luctui apud Iudeos, seruierunt ieiunium, cilicium seu saccus, & cinis. Ahab publice lugens futuram familiarum ipsius internitionem, operuit cilicio carnem suam, ieiunauit, & dormiuit in sacco. iij. Regum xxi. Niniuite prædicauerunt in luctu ieiunium, & uestiti sunt saccis a maiore usque ad minorem. Et Daniel cap. ix. ait: Posui faciem meam ad Dominum Deum meum, rogare & deprecari in ieiunijs, sacco & cinere. Habes caerimonias lugentium.

Nunc autem hoc opus, hic labor est, ut recte eas intelligas. Deus enim exegit in poenitentibus Israelitis has caerimonias, non quod opera ista expient peccata, quemadmodum impij hypocritæ usurparunt eas, nec exegit ipsas, quod peccatum sit, conspicuum & preciosum uestitum ferre, & pietas, in luto uolutari, aut cinere aspergi. Sed exegit eas ad publicam honestatem, primum, ut poenitentes his argumentis declararent publice animi sui moerorem, propter peccata. Vnde hæc caerimonie fuerunt ueluti publica peccatorum confessio. Deinde ut hoc exemplo incutiatur iuuentuti timor Dei, quo discant peccata formidare, et ad ueram pietatem adspirare. Quod enim Mose de alijs caerimonijs dicit: Cum interrogauerit te filius tuus cras, dicens: quid sibi uolunt hæc testimonia &c. respōdebis: Serui eramus Pharaonis in Aegypto, & eduxit nos Dominus de Aegypto manu forti etc. idem etiam dicendum est de caerimonijs lugentium, ut cum interrogent liberi, quid sibi

Luctus insignia apud Iudeos.

uelit inusitatus ille habitus, respondeant maiores, populum peccasse, & Dominum iratum esse, ac immissurum supplicia, nisi homines resipiscant &c. His igitur cærimonijs iuuentus ad pietatem eruditur.

Lugentium
Christianorū
insignia.

Ceterum Christianis, præsertim hīs qui sunt ex gentibus, nulla certa forma luctus præscripta est. Etsi enim quidam hæcenus usurparūt in luctu cærimonias Israeliticas, tamen post abrogationem Israeliticæ politicæ, non debuerunt hæc cærimoniæ luctus Ecclesię Christi, ut necessariæ obtrudi. Accessit etiam impia opinio, quod meritis harum cærimoniarum expiarentur peccata, & placaretur ira Dei. Hæc impietas ita has cærimonias infecit, ut non immerito alicubi abrogatę sint. Et tamen etiam inter Christianos necessaria est disciplina in publico luctu. Valeat igitur inter nos hac in parte, quod uulgo dicitur: Lex, regio, & absit quidem superstitio. Sui tamen obseruentur ritus in publico luctu, quibus & pœnitentiam nostram testemur, & pueritiam ad sectandam ueram religionem assuefaciamus.

MOSE QUOQ; TOLLENS TABERNACVLVM.)

Tabernaculi
Mosi,

Post tantam minarum Dei seueritatem, Israelitę egerunt pœnitentiam, ac publice quoq; testati sunt dolorem animi sui, propter peccatum. Audiens (inquit scriptura) populus sermonem hunc pessimum, luxit, & nullus ex more indutus est cultu suo. Et mox: Deposuerunt filij Israel ornatum suum coram monte Oreb. Deus igitur pœnitentia Israelitarum placatus, suscipit Israelitas iterum in curam suam, ac pergit inter ipsos uerbum suum reuelare, miracula edere, & religionem ac ciuilem Rempub. uerbo suo constituere. Ac primum omnium Mose tetendit tabernaculum, quod uocauit, Tabernaculum testimonij, procul extra castra. Hoc certe uix intelligi potest de eo tabernaculo, cuius exemplar antea Mosi in monte monstratum est, & quod postea in medio castrorum iuxta uerbum Domini erectum est, (quemadmodū Exodi capite xxx. & Nume. ij scribitur) nisi quis sentiat hæc *περιεργας εστως* scripta esse. Sed memorabile illud colloquium Dei cum Mose, quod hoc loco scribitur, & ante erectionem ueri tabernaculi factū est, manifeste indicat hæc de tabernaculo extra castra constructo, simpliciter intelligenda esse. Fuit igitur hoc tabernaculum Mosi, cuius hic fit mentio, ad tempus tantum constructum, ut in eo Mose uocem Dei exciperet, & causas forenses cognosceret, donec uerum tabernaculum cum arca & propiciatorio, ac alijs instrumentis supra commemoratis construeretur & erigeretur. Quod autem Mose tetendit tabernaculum suum procul extra castra, uel admonet Israelitas, quod etsi Deus est ipsis placatus, debeant tamen agnoscere, se propter admissum peccatum indigniores esse, quàm ut Deus inter ipsos habitet, uel significat, neminē posse in strepitu turbę sacris rebus commo-

commode operam dare. Cum oraueris (inquit Christus) introito in conclaue tuum, & occluso ostio tuo, ora patrem, qui est in occulto. Et Christus ipse oraturus secedit uel in montem, uel in desertum.

ET OMNIS POPVLVS QVI HABEBAT ALLQVAM QVAESTIONEM.)

Hic describitur usus eius tabernaculi, quod Mose procul extra castra tetendit. Primum enim: Quicumq; uolebat querere Dominum, egrediebatur ad tabernaculum testimoniꝝ extra castra, hoc est, is locus ordinatus erat, ut ibi prædicaretur uerbum Dei, & ibi etiam cause forenses cognoscerentur, ac iuxta sententiam uerbi Dei deciderentur.

Quærendo enim Dominum hoc loco est publico iudicio contendere, & petere in causa sua sententiam legitimam, quæ est sententiã Dei, quæ uel per Mosen, uel per ordinarios iudices pronunciabatur. Deinde fuit & is huius tabernaculi usus, ut Mose in eo colloqueretur cū Deo.

Atq; hic describitur quanta pompa, quanta maiestate Mose solitus fuerit in hoc tabernaculum ingredi, uel ut cum Deo colloqueretur, uel ut causas Israelitarum suorꝝ cognosceret. Cum egredieretur (inquit)

Moses in tabernaculum, assurgebat uniuersa plebs, et stabat unusquisque in ostio tabernaculi sui, uidebantq; post Mosen donec ingrederetur tabernaculum. Hæc reuerentia & obseruantia populi erga Mosen,

pertinet ad fructum pœnitentiæ. Nam cum antea Mosen in institutione uituli fastidiissent, nunc autem tanta obseruantia proficiscentem ipsum in tabernaculum prosequantur, perspicue significant, se uerbum Dei, cuius Mose concionator erat, tanto nunc reuerentius colere ac uenerari, quanto turpius antea Mosen tractarunt. Confirmat autem & Dominus publico miraculo huius tabernaculi sanctitatem. Ingresso enim Mose in tabernaculum, descendebat columna nubis & stabat ad ostium tabernaculi, loquebaturq; cum Mose, cernentibus uniuersis, quod columna nubis staret ad ostium tabernaculi. Hoc miraculo Deus iterum confirmauit autoritatem Mose, deinde significauit, se adhuc Israelitas fauore suo complecti, & præsto inter ipsos adesse. Et cum hoc Israelitæ probe intelligerent, ac gratitudinem suam quoquo modo possent, declararent, Stabant, & adorabant per fores tabernaculorum suorꝝ. Atq; hæc quidem ad Israelitas pertinent. Nos autem in nostra politia pro tabernaculo Mose habemus in causis forensibus publica prætoria, in sacris autem publica templa. Non est autem sentiendum, q̄ ea tantum diuina & spiritualia habenda sint, quæ tractantur in publicis templis. Hæc quidem talia sunt, si uerbū dei sincere prædicatur, ut per ea discamus, ueræ iustitiæ & foelicitatis rationem. Sed non sola sunt sacra & spiritualia. Nam & legitimæ iudicij sententiæ, sacrae sunt, & iuramenta partium litigantium spiritualia

Quærendo Dominum, quid sit.

Prætoria in politia Christianorum.

sunt. Quod ut Mose significaret, uoluit in sacro potius, quā in prophano tabernaculo causas forenses cognoscere. Quare tam magistratus quā partium litigantiū interest, ut ille iuxta leges, quæ sunt diuine ordinationes, non iuxta fauorem aut odium animi, causas cognoscat: hæc autē ueritatem, tanquā coram deo, loquantur, ne sanctus locus iniquis sententijs, & mendacijs ac peiurijs prophanetur, & sacra uiolentur. Cæterum, in Mosi locum successit nobis Christus Dominus noster, quem & Mose audiendum præcepit. Is Christus ingressurus in tabernaculum non manufactum, susceptus est nube, quia cum ascenderet in cœlum, subduxit eum nubes ab oculis discipulorū, & postea missus est spiritus sanctus. Quibus miraculis autoritas Christi ita cōfirmata est, ut ne angelo quidem aliud Euangelion, quā de Christo, prædicanti, fidem adhibere liceat. Non enim est aliud nomen sub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri. Stemus igitur & nos in foribus tabernaculorum nostrorum (hoc autem fit, dum adhuc in terreno nostro domicilio huius tabernaculi, quod destruetur, uiuimus) & adoremus Christum Dominum nostrum, ut cum hoc tabernaculum carnis nostræ destructum fuerit, ædificationem habeamus ex Deo, domicilium non manufactum, æternum in cœlis, quemadmodum Paulus ait.

LOQUEBATVR AVTEM DOMINVS AD MOSEN FACIE AD FACIEM.)

Hoc loco describitur memorabile colloquium Dei & Mosi in tabernaculo extra castra erecto. Nam cum dicitur: Loquebatur Dominus ad Mosen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suū, nihil aliud scriptura significat, quā quod Deus collocutus sit in tabernaculo cum Mose familiarissime & iucundissime. Deus enim colloquio suo non terruit Mosē, ut antea terruit populum, cum promulgaret decalogum, non collocutus est cum Mose, ut tyrannus cum subdito aut captiuo, ut carnifex cum damnato, sed ut amicus cum amico, quorum colloquia solent esse iucundissima. Non excutiemus autem nunc qua forma deus collocutus sit cum Mose. Siue enim collocutus sit, per uisibilem angelum, siue per aliam externam & uisibilem formā, siue per internam tantum reuelationem, parum retulerit. Certe quod dicitur: facie ad faciem, non potest intelligi, Deum posuisse Mosi ob oculos essentiam suam corporali specie. Sed intelligendum est de familiaritate colloqui. Facies enim Dei hoc loco significat fauorem, gratiam, et amicitiam Dei. Colloqui igitur facie ad faciem, significat familiarissime & amicissime colloqui. Sed excutiemus potius quid Deus cum Mose, quā qua externa forma, collocutus sit. Primum ergo omnium petit Mosē, ut siquidem deus iubeat ipsum ducere populum per desertum, per

*Facies Dei,
quid sit,*

tum, per tot hostes, ad terram Canaan, ostendit etiam ipsi quibus auxilijs, qua item uia aut modo id fieri debeat: Non indicas (inquit) mihi, quem missurus sis mecum, hoc est, non ostendis mihi auxilia, quorum uirtute hostes uincam, & populum tuum seruem. Et mox: Ostende mihi uiam tuam, hoc est, Peto ut mihi reueles modum & ratiōem, qua uelis populum tuum inter tot rerum discrimina seruare. Desertum enim, ut adhuc est bene longum, ita etiam rebus omnibus ad conseruandam uitam indigum est. Hostes, per quorum fines est proficiscendum, multi sunt & fortissimi. Habitatores terre Canaan, non solum ipsi sunt bellicosissimi, sed habent etiam urbes munitissimas, quarum muri ad coelum usq; pertingunt. Ex altera parte, Israel, populus est imbellis, qui cum tot annis Aegyptiorum serui fuerunt, tam pavidis animis sunt, ut non dico ad conspectum, sed ad ipsam mentionem hostis trepident. Cum igitur iubeas me in tanto rerum discrimine ducem esse populi tui, & ego nulla ratione consequi possim, quomodo possibile sit, ut hic populus inter tot hostes seruetur, obsecro te, ut reueles mihi, uiam, modum, & rationem, qua sis populum seruaturus, & ipsi possessionem terre Canaan traditurus. Breviter, Mose non est contentus promissione, qua Deus recepit se praesto affuturum ipsi & populo, Sed petit etiam scire modum aut uiam, qua sit ipsos liberaturus ab hostibus. Nam, quemadmodum supra cap. iij. & iiij. noluit suscipere uocationem educendi Israelitas ex Aegypto, nisi ante cognosceret nomen Dei, & adiungeretur ei comes in auxilium: ita nunc non uult pergere in deserto, & ducem populi iam liberati, per desertum agere, nisi habeat auxilia, & cognoscat liberationis uiam. Tentatur enim de fauore Dei, & nisi Deus ista reuelet, existimat se non habere Deum propiciū. Ostende, inquit, mihi uiam tuam, quo sciam inuenisse me gratiam. Haec non est simplex curiositas, sed significat etiam aliqua ex parte incredulitatem cordis. Atq; hic in Mose, etiam nostri cordis affectus adumbratur. Tamen si enim habeamus manifestas promissiones Dei, de liberatione & salute nostra in oibus aduersis, tamen his sepositis, hoc solum inquirere solemus, quae sint uiae & rationes liberationis & salutis nostrae, ac nisi eas inuestigauerimus, existimamus Deum non esse nobis propiciū, & de salute desperamus. Exempli gratia: Pater quispiam familias est, qui ut habet numerosissimam prolem, ita tanta paupertate premitur, ut singulis pene diebus splendorem solis in domo sua (si modo propriam habeat domum) citius uideat, q̄ panem. Huic dicit uerbum Dei. Ne sis sollicitus, dicēs: quid edemus aut quid bibemus, aut quibus operiemur. Nam oia ista Gentes exquirūt. Nouit enim pater tuus coelestis, q̄ opus habeas his omnibus. Quin potius primū quere regnum Dei & iusticiam eius,

& hæc oīa adhiētur tibi. Hæc est promissio uerbi Dei. Paterfamilias autem non hoc agit, ut hac promissione contentus quærat regnum Dei, hoc est, seruiat legitime suæ uocationi, sed inquit in presentem uiam ac rationem parandi uictus. Quam si non inuenerit, putat se a Deo abiectum, & desperat de uictu coram Deo, & quærit uictum apud Satanam, quia relicta legitima sua uocatione dat operam nugis, imposturis & peiurijis. Hoc enim est apud Satanam uictum quærere. Est & corpore quispiam ægrotus, qui audit e uerbo Dei: Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum. Aegrotus autē non hoc agit, ut confidenter & pacienter manum Domini ferat, sed tantum sollicitus est de modo & uia liberationis suæ a morbo, quam uiam, si non inuenerit, iudicat se a Deo derelictum, & de salute Dei desperat, ac inquit auxilia Satanae. Atq; hæc mala inde adeo accidunt, q̄ humanum ingenium natura sua magis curiosum & incredulum est, q̄ ut nudæ promissioni Dei fidem adhibeat. Quare, ut tantę curiositati & incredulitati medeamur, diligenter percipiendum est, quod Dominus Mosi respondet: Facies (inquit) mea ibit, & deducam te, hoc est, Ego ipse adero tibi fauore meo p̄sens, & auxiliabor tibi. Hac mea promissione sis contentus. Cum enim iuberem te educere Israelitas ex Aegypto, promisi me adiuturum tibi. Ego, inquit, ero tecum. Et quod promisi, idem etiam re ipsa uides me prestitisse. Idem nunc quod que promitto, cum iubeo te ducere Israelitas per desertum, ad terram Canaan. Hac igitur promissione contentus, pergas in uocatione tua, nec hoc inquiras, quod ego meę solius cognitioni reseruauī. Nam cum me ipsum tibi promiserim, quid tibi deerit? Omnia habet, qui me habet. Cum igitur uenerit tempus, ego rectam inueniam rationem seruandi uos. Tu tñ perge nunc, et crede promissioni. Quod Deus Mosi respondet, hoc idem sentiamus etiam nostrę curiositati ac incredulitati responsum esse. Cum enim habemus promissionem, q̄ Deus uelit nobiscum p̄sto adesse, & nos seruare propter Christum in oībus aduersis, quid amplius desideramus? Vbi Deus est fauore suo, quō ibi non esset rerum omnium benedictio & salus? Si ambulauero, inquit Psalm. in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniā TV mecum es. Etsi enim nos non possumus ingenio nostro excogitare uiam, qua seruemur: Dñs tamen Deus noster, ut satis est industrius ad excogitandas salutis rationes, tempore necessitatis, ita satis etiam potens est, qui excogitatas a se rationes tueatur & perficiat: Is em̄ Deus est, qui sanitatem, per infirmitatem, diuicias per paupertatem, honorem per ignominiam, uitam per mortem, adeoq; salutem per exitium & internitiōem conferre potest. Quare etiamsi in infirmitate, paupertate, ignominia, morte & exitio, non uideas nisi meras infirmitates, paupertate

Deum, qui habet, oīa habet

paupertates, ignominias, mortes & exitia, tamen cum habeas promissionem Dei, quæ est: Facies mea ibit, & deducam te. Aut: Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum: non sis sollicitus de euentu, nec sentias Deum ideo non esse tibi propiciam, quia aduersis obrutus es, sed confide, certissima spe concepta, quod Deus qui presto adest fauore suo, inuenturus etiam sit commodissimam salutis rationem.

ET AIT MOSE: SI NON FACIES TVA IBIT, NE EDUCAS NOS.)

Cum Mose non impetrasset, ut Deus reuelaret ipsi uiam & modum liberationis per desertum, sed reiectus esset ad ueterem promissionem, idque nulla Dei seueritate, sed iucundissima familiaritate, redditur subinde audacior ad colloquendum cum Deo, & petendum ab ipso, quæ cunctis allubescunt. Dicit ergo: Si non facies tua ibit, ne educas nos etc. hoc est, Si non uis reuelare mihi uiam, et modum seruandi populi tui inter hostes, hoc saltem a te impetrem, ut tantis miraculis nos serues, & ad terram Canaan deducas, ut clariore efficiamur omnibus populis, qui habitant super terram. Nam si non aliter nos tuearis, quam reliquas gentes incircumcisas, & si non alia uia tradideris nobis terram Canaan, quam reliquis gentibus suas dedisti regiones, quomodo cognoscemus te præ cunctis gentibus terre elegisse semen Abraæ, & populum Israel? Dixisti de hoc populo: Assumam uos mihi in populum, & ero Deus uester. Et iterum: Eritis mihi in peculium de cunctis populis, in regnum sacerdotale & gens sancta. Obsecro igitur te, ut quemadmodum redemisti nos ex Aegypto brachio excelsso, & iudicijs magnis, ita nos non uulgaris modo, sed uisendis & stupendis miraculis e deserto ad terram Canaan, quam promissioni deducas, ut non tam nos, quam nomen tuum in uniuersa terra illustretur. Nisi enim hoc feceris, prestiterit nobis uel in hoc loco manere, uel alias quascunque sedes quærere, quam per tot pericula incertum euentum sectari. Hæc est petitio, quæ ex fide proficiscitur. Deus enim promisit Patriarchis, se posteros ipsorum tanta benedictione ornaturum, ut etiam regiam maiestatem consecuturi sint. Cresce, inquit, & multiplicare. Gentes & populi nationum ex te erunt, & reges de lumbis tuis egredientur. Et iterum: Eritis mihi in peculium de cunctis populis terræ. Cum igitur Mose ex fide harum & similiarum promissionum peteret a Domino, ut manifestis miraculis declararet sese hunc populum elegisse, & in omnibus aduersis tueri, redditur uoti sui compos, & audit. Etiam uerbum istud, quod locutus es, faciam, hoc est, Non solum seruabo uos, & introducam in terram promissam, uerum etiam edam magna & stupenda in hoc populo miracula, ut manifestissimis argumentis perspicuum fiat, me hunc populum præ cunctis gentibus terre elegisse. Et addit: Inuenisti enim gratiam coram me,

Nosse ex nomine. & te noui ex nomine. Inuenire gratiam coram Deo, est Deo gratum & acceptum esse. Nosse ex nomine, est Deo curæ esse. Dicit ergo: Exaudiui preces tuas, quia acceptus es mihi per fidem, ex qua preces fudi, & curæ mihi es, ut te in ea uocatione ad quam te misi, conseruē, & iuxta meam promissionem, nomen tuum illustrem. Hæc sunt memorabilia exempla, ut cum Mose in priori petitione, qua scrutatus est uiam futuræ liberationis, repulsa non passus sit, nunc autem in hac petitione exaudiatur, agnoscamus partim pios ipsos ignorare, quid oraturi sint, ut oportet, quemadmodum Paulus ait, partim eas solas preces coram Deo efficaces esse, quæ ex fide proficiscuntur. Quare danda nobis est opera, ut in oratione habeamus promissiones Dei, quibus fidem & concipiamus & conseruemus.

Preces coram Deo efficaces

QVI AIT: OSTENDE MIHI GLORIAM TVAM.)

Curiositas hominum ad scrutandam maiestatem Dei. Hic mihi iterum uide in Mose humani ingenij curiositatem. Cum enim Mose non potuit impetrare a Deo reuelationem futurarum rerum, de uia & ratione, qua Israelite conseruandi sint in aduersis, ambit nunc reuelationem præsentis maiestatis Dei. Ostende, inquit, mihi gloriam tuam, hoc est, Quia recusas futura mihi reuelare, obsecro te, ut saltem reueies mihi præsentia. Rogo, maiestatem tuam intare ueles, ut possim eam extrinsecus sentire & palpare, ac populo uisibile & palpabilem obrudere. Nam quæ Israel paulo ante tam fœde a uerbo tuo defecerit, hinc adeo accidisse mihi uidetur, quia hæcenus non uiderunt substantiam tuam externa & manifesta maiestate. Quare operæ precium facies, ut nobis ob oculos ponas maiestatem tuam, sicut re ipsa est, quo Israelite non audiant tantum uerbum tuum, sed etiam te ipsum sensibiliter uideant, ac maiestatem tuam manibus, ut ita dicam, palpent. Tamen si enim sæpenumero inculcem eis, quæ sit Deus, quod Deo curæ simus, quæ Deus præsto nobis adsit in omnibus afflictionibus, quod seruatorus nos sit in omnibus aduersis, quæ ducturus nos sit incolumes ad terram patribus promissam, atque adeo, quæ quæ uerba tuo mandato loquor, Dei uerba sint, & affirmem hæc omnia confirmari & certificari, per stupenda tua miracula, quæ partim in Aegypto, partim in mari rubro, partim in deserto ædidisti, tamen tanta est cæcitas eorum, ut quia te non uideant, ac palpent externo sensu, quemadmodum subditus regem suum, aut filius parentem suum uidet, existimēt uanissimum esse, quæ de te predicatur. Quare, nisi fallor, nihil potes nec nobis nec nomini tuo utilius facere, quæ si explices mihi maiestatem tuam externo sensu comprehensibilem, ut possim eam, quoties opus est, Israelitis ostendere, ac impia loquentibus os obstruere. Quod Mose hoc loco agit, idem etiam egit supra cap. iij. Si dixerint, inquit, quid est nomen eius, quid dicam eis? His uerbis inquit Mose, in manifestam ac

stam ac

itam ac carnalem reuelationem diuine maiestatis. Et est uulgaris ho-
 minum morbus, q̄ cum mentio Dei fit, affectent Deum ac maiestatem
 eius externo sensu comprehendere. Sed hoc quid aliud est, q̄, non di-
 cam quidem incredulitas, sed incredulitatis reliquie. Quare ut expur-
 gemus aut saltem compescamus eas, obseruandum erit diligentissime,
 quid Deus Mosi respondeat. Non enim hic agitur negocium unius
 tantum Mosi, sed totius Ecclesie Dei, ut ex reuelatione, quae hoc loco
 Mosi facta est, discamus, quomodo Deus in hoc seculo cognosci queat. Re-
 spondet ergo Dominus Mosi: Ego ostendam omne bonum tibi, &
 uocabor in nomine Domini coram te &c. Vbi uulgata tralatio habet: Vo-
 cabor in nomine Domini, ibi Hebraeus ita legit: וקראתי בשם יהוה,
 Et uocabo in nomine Domini. Qua forma loquendi significat Deus
 Mosi, se, audiente ipso, commemoraturum & recitaturum epitheta &
 cognomina sua, e quibus satis intelligere possit, quae ad salutem bona,
 utilia & necessaria sunt. Similem formam loquendi habes supra cap.
 xxxi. & postea cap. xxxv. Vocauit in nomine Besaleel. Vbi certe non
 est sentiendum, q̄ Deus inuocauerit aut adorauerit nomen Besalee-
 lis, sed q̄ eum nominatim elegerit, ac nomine suo designauerit in arti-
 ficem tabernaculi. Sic Esa. xxxiii. Dominus dicit ad Israel: Vocauit
 te in nomine tuo, Similiter Esa. xxxv. ad Cyrum ait: Ego Dominus,
 qui uoco in nomine tuo. Quibus in locis, quid absurdus esset, q̄ sen-
 tire q̄ Deus inuocauerit nomen Israelis aut Cyri? Sed Deus his uer-
 bis significat, se elegisse Israel & Cyrum nominatim, ut quotquot
 audierint nomen eorum, cognoscant ipsos a Deo electos, & ad nume-
 rum populi Dei pertinere. Quod igitur Dominus respondet hoc lo-
 co Mosi: Ego ostendam tibi omne bonum &c. Et mox: Non poteris
 faciem meam uidere. Non enim uidebit me homo & uiuet, hanc sen-
 tentiam habet, Quod tibi de me pollicearis oem clementiam, agnos-
 co pietatem tuam. Quod autem ambis corporaliter uidere substantiam
 seu essentiam maiestatis meae, reprehendo curiositatem tuam. Nulli
 enim hominum licebit in hoc nostro illo corporali seculo, essentiam maiesta-
 tis meae sensibiliter & perfecte cognoscere. Futurum enim & spiri-
 tale seculum in hoc est ordinatum, ut in eo a uobis hominibus cognoscar,
 quemadmodum ego nunc uos cognosco, In hoc autem corporali secu-
 lo, in quo nunc uitam agitis, licebit me tantum ex parte cognoscere, &
 per speculum in enigmate cernere. Aliter enim de ESSENTIA maie-
 statis meae, aliter de VOLUNTATE maiestatis meae loquendum
 est. Ac in futuro quidem seculo cognoscetis essentiam meam. In hoc
 autem praesenti seculo sufficit uobis cognoscere uoluntatem meam.
 Quare, etsi tu Mose precaris, quod homini ad consequendum in hoc
 seculo impossibile est, tamen ut aliqua ex parte te precum tuarum con-

potem faciam, non reuelabo quidem coram te incomprehensibilem
 maiestatis meae essentiam, transire tamen faciam coram te omne bo-
 num meum, reuelabo tibi omnem bonam meam uoluntatem, qua er-
 ga hoies afficior, & manifestabo tibi epitheta seu cognomina mea, ex
 quibus perspicue intelliges, quam ego uoluntatem, quem animum,
 quos affectus erga uos homines geram, quid item uobis de me, et ani-
 mo meo polliceri debeatis. Et ut breuiter intelligas, quae postea pluri-
 bus explicabo, effundam nunc summam coram te omnem animi mei
 affectum. Is autem sic se habet: Fauero, cui fauero, misereor, cuius mi-
 sertus fuero, hoc est, ita affectus sum, ut non sim nisi ipsa misericordia
 & clementia, qua etiam complector quemcunq; uisum mihi fuerit. Sa-
 lus enim hominis, non pendet ex meritis operum suorum, sed pendet
 tantum ex mea misericordia. Nam homines natura sua omnes damna-
 ti sunt. Quicumq; igitur seruantur, mea solius misericordia & fauore
 seruantur. Eos autem seruo per misericordiam, quos uolo, ut salus nec
 sit currentis nec uolentis hominis, sed tantum uolentis, fauentis, &
 miserentis Dei. Habes sententiam responsionis Dei ad Moysen *magis*
propositio explicatam. Primum igitur discamus ex ea, curiositatem no-
 stram de palpando externis manibus deo compescere, & non hoc age-
 re, ut inuestigemus incomprehensibilem essentiam diuinae maiestatis,
 sed potius ut cognoscamus uoluntatem eius. Atq; hoc est, quod deus
 significauit, dum occultata semper genuina maiestatis suae facie, reue-
 lauit uerbum suum, primum quidem per Patriarchas & prophetas,
 nouissime autem per unigenitum filium suum, qui etsi uerus & natu-
 ralis est Deus, genuiuam tamen et propriam faciem Dei assumpto ho-
 mine obtexit. Hinc etiam est, qd Deus instituit duas publice conciois
 partes. Alteram Decalogi, in monte Sinait alteram Euangelij, in mon-
 te Sion. In quibus non nisi uoluntatem suam nobis cognoscendam pro-
 posuit. In una eaq; significauit, quid uelit ut faciamus: In altera, quid
 uelit ut credamus, & quam ipse uoluntatem erga nos habeat. Vnde et
 cum promulgaret decalogum, ac proponeret nomen suum. Ego (in-
 quiens) sum Dominus Deus tuus, ne quis expectaret ab ipso praedi-
 cationem incomprehensibilis maiestatis suae, statim reuocat auditores
 ad manifesta opera sua, & addit: Qui te eduxi de terra Aegypti. Nam
 ex hoc opere cognoscitur uoluntas Dei erga populum suum, quemad-
 modum sepe numero explicuimus. Sic & cum Philippus apud Euan-
 gelistam Ioannem diceret ad Christum: Ostende nobis patrem: mox
 reuocatur ab inuestigatione incomprehensibilis maiestatis Dei, ad
 cognoscendam uoluntatem eius comprehensibilem, et in CHRISTO
 manifestatam. Qui me uidet, (inquit Christus) uidet & patrem me-
 um. Sectemur igitur uocationem Dei, & hoc unum agamus, ut relicta
 inuestiga

*Voluntas dei
 cognoscenda.*

inuestigatione occultæ maiestatis Dei, cognoscamus affectum Dei erga nos, & uoluntati eius obediamus. Deinde. Quod dicit: Miserebor cui uoluerō, & clemens ero in quem mihi placuerit. Seu ut habent Hebræa: Fauebo, cui fauero: & miserebor, cuius misertus fuero, diligenter obseruandum & alta mente reponendum est. Paulus enim ad Romanos scribens, allegat hunc locum, & probat ex eo, electionem ad salutem, constare in sola Dei misericordia, non in meritis humanæ iusticiæ, siue præcedentibus siue sequentibus electionem. Nondum, inquit, natis pueris (loquitur autem de Iacob & Esau) cum neq; boni quippiam fecissent neq; mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex uocante dictum est illi: Maior seruiet minori. Sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Quid igitur dicemus? Num iniusticia est apud Deum? Absit. Nam Mosi dicit: Miserebor cuiuscunq; misereor, & commiserabor, quemcunq; commiseror: Itaq; non est uolentis, neq; currentis, sed miserentis Dei. Hactenus Paulus. Hoc nobis cognitu non solum necessarium est, uerum etiam, si recte intelligamus, iucundissimum. Nos enim natura nostra, per peccatum ita fracti & deiecti sumus, ut nõ queamus uiribus nostris ad ueram salutem, non dicam, contendere, aut conari, sed ne adspirare quidem. Quare, si consecutio salutis reposita esset in manum, aut nostri arbitrii, aut nostrarum uirtutum, ibi tum nulla plane esset nobis spes consequendæ salutis relicta. Nunc autem quia Deus reseruauit electionem ad salutem, in manu sua, idq; non in manu seueritatis suæ, sed misericordiæ suæ; cuius diuitiæ sunt imperuestigabiles, certissima nobis spes consequendæ salutis relinquitur. Tamen si enim dicat se eius tantum misereri, cuius ipsi uisum fuerit, tamen reuelauit etiam hac in parte uoluntatem suam, in Christo Iesu Domino nostro, uidelicet, qd eius uelit misereri, qd credit in Christum Iesum filium suum. Hec enim (inquit) est uoluntas eius qui misit me, ut omnis qui uidet filium & credit in eum, habeat uitam æternam, et ego suscitabo eum in nouissimo die. Quare reuelato Christo, nullus iam dubitationi locus, nec de misericordia dei, nec de uoluntate eius relinquitur, ut si in Christum crediderimus, certissimi simus, nos ex misericordia Dei ad perpetuam salutem electos esse.

ET ITERVM : ECCE (INQVIT) EST LOCVS APVD ME, ET STABIS &c.)

Recepit antea Deus, se reuelaturum Mosi omnem suam beneuolentiam, & indicaturum cognomina sua, quibus omnem bonam uoluntatem suã cognoscat. Ac paucissimis quidem significauit, totã uoluntatem suã, non esse nisi misericordiã & clementiam, nũc aut promittit se uoluntatem suam pluribus explicaturum, idq; non in tabernaculo,

Misericordiã
Dei, non me-
ritis nostris
seruamur.

sed in monte Sinai, necq; id uulgarī modo, sed magna maiestate, & stupendo miraculo. Ac primum, exponit modum, quo sit seipsum manifestaturus, & cognomina sua reuelaturus. Ecce (inquiens) est locus apud me, hoc est, in monte Sinai. In hunc montem ascendendum tibi erit, & standum supra petram. Quod postq; feceris, reuelabo me coram te magna maiestate, ac ne p̄ ea concidas, ponam te in foramine petre, ut firmus ac fixus constes. In hac apparitione, non expectes me reuelaturum tibi faciem meam, hoc est, imperscrutabilem essentiam maiestatis meæ, sed ponam figuram quasi manus meæ super te, & detinebo ac obuelabo oculos tuos, ne uideas faciem meam. Commemorabo autem epitheta & cognomina mea, quæ postq; recitauero, & manum meam iterum abstulero, uidebis posteriora seu tergum meum, facies autem mea non uidebitur, hoc est, Cognosces me non ex facie, sed a tergo. Cognosces me non ex propria forma seu essentia, sed ex epithetis seu cognominibus meis. Cognosces me non ex inuisibili & imperscrutabili mea substantia, sed ex uisibilibus & perscrutabilibus meis operibus seu effectibus. Facies enim Dei hoc loco significat imperscrutabilem Dei essentiam ac maiestatem. Posteriora aut̄ eius dicuntur manifesta & uisibilia opera Dei. Vnde & uulgus cognitionē ab effectibus, uocat cognitionem a posteriori. Et Paulus dicit: Inuisibilia Dei cognosci ex creatione mundi, per opera. Et Act. xiiij. Deus non expertem testimonij seipsum sese linebat, dum beneficia conferret, de cælo nobis dans pluias ac tempora fructifera, implens cibo ac leticia corda nostra. Sed quomodo Deus reuelet sese a posteriori, seu a tergo, postea ipse copiose significabit, cum recitabit nomina seu epitheta sua coram Mose, ut in sequenti capite audiemus.

*Facies Dei
quid sit*

CAPV'T XXXIII.

ET DIXIT DOMINVS AD MOSEN: PRAECIDE.)
 Quod Dominus antea Mosi promisit, uidelicet, se reuelaturum ipsi, non quidem genuinam faciem maiestatis suæ, sed uoluntatem suam per cognomina, hoc nunc impleri describitur. Ac primum, ut Israelitæ uideant Deum ipsis placatum esse, ac uelle eos pro populo suo agnoscere, præcipit Dominus Mosi, ut duas lapideas tabulas præcidat, instar priorum, quæ fractæ fuerunt, uidelicet, ut cum Deus inscribat in eas Decalogum, & Israelitis obseruandum commendet, manifeste intelligant, ipsos adhuc Deo curę esse, ac Deū administrare Remp. eorum. Deinde ut supra in promulgatione Decalogi seuerissime mandatum fuit, ne quis in montem ascendat, nec fines eius attingat, ita eadem seueritate nunc quoq; præcipitur, ne interea tempo-
 sidum

ris dum Mose in monte fuerit (erat autem illic mansurus quadraginta diebus & noctibus, quemadmodum postea sequitur) nullus nec ascendat in montem, nec uideatur circa montem, ac ne boues quidem & oues in prospectu montis pascantur. Hæc seueritas partim opponitur curiositati Israelitarum, & monet, ut unusquisque contineat se intra fines sue uocationis, nec irrumpat in mysteria inaccessa, ad scrutandam incomprehensibilem maiestatem Dei, partim commendat auctoritatem huius colloquij, ad quod Deus Mosen in montem uocauit.

EXCIDIT ERGO DVAS TABVLAS LAPIDEAS, QVALES PRIORES FVERANT &c.

Hoc illud memorabile est colloquium, quo Deus iuxta promissionem suam antea in tabernaculo dictam, reuelat Mose omne bonum suum, & recitat coram eo epitheta seu cognomina sua, ex quibus cognoscatur omnis bona Dei uoluntas erga homines. Primum ergo, quod scriptura dicit, Dominum descendisse in montem per nubem, & stetit coram eo, hoc illud est, quod prius dixit: Ecce locus est apud me, & stabis super petram, cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petrae. Dominus enim reuelauit Mose praesentiam suam in monte, non quidem natua facie sua, sed tamē magna maiestate, nec potuisset Mose praeter ea in petra firmus consistisse, nisi Dominus conseruasset ipsum, donec commemoraret coram eo, quae tunc commemoranda dixit. Deinde ubi uulgata translatio habet (Cum descendisset Dominus per nubem stetit Mose coram eo, inuocans nomen Domini, Quo transiit coram eo ait) ibi iuxta Hebraeam ueritatem, & collationem aliorum locorum scripturae, sic legendum & intelligendum est: Et descendens Dominus per nubem, stetit (uidelicet Dominus) ibi coram eo (hoc est, coram Mose) & commemorauit (nimirum Dominus) nomen Domini, & transiens Dominus coram, recitauit (uidelicet, Dominus ea quae sequuntur) Nam quod hoc loco dicitur: Inuocans nomen Domini, idem illud plane est, quod supra dominus dixit: Ego ostendam omne bonum tibi, & uocabor in nomine Domini coram te. Quae enim hoc loco sequuntur: Dominator, Dominus, deus misericors &c. non sunt uerba Mose inuocantis Deum, sed sunt uerba Dei commemorantis coram Mose epitheta & cognomina sua, quibus omne bonum suum, hoc est, omnis bona sua uoluntas, & quae nobis de deo ad salutem nostram cognitu necessaria sunt, cognosci queant. Unde & Mose in Num. ca. xiiij. allegat hanc reuelationem, & admonet deum suorum epithetorum, ut iram eius mitiget. Ait enim: Magnificetur fortitudo Domini, sicut iurasti (in ea uidelicet reuelatione, quae facta est in monte Sinai) dicens, te esse Dominum longanimum, multae misericordiae, & tollentem iniquitates &c. Huc etiam respicit Psalm. cxi.

dicens: Notas fecit uias suas Moſi, filiſ Israel uoluntates ſuas. Vbi autem hoc factum eſt? In monte Sinai, cum Dominus commemoraret Moſi epitheta ſua, dicens: Miſerator, & miſericors Dominus, longa nimis & multum miſericors &c. Ex hiſ perſpicuum eſt, non Moſen coram Deo, ſed Deum coram Moſe recitare in hoc loco uerba iſta: Dominator, Dominus, Deus miſericors &c. & ea non eſſe, niſi epitheta Dei, quibus ad cognitionem uoluntatis Dei perueniri poteſt, Perſtringamus igitur ea ex ordine, ut quæ nobis, de affectu Dei erga nos, per ipſa ſignificentur, manifeſte cognoſcamus.

Nominis Adonai ſignificatio

Primum & ſecundum epitheton Dei eſt: Dominator, Dominus. Pro hiſ duobus uocabulis, in Hebræo, bis ponitur Adonai nomen tetragrammaton יהוה יהוה. Oſtendimus autem pluribus ſupra ca. iij. & vi. qd hoc nomen יהוה non ſit nomen ſignificatiuum imperſcrutabilis eſſentiæ Dei, ſed perſcrutabilis uoluntatis Dei, & ſignificet firmitudinem ac conſtantiam dei in promiſſis ſuis. Deus enim promiſſionum ſuarum tam ſeruans eſt, ut malit naturam rerum inuertere, & cœlum ac terram demoliri, q̄s permittere, ut uel unum tantum promiſſi ſui iota aut apex fallat. Duplicatur autem hoc loco, nomē Adonai ſeu Iehoua, ut repetitione nominis ſignificetur, certiſſima & in æternum nunq̄ fallibilis promiſſionum Dei ueritas. Cum igitur hoc epitheton reuelat nobis conſantiſſimam uoluntatem Dei in promiſſis ſuis, quid ex eo, niſi manifeſta & certa ſalus nobis proponitur? Nam ut cōſequamur coram Deo ſalutem, fides in Deum ſeu uerbum dei nobis neceſſaria eſt. Credidit, inquit ſcriptura, Abraam Deo, & reputatum eſt ei ad iuſticiam. Et: luſtus ex fide ſua uiuet. Ex hoc autem Epitheto Dei, quo reuelatur conſtans ueritas promiſſi Dei, fides tum concipitur, tum cōfirmatur. Quare uera huius epitheti cognitio affert nobis certam & inſallibilem ſalutem, cum interim curiola imperſcrutabilis eſſentiæ Dei inſpectio afferret nobis certum exitium.

Fides, ſalus noſtra

Tertium & quartum epitheton: Deus miſericors & clemens. Pro, miſericors, eſt apud Hebræos רחום quod ſignificat humaniſſimum illum cordis affectum, quo mater erga dilectiſſimum ſuū filium, magnis miſerijs obrutum, afficitur, aut quo amicus erga amicum miſerime perichitantem fertur. Pro, clemens, Hebræus habet רַחֵם, quod ſignificat gratiam & fauorem, quo dñs fidelem ſeruū, aut parens obediētem filium ita complectitur, ut cupiat in eum conferre oīa beneficiorum genera. Hiſ ergo epithetis reuelat Deus, ſe miſeros & afflictoſ hoīes totis, ut ita dicam, uiſceribus ſuis tanto fauore proſequi, ut non poſſit teneri, quin eos ſeruet, ac innumeris beneficijs afficiat. Vnde & additur nomen אלה, qd eſt nomen Dei, a fortitudine deductū, ut ſignificetur, Deum non tantum miſericordem & beneficum eſſe, uerum etiam ſa-

Miſericordia Dei

etiam ſa-

etiam satis potentem & fortem esse, qui iuxta uoluntatem commiserationis & fauoris sui possit ac ualeat miseris & afflictis succurrere. Hæc epitheta probe cognita, confirmant nobis fidem in aduersis, augeant spem, & conseruant nos in patientia ac obedientia uocationis Dei sub afflictionibus. Quia enim Deus sic erga miseros affectus est, fieri non potest ut miseria in Deum confidentes perdat. •

Quintum epitheton: paciens, seu longanimis. Etsi enim Deus maximo odio prosequitur peccatum, tamen tantæ est bonitatis, tolerantia & clementia, ut non statim propter peccatum inferat supplicium, sed expectet multo tempore poenitentiam, & lenitate sua inuitet ad resipiscentiam. Longanimitas enim inter uirtutes nõ extremum locum obtinet. Cum igitur in Deo omnes uirtutes sint perfectissimæ, manifestum est, tantam etiam longanimitatis uirtutem esse, ut malit iram suam remittere, q̄ longanimitatis gloriam amittere. Hoc cognomen docet nos timorem Dei, ut postq̄ contingit nobis in peccatis prospera fortuna, non blandiamur nobis in peccatis, non iudicemus peccata esse iusticiam, non existimemus Deum res humanas negligere, non sentiamus Deum approbare peccata, sed agnoscamus immensam eius clementiam, qua nos ad poenitentiam inuitat, & timeamus eum, ut in tempore, sine ulla dilatione resipiscamus.

Sextum: Multus misericordia & ueritate: Pro misericordia Hebræus habet רחם, quod significat liberale donum seu beneficium. Pro ueritate Hebræis est אמת, quod significat fidelitatem, quemadmodum dicimus fidelem seruum aut amicum. Et hæc duo fere coniungi solent. Gen. xxiii. Si facitis misericordiam & ueritatem cum Domino meo, hoc est, Si uultis esse fideles amici, & liberale beneficium in Dominum meum conferre. Psalm. xxxix. Misericordia tua & ueritas tua semper susceperunt me. Prouerb. xvi. Misericordia & ueritate redimitur iniquitas, hoc est, Benefaciendo proximis liberaliter & fideliter, fit, ut multa mala & peccata euitentur. Hoc ergo epitheto significatur, Deum esse liberalissimum & fidelissimum benefactorem, qui multo magis cupiat nobis beneficia impartiri, quam nos accipere, & qui plura ac maiora beneficia præstare soleat, quam nos aut petere, aut sperare, aut etiam optare audeamus. Vnde Paulus ad Ephesios scribens: Potens est, inquit, Deus facere ultra omnia quæ petimus aut cogitamus &c. Alitur autem & conseruatur hoc epitheto fides nostra in oratione, ut quæcunq̄ iuxta uerbum Dei petierimus, ea non minus impetratu certa sint, quam si iam consecuti essemus.

Septimum: Custodiens misericordiam in millia. Pro misericordia idem nomē habetur, quod antea, scilicet רחם, & significat beneficium. Est igitur huius epitheti sensus. Deus tam liberalis, tam munifi-

Longanimis
tas Dei

eus benefactor est, ut non ijs tantum, qui ipsum diligunt, uerumetiam uniuersę familie eorum, in mille etiamnum generationes, beneficia præstet. Idem epitheton recitat quoque Deus de se in Decalogo, et alias in scriptura aliquoties repetitur. Inuitat autem nos ad obediendum Deo, & sectandam uocationem eius, ut non nos tantum habeamus Deum propiciū & liberalem benefactorem, sed relinquamus etiam talem Deum posteris nostris. Nec possumus maiorem & excellentiorem hæreditatem posteris nostris relinquere, quam si pia nostra obedientia tradamus eis, quasi per manus eum Deum propiciū, qui hoc loco de seipso hunc titulum prædicat, quod custodiat misericordiam in millia.

Octauum: Qui tollit seu remittit iniquitatem, scelera & peccata. Dixerit quispiam: Iustus quidem misericors est Deus, clemens & liberalis, quid autem fiet de peccatoribus: Explicat igitur hoc epitheto, quod non sit tantum clemens & misericors in conferendis beneficijs externis aut corporalibus, sed etiam quod maximum omnium beneficium est, in remittendis peccatis. Ac primum, nullum genus est peccati, quod Deus non remittat, siue quis peccauerit aduersus Deum, siue aduersus hoies, siue peccauerit impietate cordis, siue impietate facti. Quorumcunque nomine ueniat, siue iniquitatis, siue sceleris, siue impietatis, remittitur a Deo. Deinde remittit Deus peccatum, non respectu ullius humanę uirtutis, aut dignitatis, sed tantum respectu immensę sue misericordię, qua miseretur cuius ipsi uisum fuerit. Ostendimus autem supra, quod Christo reuelato, uoluntas etiam Dei reuelata sit, Cæterum cognitio huius epitheti confirmat nobis fidem, non in externis tantum afflictionibus, uerumetiam in tentationibus mortis & periculis inferni, adeoque conseruat nos in morte & inferno, ut liceat per mortem ad uitam, & per infernum ad cælum peruenire.

Nonum. Nullum faciens innocentem. Hoc uulgo ita exponitur, quod nullus sit per se coram Deo innocens. Quod uere quidem dicitur, sed non uidetur genuinū huius epitheti sensum explicare. Hebreus ita habet וְנָקָה לֹא יִנְקָה, hoc est, dimittit impunē, non dimittit impunē. Et quod hoc sit intelligendū, Chaldæus παραφρασιως ita exposuit: סלה לֹא יִיבִי לְאֹרֵי יִתְיָה וְלֹא יִיבִי לְאֹרֵי מִצְוֵי hoc est, parcēs ijs, qui conuertuntur ad legem eius, & eos qui non conuertuntur, non iustificans. Hoc ergo epitheto significat Deus, quod non sit, ut uictor tyrannus & crudelis, sed ut uictor clemens & moderatus. Tyranni enim uictores urbium, solent ferro suo in omnes uictos dediticios indiscriminatum grassari, nec cuiquam uel sexui uel ætati parcere. Clementes autem uictores non sæuiunt in quosuis, sed recipiunt uictos dediticios in gratiam & uindictam, in ueniam & pœnam, uidelicet, ut parcant quibus

vffgnad uind
ungnad auff
nemen.

quibus uelint, ut puniant quos libet. Nam cum omnes uicti morti obnoxii sint, clementes tamen uictores, nō omnes trucidant, sed hos quidem seruant, illos autem adeoq̄ paucissimos occidunt. Sic & Dominus Deus noster non est ut tyrannus uictor, qui quosuis indiscriminatim conculcet & perdat, sed est ut clemens uictor, qui uictos partim in gratiam recipiat, partim supplicij afficiat. Tamen enim omnes homines meriti sint extremam internitionem propter peccata, Dominus tamen Deus noster tam clemens est, ut non omnes extrema internitione perdat, sed alios quidem, nimirum impoenitentes, perire sinat, alios autem uidelicet poenitentes in gratiam recipiat, & perpetua foelicitate donet. Atq̄ hanc sententiam probant etiam alia scripturae loca, Hier. xxx. & xxxvi. ita dicit Dominus ad Israel: Faciam consummationem in cunctis gentibus, in quibus dispersi te. Te aut non *Jeremie loci* faciam in consummationem, sed castigabo te in iudicio, ut ibi non uidearis innoxius: *cus expositus* Pro his uerbis (ut ibi non uidearis innoxius) Hebraeus habet epitheton Dei, quod hoc loco commemoratur, uidelicet: Dimittam impunem, non dimittam impunem. Iam si ita intelligas, q̄ Deus non uelit Israelem iudicare innocentem, erunt magis irae uerba q̄ fauoris, & minarum q̄ promissionum. Ac inepte cohærebunt cū ijs, quæ præcedunt. Ait enim Dominus: Castigabo te in iudicio, hoc est, Non perdam te temere & indiscriminatim, quemadmodum Gentes, quas totas absumam. Quod si ea quæ sequuntur, ita exponas: Et non iudicabo te innocentem, quomodo apte conuenient: nisi forte fingas conciliationem longissime petitam. Vera igitur sententia hæc est: Esti uos Israelitæ non minus meriti estis impietate uestra extremam internitionem, q̄ Gentes, ego tamen non delebo uos, sicut Gentes, sed temperabo castigationem meam recto iudicio, & clementi moderatione, ac alios quidem impunes dimittam, alios autem, nimirum præfractos et impoenitentes, poena afficiam. Idem habes Ioh. ultimo. Nam ubi nos legimus: Mundabo sanguinem eorum, quos non mundaue- *Iohelis Ioué* ram, ibi Hebræa ueritas iuxta phrasim huius epitheti ita habet: Dimittam impunem sanguinem eorum, non dimittam impunem, hoc est, *expositus* Longe aliter tractabo Aegyptios & Edomitas, q̄ Israelitas. Aegyptus enim erit in desolationem, & Idumæa in desertum perditionis. Iuda autem habitabit confidenter. Non enim delebo eos internitione, sed puniam quidem impios & impoenitentes. Pios autem seu poenitentes & iustos, seruabo perpetua salute. Habes ueram sententiam huius epitheti: Dimittit impunem, non dimittit impunem. Est autem epitheton diligentissime obseruandum. Primum enim docet nos recte iudicare de ijs, qui ex populo Dei publicis & generalibus supplicij propter peccata diuinitus immisissis pereunt, ut non sentiamus eos

*Diluuium nõ
omnes perdi
dit*

*Hierosolymi
tana deuasta
tio*

omnes, qui pereunt, perpetua internitione perire. Exempli gratia. Diluuium, quod sub Noe factum est, generale fuit supplicium, ac ueluti uictoria Dei super impios. Quanquam autem Noe tantum octauus ser uatus sit in arca, et alij omnes aquis perierint, num sentiendum est eos quoq; omnes sempiterna internitione perijsse? Omnes quidem meriti fuerunt æternam damnationem, sed quid si in ipso medio aquarum supplicio aliqui resipuerunt, præsertim cum inter illos non fuerint tantum filij Cain, uerumetiam filij sanctissimorum Patriarcharum? Cerre quantum ex hoc Dei cognomine intelligi potest, Deus supplicium diluuij, hoc est, uictoriam suam ita temperauit, ut permiserit quidem impœnitentes non aquis tantum obrui, uerumetiam perpetua damnatione interire. Pœnitentes autem in ipsa suffocatione serua uerit ad perpetuam salutem. Fuit etiam obsidio ac deuastatio Hierusalem, quæ a Nebucadnezare facta est, supplicium diuinum, ac ueluti uictoria Dei super impios. Nunquid ergo dicemus omnes eos, qui in obsidione perierunt fame & peste, ac postea in deuastatione, gladio, in æternum perijsse? hoc certe non est eius permittere, qui gloria tur isto titulo: Dimittens impunem, non dimittens impunem. Qui enim resipiscunt, seruantur perpetua salutē, etiamsi temporario supplicio propter peccatum immisso pereant.

Deinde hoc epitheton non solum docet recte iudicare, de ijs, qui superioribus temporibus in publicis supplicijs perierunt, sed etiam unumquemuis in supplicio comprehensum, ut ne sic quidem animū despondeat, sed adhuc resipiscat. Resipiscendum quidem est ante supplicium, & cum Dominus loquitur, audiendum est, atque obediendum, ne forte audiamus, quod DOMINVS per Prophetam dicit: Factum est, sicut locutus sum, & non audierunt, sic clamabunt, & non exaudiam, attamen si ita cadat, ut supplicium comprehendat quæpiam, antequam pœnitentiam egerit, non est desperandum, sed ad dominum confugiendum in medio etiamnum supplicio, & confirmanda est conscientia ex hoc epitheto, quod Deus non sit uictor tyrannus, sed clemens, qui in gratiam recipiat dediticios, quocunq; tempore sese per resipiscentiam dedant.

Decimum: Visitans iniquitatem patrum in filijs ac nepotibus, in tertiam & quartam generationem. Est & hoc Dei epitheton in Decalogo commemoratum. Necessario autem additur epithetis prius enumeratis. Cum enim Deus hætenus de se nihil, nisi summam misericordiam, liberalitatem et clementiam recensuerit, posset quispiam existimare Deum non habere odio peccatum, sed approbare ipsum, nec pœna sed præmio dignum iudicare. Vnde fieri posset, ut quis præsumptione tantę Dei misericordiæ peccet, & in designandis peccatis per seue

perseueret. Additur ergo hoc epitheton, ut reueletur odium Dei in peccatum, & homines timorem Dei discant, ac in officio obedientiæ erga Deum contineantur. Deus enim tanto odio prosequitur peccatum, ut non solum autorem peccati, uerumetiam filios ac nepotes, a deoq; tertiam & quartam generationem eius propter peccatum puniat. Et hanc seueritatem exercet Deus in illos, qui sunt impœnites. Nam quem affectum erga pœnites gerat, epithetis antea enumeratis explicatum est: Deus enim non proponit hoc epitheton, ut hac seueritate conijciat homines in perpetuam desperatiõem, (non em̄ uult mortem peccatoris) sed proponit tantum, ut contineat populum suum in obedientia, ne præsumptione misericordiæ non peccata tantum designent, uerumetiã in peccatis impœnites maneat. Atq; hæc sunt epitheta seu cognomina, quibus Deus reuelat sese coram Mose, ut de ijs publice in populo Dei concionetur. Et hæc sunt posteriora Dei, quæ nobis in hoc sæculo uidere licet. Nam q̄ hæc cognomina Deo cõpetant, confirmauit ipse Deus, uarijs promissionibus, miraculis, exēplis & operibus. Maxime autem oim̄ confirmauit ea in Christo Iesu Domino nostro. Quod enim Deus sit clemens, misericors & liberalis erga homines, non fit propter dignitatem aut merita hoim̄, sed tantum propter Iesum Christum, qui solus placauit iram dei, & impetrauit, ut Deus paternum gerat affectum erga homines, ac conseruet eos, qui in Christum credunt, ad perpetuam salutem. Vnde quidam Ecclesiastici scriptores non inepte per posteriora Dei, Christum intelligunt, propterea q̄ is in plenitudine temporis homo factus, solus sit, p̄ quem Deum cognoscamus, & propter quem Deum placatum habeamus. Ioannes ait. Deum nemo unq̄ uidit, filius unigenitus qui est in sinu patris, ipse enarrauit nobis. Et iterũ: Nemo uenit ad patrẽ nisi per me.

FESTINVSQVE MOSE CVRVATVS EST IN TERRAM, ET ADORANS AIT.)

Scriptura etiam his uerbis perspicue significat, q̄ quæ ante sunt commemorata, non sint uerba Mose inuocantis Deum, sed uerba dei recitantis Mose cognomina sua, quibus agnosci queat. Que cum audisset Mose, & intellexisset ex ipsis, Deum non esse nisi summam clementiam & misericordiam, adeoq; tanto fauore complecti populum suum, ut etiamsi internitionem mereantur, recipiat tamen eos pro more clementis uictoris, in gratiam & uindictam, statim ad ueteres suas preces, maxima iam fide animatus, festinat, & intercedit apud Dñm pro populo: Obsecro (inquiens) Domine, ut gradiaris nobiscum. Populus enim duræ ceruicis est, ut propicius sis iniquitatibus nostris, atque peccatis, nosq; in hæreditatem accipias. Quod dicit: Gradiaris nobiscum, respicit ad id, quod Dominus dixit: Custodius misericor-

Odium peccati in Deo, quantum

Posteriora Dei quæ sunt

Augustinus de Trini, lib. 2. cap. 17.

diam in millia. Patriarchis enim promissum erat, q̄ Deus daturus esset semini eorum terram Canaan. Cum igitur Mose cognosceret Deum ita affectum esse, ut posteris propter promissiones maioribus di-
ctas, beneficiat, sine ulla iam hæsitatione rogat Dominum, ut tueatur hunc populum, semen Patriarcharum, & introducat eos in terram promissam. Quod aut̄ dicit: Populus duræ cervicis est, ut propicius sis iniquitatibus nostris, atq̄ peccatis, respicit ad id, quod Dominus dixerat: Remittens iniquitatem & scelera & peccata. Et q̄ ait: Accipias nos in hereditatem, respicit ad id, quod dicitur: Dimittens impunem, non dimittens impunem. Petit enim, ut cum Israel sit populus incurui cervicis, ita eum complectatur, ut supplicij quidem erudiat eum, et a peccatis deterreat, nunq̄ autem penitus abiciat eum, sed agnoscat ipsum, tanq̄ propriam suam hereditatem. Ex hac oratione Mose habes, quomodo fides in oratione concipienda & confirmanda sit ex promissionibus Dei. Ac tunc demum spiritus orationis probe inflammatur, cum promissionibus Dei accenditur. Quare oraturus, primum omnium necesse habebis promissiones Dei arripere.

Orationis spiritus unde inflammatur.

RESPONDIT DOMINVS : EGO INIBO PACTVM VIDENTIBVS CVNCTIS.)

Mose plura propemodum & maiora impetrat, q̄ petierat. Primum enim Deus non simpliciter pollicetur se Israelitas defensurum, sed recipit se ipsum esse Israelitis addicturum publico foedere, & iniciturum cum ipsis pactum, ut manifeste cognoscant, se habere Deum propiciū. Hoc autem pactum, uel intelligi potest, de eo, quod deus iterum scripsit Decalogum in tabulas lapideas, & repetijt alias quasdam leges, quæ & supra latæ fuerunt, qua re manifeste testatus est, se redijisse cum hoc populo in gratiam. Nisi enim reconciliatus esset, non proponeret leges, iuxta quas uita instituenda sit. Vnde & tabule legis, dicuntur tabule pacti seu testamenti. Inire igitur pactum, hoc loco, est uetus illud pactum, antea in promulgatione Decalogi inicitum, renouare, & iterum confirmare. Vel potest etiam, si libet, intelligi de eo foedere, quod dominus inijt postea cum Israelitis in terra Moab, cuius mentio fit Deuter. xxix. Sed prior sententia magis arridet mihi, propterea q̄ mox sequitur. Dixit Dominus ad Mosen: Scribe tibi uerba hæc, quia secundum hæc uerba tecum, & cum Israel pepigi foedus. Deinde pollicetur etiam se non uulgari modo, sed maximis & stupendis miraculis Israelitas conseruaturum, & ad promissam terram ducturum. Faciam, inquit, mirabilia quæ nunquam facta sunt in ulla terra, nec in ullis gentibus. Quantis autem miraculis Deus conseruauerit Israelitas in deserto, & introduxerit eos in terram Canaan, superatis omnibus aduersarijs, notius est e scriptura, q̄ ut hic recenseri debeat. Postremo, pollicetur etiam Mo

am Mosi, se ornaturum ipsum singulari quadam, & stupenda maiestate. Ut cernat, inquit, omnis populus iste, in cuius es medio, opus Domini terribile, quod in te facturus sum. Hoc potest intelligi uel generaliter de ea autoritate, qua Mose diuinitus per miracula ab ipso ædita, præditus est, uel specialiter de ea maiestate, quã e splendore faciei suæ consecutus est, cuius fit mentio in fine huius capituli. Habemus ergo hoc loco memorabile exemplum eius epitheti, quod supra Deus de se ipso recensuit, uidelicet, q̄ Deus sit multus misericordia & ueritate. Plura enim & maiora præstat Deus Mosi, quam ipse ausus fuisset optare, aut etiam cogitare. Quis igitur inuocans Deum ex fide, in aduersis, non polliceretur sibi omnem Dei clementiam & salutem? Non sum, inquires, tam iustus, q̄ Mose fuit. At Mose impetrauit hæc beneficia, non propter suam iusticiam, sed propter misericordiam Dei, per fidem. Quare si inuocaueris Deum ex fide, ut non minus habes Deum placatum, quam Mose habet, ita non minus tibi beneficiorum, iuxta promissiones eius pollicearis.

*Misericordia
diuina exem
plum,*

OBSERVA QVAE HODIE MANDO TIBI, EGO
(PSA. ELICIAM.)

Re ipsa declarat Deus, q̄ redierit cum Israelitis in gratiam, & q̄ uelit eos introducere in terram Canaan, quia repetit & explicat ueteres quasdam leges, ut significet hoc unum sibi maximæ curæ esse, quo uera religio & legitima Resp. in Israel institueretur. Ac primum magna seueritate prohibet, ne Israelitæ faciant foedus cum gentibus Cananæis, nec iungant cum eis connubia, sed destruant aras eorum &c. Hoc præceptum aliqua ex parte supra positum est, Exo. xxij. Et repetitur postea pluribus, Deu. vii. & xij. Quid ergo ad hæc dicemus? nū quia Israelitis prohibetur, ne ineant foedus, nec contrahant matrimonia cum Cananæis, impium censendum est, si Christiani cum hominibus diuersæ religionis foedera ineant, & connubia iungant? Hic mihi obserua, q̄ hoc præceptum de gentibus Cananæis fuerit personale, ac pertinerit tantum ad Israelitas erga gentes habitantes in terra Canaan. Nā cum alijs gentibus per se licuit foedera inire. Erat (inquit scriptura) pax inter Hiram & Salomonem, & percusserunt ambo foedus. Licuit etiam connubia iungere. Vnde extat lex Deut. xxi. de mulieribus captiuis, quæ in matrimonium a uictoribus ducebantur. Ad Christianos autem hæc lex plane nihil pertinet, quippe qui longe aliam politeiã agnoscamus, quam quæ per Mosen populo Israel instituta est. Licet igitur Christiano in uxorem ducere mulierem Turcam aut Iudeam: hoc quidem per se non est impium, sed tamen periculosissimum est. Et Paulus dicit: Omnia mihi licent, at non omnia conducunt. Et iterum: Omnia mihi licent, sed non omnia edificant. Sinamus igitur

*Fœdera inire
cum homini
bus alienæ re
ligionis.*

*Matrimonia
hominum di
uersarum reli
gionum*

inter nos maxime omnium ualere, quod uulgo inter Ethnicos iactatum est: τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα, & iterum: γὰρ ἐκ τῶν ὁμοίων, hoc est, uxorem ducito tibi æqualem. Deinde repetuntur etiam aliæ leges de sculptilibus, de festo Pashæ, de primogenitis, de Sabbato, deq; alijs festis, quæ quoniam supra explicata sunt, non uisum fuit hic ea iterum odiose inculcare. Nam, q̄ diuinitus repetuntur, & populo iterum proponuntur, necessario factum est, ut & Israelitæ intelligant leges prius latas non esse inobedientia & defectione ipsorum abrogatas, & uideant Rempub. ipsorum Domino Deo nostro adhuc curæ esse.

TRIBVS VICIBVS IN ANNO APPAREBIT OMNE MASCVLINVM.)

Est & hæc lex supra cap. xxij. commemorata. Additur aut hoc loco liberalissima promissio. Potuissent enim Israelitæ legislatori obiecere. Quid tu exponis lege tua fines nostros hostibus diripiendos? Si enim uiris ter in anno proficiscendū est ad locum sacri tabernaculi aut templi, finitimi hostes incurrant hac occasione in uacuas domos & urbes nostras, ac cuncta, nemine resistente, diripient. Aduersus hunc metum munit eos Dominus memorabili promissione. Cum expulero, inquit, gentes a facie tua, et dilatauero terminos tuos, nullus desiderabit terram tuam, cum ascenderit & apparueris in cōspectu Domini Dei tui ter in anno. Nullus, inquit, hostis desiderabit terram tuā, tantum abest, ut incurrat, & deualet eam. Immittam enim tantum terrorem in gentes finitimas, ut uobis ad facienda sacra proficiscentibus, non aliter trepident, q̄ si armati bellum contra ipsas moueritis. Hæc autem promissio ita intelligenda est, non q̄ licuerit Israelitis plane se curis & ignauis esse, ac domi in tribus publicis festis nec custodes nec uigiles retinere, nec etiam suo tempore portas claudere, ac munire. In publica enim politia inter hostes constituta, nunq̄ est stertendum, & officium boni magistratus negligendum. Sed intelligēda est promissio, q̄ cum fines regionis pro sua legitima & publica ordinatione, custodijs & uigilijs muniti fuerint, & maxima uirorum pars ad locum tabernaculi seu templi in tribus festis, iuxta legem proficiscantur, non ita hostium incursum timeant, ut uocationi Dei non obediant, & legem eius de conuentu ad sacrum locum in tribus festis, aut uiolent, aut abrogent. Si enim Dominus dedit eis terram, expulsis indigenis mirabiliter, multo magis defendet fines eorum ab extraneis, cū sectantur uocationem Dei. Sic cum Patriarcha Iacob ascenderet ex uocatione Dei ad Bethel, ut ibi habitaret, quanq̄ cū imbelli familia proficisceretur, tñ finitimæ gentes non fuerunt ausæ persequi recedentes, quia terror Dei inuaserat omnes per circuitum ciuitates, Gene. xxxv. Sic & Deu. ij. proficiscentibus e deserto in terram Amorreorum pro-

Promissionibus credendum, sed interrim suū etiā officium non negligendum

mittitur:

mittitur: Hodie incipiam mittere terrorem atq; formidinem tuam in populos qui habitant sub omni cœlo, ut audito nomine tuo paueant & in morem parturientium contremiscant. Atq; hoc re ipsa impletum esse, ingenue confitetur Rahab Ierichuntina. Irruit, inquit, in nos terror uester, & elanguerunt omnes habitatores terre. Ceterum, quod Dominus hoc loco promittit Israelitis proficiscentibus ter in anno ad locum sacrum, seu publicam ipsorum parochiam, hoc idem promittitur etiam cuiq; regno seu politia, in qua recta religio constituta est. Regna enim & principatus, ac politia, in hoc maxime omnium a deo Regna & po-
litia legiti-
me, in tutela
Dei ordinatae & constitutae sunt, ut conseruetur in ipsis uera religio, qua homines ad consequendam aeternam salutem erudiantur. Videntur quidem in hoc tantum institutae, ut publica pax & tranquillitas conseruetur. Sed quod pax & tranquillitas respiciunt, nisi ut uera religio doceatur: Deprecationes inquit Paulus, fiant pro regibus & omnibus in eminentia constitutis, ut quietam & tranquillam uitam degamus. Num autem hic extremus est finis magistratuum ciuilium? Minime, sed additur: Cum omni pietate & honestate, uidelicet, ut uera pietas in publica tranquillitate doceri queat, & homines ueram ac aeternam salutem consequantur. Ita q; ubi Respub. ita administratur, non ut propter ciuilem securitatem doctrina religionis omittatur, aut abrogetur, sed ut administratio Reipub. ciuilis seruiat doctrinae religionis, ibi non tantum uigiles custodiunt ciuitatem, nec tantum milites & equites tuentur eam, sed tuetur & conseruat eam maxime omnium Dominus Deus noster, quo non custodiente, frustra uigilat, militat & equitat, qui custodit eam.

ERGO IBI CVM DOMINO QVADRAGINTA DIES.)

Hæc conferenda sunt cum his, quæ Deut. ix. & x. scribuntur, ut uideas Mosen bis in monte quadraginta diebus & noctibus ieiunasse, de quo miraculo etiam supra dictum est.

IGNORABAT QVOD CORNVTA ESSET FACIES SVA EX CONSORTIO.)

Hoc est stupendum miraculum, quod Deus in facie Mosi ædidit. Cum enim Mose descenderet de monte, & iterum portaret duas tabulas Decalogi, facies eius in modum cornuū micantibus radijs ita splendebat, ut Israelitæ non potuerint oculos in faciē eius defigere, & splendorem radiorū procedentium de uultu eius ferre. Quare cum Mose recitaturus erat populo leges, necesse habebat uelamen sup faciem suam ponere & cum rediret ad colloquium Dei, reponebat uelamen. Hoc igitur miraculum edidit Dominus in uultu Mosi, primum, ut cōmendarer autoritatem Mosi & decalogi. Vnde & Paulus ex hoc loco argu-

mentatur de autoritate & gloria ministerij Euangelij. Si administratio, inquit, mortis in literis, deformata in faxis, fuit in gloria, adeo ut non possent oculos intendere filij Israel in faciem Mose, propter gloriam uultus eius, quæ aboletur, cur non potius administratio spūs erit in gloria? Deinde ædidit Deus hoc miraculum in Mose, ut significaretur, quis esset spiritualis effectus legis in conscientia hominum. Nā quemadmodum in promulgatione Decalogi Israelitæ tumultu tonitruum, fulguribus, & horrenda Dei uoce ita terrentur, ut non possint coram deo consistere, & leges ab eo accipere, nisi detur eis mediator, ita hoc loco Israelitæ oculi splendore uultus Mose ita perstringunt, ut non possint colloquiū eius ferre, nisi ponat ob oculos suos uelamē.

*Legis opus
in conscien
tia hominum.*

Legis usus. Hæc omnia explicant uerum & spiritualementem usum seu finem legis. Lex enim data est, non in hunc usum, ut iustificet coram Deo, quem admodum hypocritæ sentiunt de lege. Iustificaret quidem lex hoīem coram Deo, si hominis uires essent integre, & possent legi perfecte satisfacere. Nunc autem, quia peccatum natura inhæret homini, lex non est data, ut homo ex operibus eius iustificetur. Ac potest quidem homo ex operibus legis iustificari coram hominē, minime autem omnium coram Deo. Sed data est lex, ut ostendat peccatum, & ostensione peccati declarat iram Dei, ac reuelet perpetuam hominis damnationem. Quæ si conscientia obijciantur, tantum abest ut iustificetur, ut potius ad conspectum Dei horribiliter trepidet, fugiat & desperet. Itaq; lex intantum non adducit nos ad iusticiam, & cœlum, ut potius conijciat nos in iniusticiam, & exufflet in nobis ignem inferni. Atq; hoc est, quod tam splendidi radij proiecti sunt a facie Mose in oculos Israelitæ, ut non potuerint ferre, nisi obiecto uelamine, quia nullus homo natura sua tam sanctus est, qui possit ferre in conscientia sua hunc finem & usum, ac splendorem legis, quin ita excæcet & pauer fiat, ut quantum quidem in ipso est, perpetuo pereat. Sicut enim radij uultus Mose ita hebetant aciem oculorum Israelitarum, ut si diutius ferant, necesse habeāt omnino excæcari, ita excellentia splendoris legis, quæ perfectissimam iusticiam exigit, oculos humanæ conscientia ita perstringit, ut iam non ultra solem coelestem, sed tantum ignem infernum uidere queat. Quid est ergo uelamen, quod ob oculos Mose positum, effecit, ut Israelitæ potuerint Mosen uidere & audire? Hoc ex Paulo facile intelligi potest, si quis diligenter animaduertat. Sic enim in posteriori ad Corinthios epistola cap. iij. scribit: Vsq; in hodiernum diem, idem uelamen in lectiōe ueteris testamenti manet, nec tollitur uelum, quod per Christum aboletur. Sed ad hunc usq; diem, cū legitur Mose, uelamen cordibus illorū impositum est. Hactenus Paulus. Videamus igitur et excutiamus, quæ sit sententia et opinio cordis
seu ani,

Velamē Mose

leu animi Israelitarum, ut manifestum fiat, quid sit uelamen. Israelitæ enim, quemadmodum aliàs Paulus ait, sectantur quidem legem iusticie, non autem ex fide, sed tanquàm ex operibus legis. Opinantur enim, quod lex data sit, quæ possit hominem iustificare, & quæ possit humanis operibus perfecte impleri. Quæ opinio, etsi uanissima, ac plane impiissima, tamē corde concepta, facit, ut uideatur, te posse legem audire, & satisfacere ei. Hæc igitur opinio, uelamen illud est, quo obiecto, Israelitæ potuerunt uidere & audire Mosen. Et cum hac opinione adhuc hodie infecti sint Israelitæ, uelamen impositum est cordibus ipsorum, ut nec uerum usum legis intelligant, nec ad ueram iusticiam ac salutem perueniant. At ubi conuersi fuerint, inquit Paulus, ad Dñm, tolletur uelamen. Nam quemadmodum Mose uelabat quidem faciem locuturus cum populo, locuturus autem cum Domino, necesse habebat uelamen deponere, ita donec quispiã iuxta hoïem sapit, non aliter de lege iudicat, quàm quod iustificet, & impleri possit humana iusticia. Cum autem conuersus fuerit ad Christum, ibi tum tolletur uelamen, ut re ipsa uideat, per legem non esse nisi agnitionem peccati, in Christo autem lesu ueram esse iusticiam, ut quicumque credat: ipsum, remissionem peccati ita consequatur, ut reputetur coram Deo, propter Christum tam perfecte iustus, quàm si ipse operibus suis satisfecisset legi. Quod de Israelitis dictum est, hoc idem dicendum erit de alijs hypocritis, qui tantisper non excecati tantum, sed etiam impij & damnati manent, donec corda eorum uelamine huius opinionis obtecta sunt, uidelicet dum sentiunt se propter bona sua opera iustificari coram Deo, ac mereri uitam æternam. Si uero conuersi fuerint ad Christum & Euangelion eius, ibi tum auferetur uelamen ipsorum, ut perspicue uideant, bona opera infirmiora esse quàm ut iustificent, & ueram iusticiam per solam fidem, propter Christum contingere.

CAPVT XXXV.

XXXVI. XXXVII. XXXVIII.

XXXIX. XL.

QVAE sequuntur, sex capita, usque ad finem huius libri, nihil aliud fere continent, quàm ea quæ ante recensita, & a nobis copiose explicata sunt. Nam, quæ Deus iussit Mosen in sacris rebus facere & instituire, ea in his capitibus commemorantur esse facta & instituta. Neque tamen ociosa aut superuacanea est hæc repetitio. Spiritus sanctus alioqui paucissimorum est uerborum: Sed cum hoc loco ea quæ supra dicta sunt, tam copiose & diligenter repetat, sentiendum est ipsum rem magis seriam agere, quàm ut libeat multiloquentiam

IN CAPVT XXXV. EXODI

ostentare. Primum enim commendatur hac repetitione obedientia Mofi, & Israelitarum, q̄ tam fideliter sacra iuxta uerbum Dei instituerint, Deinde, per singula fere uerba, ac precipue per illud toties repetitum, FECIT, admonet Spiritus sanctus posteros Israelitarum, ut exemplo Mofi, perpetuo meminerint huius præcepti: Quod præcipio tibi, hoc tantum facias Domino, nec addas quicquam nec minuas. Et huius: Non declinabitis neq̄ ad dextram neq̄ ad sinistram, sed per uiam, quam præcepit uobis Dominus Deus uester ambulabitis, ut bene sit uobis, & prolongentur dies uestri, in terra possessionis uestri. Et quia sacra Israelitarum, non fuerunt nisi conciones & catechismi de Christo, de Euangelio Christi & ecclesia eius, quemadmodum supra explicuimus, admonemur etiam nos, ut tanto diligentius Christum ac uerbum eius obseruemus, quanto exactius & religiosius sacra Israelitarum iuxta uerbum Dei instituta & obseruata sunt, ut ne angelo quidem aliud prædicati Euangelion, q̄ quod Christus & Apostoli eius, de gratuita remissione peccatorum propter Christum, & iustificatione per fidem prædicarunt, uel aures prebeamus, uel fidem adhibeamus.

EXCVSVM HALAE SVEVORVM IN
 Officina Petri Brubachij, Anno
 M. D. XXXXIII.



